# APPARATUS
# ERUDITIONIS
## PRÆSERTIM AD
# JURISPRUDENTIAM,

In quo
Præter Juris Univerſalis Principia
**JUS NATURÆ, GENTIUM, DIVINUM, APOSTOLICUM, & PONTIFICIUM, JUS SYNODALE OECUMENICUM, NATIONALE AC PROVINCIALE,**
Unacum
Provinciarum ac Regnorum Eccleſiaſtico & Politico Statu, Diſciplina Eccleſiæ, Hæreſibus exortis &c. continua ſæculorum ſerie ad præſens usque tempus deductum, inſertisque pro re nata multis obſervationibus criticis, ac controverſiis Juridicis, Publicis, ac Polemicis,
*METHODO HISTORICO-DOGMATICA COLLIGUNTUR, ET BREVI AC CLARA IDEA DELINEANTUR*
In utilitatem eruditionis amantium, quibus vaſta Conciliorum, Decretorum, Hiſtoriarum &c. volumina perlegendi aut occaſio aut tempus deficit,

AUTHORE
P. JOSEPHO BINER S. J.

## PARS XII,

Complectens
HISTORIAM ECCLESIASTICAM ET POLITICAM ASIÆ, AFRICÆ, ET AMERICÆ.

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E. III NAPOLI

*Auguſtæ Vindelicorum & Friburgi Brisgojæ*
Sumptibus Fratrum Ignatii, & Antonii Wagner, Bibliop. MDCCLXVI.



# PRÆFATIO.

Habes tandem, amice lector, apparatus ad Eruditionem Partem XII, eamque ultimam, quæ Aſiæ, Africæ, & Americæ ſtatum veterem & novum, Eccleſiaſticum & Profanum brevi pro inſtituto ſynopſi perſequitur, ut aliquali Hiſtoriæ Tyronibus eruditioni, his temporibus tantopere æſtimatæ, ſubſerviat.

Incipit autem narratio a vetuſtiſſimis Imperiorum Regnorumque per orbem terrarum initiis, progreſſibus, & ruinis. Ad ſingulas dein majores provincias deſcendit, earumque ſtatum breviter exponit. Intueri licebit rerum humanarum, ſurſum deorſum euntium, varietatem, ut oculos attollamus ad ſupernam illam & manentem civitatem, regnumque, cujus non erit finis.

Apparebit ſimul dilucide, quænam Religio merito glorietur inſigni illa nota veræ Eccleſiæ, quod ſit *Catholica* ſeu univerſalis, cum ad mandatum Domini & exemplum Apoſtolorum, ſacri operarii eant in mundum univerſum, & prædicent Evangelium omni creaturæ. Quæ-

nam alia Eccleſia characteriſtico hoc ſigno ſplendet? Navigant equidem Europæ Proteſtantes extremos ad Indos, ſed lucri & quæſtus temporalis gratia. Quas vero gentes, præſertim barbaras, adeunt eorum Miniſtelli, ut eas convertant? quam oppoſite cecinit ille!

Navigat extremos Præco Romanus ad Indos.
Quo Præco hæreticus navigat? uſque Cyprum.

Martyrum præterea ſanguis veram Chriſti ſignat Eccleſiam. Quot autem Catholici, etiam Miſſionarii, generoſa hac nota ſunt inſigniti? veritatem, quam prædicarunt, ærumnis, carceribus, morte obſignantes. Conſpiciemus cruces & rogos Japoniæ, cæſtus, tela, ſpicula utriusque Indiæ, proſcriptiones, carceres, flagra Sinarum: flores contra, ſegetes meſſemque uberrimam, vel inter ipſas perſecutionum pruinas, grandines, fulmina: ut adeo primæ Chriſtianitatis imago paſſim objiciatur, & luculente appareat, ultimis etiam hiſce ſeneſcentis mundi ætatibus, ſanguinem Martyrum ſemen fuiſſe Chriſtianorum.

Quod œconomiam operis ſpectat, jam ſæpius conteſtatus ſum, compilatorem me agere, colligendo ea, & in epitomen contrahendo, quæ per varios libros & epiſtolas ſunt diſperſa, ut hac ratione vel defectum librorum, vel temporis defectum ad eos perlegendos aliquantum ſublevem.

Authores autem, qui materias, hac parte contentas, pertractant, ſunt ſequentes. Sacra Scriptura, libri præſertim Regum, Machabæorum, Danielis: Salianus, Gordonus, Oſorius, Torniellus, Brietius, Genebrardus, Buſſieres, Petavius, Turſellinus, Eutropius, Livius, Polybius, Florus, Juſtinus, Pauſanias, Appianus, Thucidides, Joſephus Judæus, Dionyſius Halicarnaſſeus, Xenophon, Curtius, Cornelius Nepos, Plutarchus, Zonaras, Dio Laertius, Maffejus, Hazartus, Juvencius, Cordara. Hiſtoriam autem noviſſimam ex plurimis Miſſionariorum litteris collegerunt Duhamel, Stöcklein, Probſt, Kellerus &c.

PARS XII.

# LIBER PRIMUS.

## Status Aſiæ.

### CAPUT I.

#### *Imperium Aſſyriorum.*

ESpectare ad Eruditionis apparatum videtur, ut hæc res ex altioribus aliquantum principiis repetatur, breviſſime tamen, ut memoria potius refricetur, quam ut pro materiæ amplitudine hiſtoria texatur.

Quis primus dici debeat fundator Aſſyriorum Imperii, *Nemrod*, Chami nepos, an *Aſſur* Semi filius, a quo nomen accepit, dubitari forſan poſſet. Vero ſimilius eſſe videtur, Nembrodum primum fuiſſe, qui liberis populis, poſt diviſionem orbis & confuſionem linguarum, ſub jugum miſſis, Principatum invaſerit, conſtructa in Chaldæa *Babylone*, in qua fixit ſedem Regiam. (*anno Mundi* 1700.) Nemrod. Aſſur. Babylon.

*Ninus* ejus filius Aſſuri Aſſyriam eripuit, condiditque ad Tygrin urbem, quam a nomine ſuo *Niniven* appellavit, ſedemque Imperii deſtinavit. Non tamen eſt credibile, Imperatores hanc ſedem Ninus. Ninive.

Semiramis. Regnum Aſſyriorum.

perpetuo occupaſſe. Ad quid enim *Semiramis* Nini uxor tam ſtupendis operibus Babylonem præ Ninive exornaſſet, ſi in ea non reſediſſet. Quare Imperium *Aſſyriorum*, *Babyloniorum*, *Chaldæorum* promiſcue appellatur. Imperatores autem Aſſyrii prope 40. continua ſerie ita gubernarunt, ut omnes in fœminas mutati, Semiramis autem in virum videatur, qui (*Abrahami tempore*) Imperium Aſſyrium in immenſum protenderet; victo ad extremum Zoroaſtro Perſarum Rege.

Sardanapalus. Diviſio Aſſyriorum Imperii.

Ultimus in hac nominum ſerie fuit *Sardanapalus*: cujus vel nomen audire horrori eſt honeſtis auribus. Is autem, cum Provinciarum Gubernatores, tanta probra non ultra ferentes, inſurgerent, ac Niniven obſiderent, ſuccenſo palatio cum mulieribus ſuis conflagravit, vindicantibus flammis ignes fœdos, &, quod ſupremum malorum eſt, etiam æternis. (*anno Mundi* 3077. *tempore Joas Regis Judæ, & Jehu Regis Iſrael*). Sardanapali tempore ad Ninivitas miſſus Jonas.

Medorum regnum. Arbaces. Aſtyages. Harpagus. Cyrus.

Ex vaſtiſſimo Aſſyriorum Imperio tria deinceps magna exorta ſunt regna, *Medorum*, *Ninivitarum*, & *Babyloniorum*, quæ tamen unum Aſſyriorum Imperium, nomine veteri retento, conflabant. Et quidem *Medorum* regnum auſpicatus eſt *Arbaces*, *Ecbatanæ* fixa Metropoli a 9 deinceps Regibus gubernatum. Ultimus Medorum Rex fuit *Aſtyages*, qui ſomnio territus, *Mandanem* filiam ſuam deſpondit *Cambyſi* Perſæ, ignobilis generis homini. Natus illis nuptiis *Cyrus*, quem necandum dat *Harpago* Aulico. Is autem paſtori educandum tradidit. Quod ubi Aſtyagi ſuboluit, Harpago filium mactatum coctumque manducandum appoſuit. Harpagus Cyro jam adulto genus aperit, & in ultionem intentus, cum eo conſpirat in Aſtyagem. Cyrus ope Perſarum eundem vincit, regnoque privat; atque hoc pacto Medorum regno finem impoſuit, & Monarchiæ Perſicæ fundamentum jecit: *Dario Medo* Aſtyagis filio a Cyro nepote pulſo, & poſt Baltaſſaris mortem regnum Babyloniorum invadente.

Regnum Ninivitarum.

Alterum regnum, quod poſt fata Sardanapali ſurrexit, vel ſuo modo continuabatur, eſt regnum *Ninivitarum* ſeu *Aſſyriorum in Ninive*: quod ſub 5. adhuc Regibus ſtetit. Primus recenſetur *Phul*, qui regnavit A. M. 3150. tempore Oziæ Regis Judæ. Alter *Teglatphalaſar*, qui Judæos graviſſime afflixit. Tertius *Salmanaſar*, qui expugnata *Samaria* Oſeam, ultimum Iſraëlitarum Regem, anteceſſorum ſuorum exemplo ſceleratum, cum 10. tribubus Niniven captivum abduxit, Aſſyrios vero in Samariam miſit, ut agros colerent; unde *Samaritani* promiſcuæ religionis. Quartum *Senacherib*, Jeroſoli-

mam oppugnantem, ad preces Ezechiæ Regis Judæ, Angelus in fugam egit, occiſis una nocte 185000. Aſſyriorum; cumque ad placandos Deos ſuos filios immolare vellet parens impius, ipſe ab iis occubuit victima. Ultimus erat *Aſaraddon*, filius Senacherib; qui a Merodach Aſſyriorum Rege ſuperatus & regnum amiſit & vitam, extincto Ninivitarum Imperio, atque ad Babylonios translato. Ninive vero, urbs orbis maxima, prope everſa eſt circa annum Mundi 3302. quo Roma fuit condita.

Tertium Aſſyriorum regnum poſt diviſionem Monarchiæ fuit regnum *Babyloniorum* ſeu *Chaldæorum*, quod (uti etiam Medorum) centum adhuc prope annos poſt extinctum Ninivitarum regnum ſuperſtes fuit, grandique robore imperium exercuit 15. ſub Regibus. Primus eorum erat Nabonaſſar. *Merodach* (qui Nabuchodonoſor appellatus in Scriptura etiam in Ninive regnaſſe dicitur) Manaſſen Judææ Regem impium, capta Jeroſolyma, Babylonem in carcerem abſtraxit; ex quo tamen poſt 7. annos liberatum regno meliorem reſtituit. Devicto Arphaxad Medorum Rege, miſit Holofernem in Judæam, quem, Bethuliam obſidentem, Judith occidit. *Nabuchodonoſor Magnus*, pronepos Merodachi, quo nec Alexander M. nec Romana unquam Reſpublica potentior, univerſum orbem ſubjugaturus videbatur, protenſis ad Medos, Perſas, Armenos, Hyrcanos, Arabes, Ægyptios, perpetuos Aſſyriorum æmulos, Afros, Iberos, Thraces, Æthyopes, victoriis. Niniven penitus delevit, Joachimum, Jechoniam, Sedeciam, ultimos Judææ Reges impios, capta Jeroſolyma, & templo Salomonico vaſtato, cum populo Judaico in captivitatem Babylonem abſtraxit. Nullus tamen Princeps potentius punitus a Dominantium Domino. Succeſſit Evilmerodach, & huic *Balthaſſar* ex filia nepos, qui poſtquam in convivio vidit manum ſcribentem in pariete noctu interfectus Aſſyriorum Imperium clauſit, poſtquam 1700. prope annos ſteterat, circa annum Mundi 3500. Servio Tullio Romanorum Rege.

Babyloniorum.

Nabuchod.

Communiter Balthaſſar habetur pro ultimo Aſſyriorum Monarcha, & Cyrus pro primo Perſarum. Sed interponendus eſt inter eos medius, videlicet *Darius Medus*; neque enim Cyrus immediate regnavit poſt Balthaſſarem, ſed Darius, atteſtante S. Scriptura Danielis V. *Eadem nocte interfectus Balthaſſar rex Chaldæus, & Darius Medus ſucceſſit in regnum.* An autem Aſſyriis, an vero Perſis Monarchis ſit annumerandus, aut neutris, dubitari fortaſſe poſſet. Quidam ſcriptores eum ultimum inter Chaldæos Reges collocant: ſed obſtat communis perſuaſio, quod Balthaſſar fuerit ultimus. Alii ad Perſarum Monarchiam eum refe-

Darius Medus.

runt, videturque favere S. Scriptura Danielis 6. ubi Principes & Satrapæ Perſæ, ut ſternerent Danielem, Dario ſuaſerunt, ut mittat in lacum leonum, quicunque intra 30. dies ab alio quam a Rege quidquam petierit: *Nunc itaque Rex*, *inquiunt*, *confirma ſententiam & ſcribe Decretum*, *ut non immutetur*, *quod ſtatutum eſt a Medis & Perſis*; & infra, cum Darius Danielem vellet liberare, Principes ei dixerunt: *ſcito Rex*, *quod lex Medorum atque Perſarum eſt*, *ut omne Decretum*, *quod conſtituerit Rex*, *non liceat immutari.* Quid enim ad leges Medorum ac Perſarum appellaſſent, ſi Darius illis non imperaſſet?

Dici poteſt, Darium utrique regno, Chaldæo & Mediæ præfuiſſe per annum, donec omnia, ſponte aut coacte, Cyro nepoti ſuo ex ſorore cederet. Quis autem fuerit hic Darius, dubitari pariter poſſet. Danielis 9. appellatur *Filius Aſſveri de ſemine Medorum*, *qui imperavit ſuper regnum Chaldæorum*, *anno uno Regni ejus &c.* Fuit igitur veroſimilius filius Aſtyagis, Medorum Regis, (qui ex uſu Scripturæ Aſſverus cognominatur) Mandanis frater, avunculus Cyri, cum quo Babylonem expugnavit. (*Cornel. a Lapide in hunc locum*).

# CAPUT II.

## *Perſarum Imperium.*

Cyrus. Dario itaque Medo, aut mortuo, aut ultro cedente, aut coacto, *Cyrus*, totam Aſſyriam, Mediam & Perſiam dominatione complexus, *Monarchiam Perſicam* fuit auſpicatus, eamque grandibus incrementis auxit, donec poſt tot victorias & conquiſitas provincias a fœmina, *Tomyri* videlicet, Maſſagetarum Regina prælio victus, ignobili fato occubuit, circa annum 3524. Danielem, prout etiam Darius, Balthaſſar, Nabuchodonoſor, ſingulari æſtimatione & amore eſt complexus; quare viſis Iſaiæ de ſe vaticiniis, Judæos poſt 70. annorum captivitatem liberos dimiſit, & templum rurſus ædificandi copiam fecit.

*Cambyſes* Cyri Filius Ægyptios debellavit, ſed ferocia, crudelitate, temulentia præclaras victorias fœdavit. Gladio proprio periit. Quidam lixa, *Smerdim* Cyri filium ſimulans, ad thronum emergit; ſed ex auribus abſciſſis agnitus, perimitur.

Darius. Hyſt. *Darius Hyſtaſpis* equi hinnitu Rex electus, Babylonios rebelles *Zopyri* fraude domuit, urbemque diruit. Scythas aggreſſus cum dedecore rejectus eſt. Nec meliori fortuna uſus in Græcos; in Mara-

tho-

thoniis campis a *Miltiade* Athenienſi fuſus eſt, licet immanem exercitum in paucos duceret. Enituit *Cynegyri* virtus, qui amputatis manibus, dentibus infixis navem Perſicam, ne elaberetur, retinere conatus eſt. Obiit Darius A. M. 3560. regni 36. poſtquam Zorobabeli urbem & templum conſtruendi copiam fecerat.

Filios inter Darii de ſucceſſione exarſit contentio. Artabanes privilegio ætatis ſe munitum credidit. Xerxes ſe patre jam Rege natum obtendit. Obtinuit *Xerxes*, labemque, patri pugna Marathonia illatam deleturus, expeditionem in Græciam ſuſcepit, uti ſtolide ſuperbam, ita plenam ignominia. Contabulata claſſibus maria; tota Aſia in Europam effundi viſa. Nunquam conſpectus exercitus major, nunquam fuga turpior, *Artemiſia* Cariæ Regina armorum ſocia, virum ſe probavit, Xerxes fœminam: victus ad *Thermopylas* a *Leonide* Spartano terreſtri prælio, a *Themiſtocle* Athenienſi navali: felix, quod cymba vectus, remenſo Helleſponto, vitam in Perſiam reportare potuerit. Reliquit tamen *Mardonium* in Græcia, ut laceræ conquaſſatæque exercitus reliquiæ penitus delerentur. E tanta multitudine (quæ tribus hominum millionibus conſtitiſſe fertur) vix cladis nuntius ſuperfuit. Iram magnus bellator, poſtremus in prælio, primus in fuga, in Helleſpontum exeruit, quem pontem indignantem verberibus inflictis caſtigavit. Cum in contemptum populi deveniſſet, ab Artabane fratre occiſus eſt anno regni 21. Xerxes.

Succeſſit filius *Artaxerxes Longimanus*, Princeps quiete ac pacatæ indolis, *Aſſverus* in ſacris litteris appellatus; repudiata ſuperba Vaſthi *Eſtherem* Conjugem & Reginam elegit. *Amanum* patibulo, quod *Mardochæo* erexerat, ſuſpendi juſſit. Cum Samaritani ſe opponerent, novam rurſus Judæis plenamque Jeruſalem ædificandi facultatem dedit, dimiſſo in Judæam *Eſdra*, qui eidem fuerat a ſecretis, prout etiam *Nehemia*; qui Solymam deinceps reſtaurarunt. *Themiſtoclem* Athenienſem, ab ingrata civitate in exilium pulſum, quamvis paternæ cladis auctorem principem, ad ſe profugum ſuſcepit, magnisque favoribus eſt proſecutus. Cum autem eundem bello, adverſus Athenienſes gerendo, Ducem deſtinaſſet, is hauſto veneno ſibi vitam ademit, ne aut in patriam impius, aut Regi ingratus dici poſſet. Fato ſuo functus eſt Artaxerxes, poſtquam 40. annos regnaverat. Aſſverus.

Tres filios reliquit, Xerxem II, Sogdianum, & *Darium Nothum*. Primum occidit ſecundus, ſecundum tertius, qui 20. annis Thronum Perſicum occupavit.

*Artaxerxes* filius, *Mnemon* cognominatus ob memoriæ præſtantiam, 40 annos Imperii implevit. Grave bellum geſſit cum fratre, *Cyro Junio-*

*niore*, cui aſſiſtebant Lacedemonii, omnium Græciæ civitatum tunc potentiſſimi. Sed tandem victus a fratre Cyrus, & interfectus eſt.

*Artaxerxes Ochus* filius crudelitate omnes ſuperavit, nulli ætati, nulli generi, nec ſanguini ſuo parcens, 80. fratres ſuos occidiſſe fertur. Ægyptios, poſt Cambyſen a Perſarum Imperio rurſus abſciſſos, rurſus ſub jugum miſit: poſt 22. annorum tyrannidem a *Bagoa* Ægyptio veneno necatus, quod, bove Ægyptiorum Deo mactato, aſinum ipſis colendum ſubſtituerit.

Bagoas. Idem Bagoas, parricida impius, *Arſamem* Ochi filium poſt tertium regni annum crudeliter ſuſtulit.

Darius Codomannus. Eodem nefario ſcelere Bagoas *Darium Codomannum*, Arſamis fratrem, de medio tollere conatus eſt, ſed venenum, Regi miſtum, ipſe potare coactus eſt. Fuit hic Darius Perſiæ Monarcharum ultimus, ab Alexandro M. cujus ætatem deſpexerat, victus, ac trino prælio ad *Granicum* Bythiniæ amnem, ad *Iſſum* Ciliciæ urbem, ad *Arbelam* Aſſyriæ oppidum penitus debellatus, quinto anno Imperii, a Beſſo ſubdito interemptus, quod ſcelus parricida capite luit. Atque ſic finem accepit vaſtiſſima Perſarum Monarchia, quæ ſub 13. Regibus 208. annos ſteterat.

## CAPUT III.

### *Græcorum Imperium.*

Græcæ Civitates. Antequam autem Alexander Perſicam adverſus Darium expeditionem ſuſcepit, ut nihil a tergo intutum relinqueret, Græcas civitates, ſive Reſpublicas, penitus ſubjugavit. Multæ illarum erant, ſi unitæ animis & viribus manſiſſent, invincibiles, prout graviſſimis bellis, contra Perſiæ Monarchas geſtis, demonſtrarunt. Poſtquam autem, nexu diſſoluto, de principatu contendentes, in ſe ipſas arma verterunt, Macedonia unam poſt alteram deglutiit.

Spartani. Eminebant autem *Lacedemonii* ſive *Spartani*, gens fortiſſima, quæ ſuos quidem habebat Reges, ſed & iſti, poteſtate admodum reſtricta, ſuos *Ephoros*. Cum Athenienſibus variis bellis & fortunæ viciſſitudine de Principatu concertant: ſub Leonide, Pauſania, Braſida, Lyſandro, Ageſilao, Clearcho, victisque Athenis, Perſarum etiam Regibus bellum minnitantur.

Athenienſes. Ægre palmam Spartanis ceſſere *Athenienſes*, ante Perſarum irruptionem in Græciam obſcuri ſatis nominis, poſtea vero toto orbe celebrati, ob bellicam præſertim fortitudinem *Miltiadis*, ejusque filii *Cimonis*, *Ariſtidis*, *Themiſtoclis*, *Alcibiadis*, *Periclis*; quorum virtute ſupera-

perabant non raro Spartanos, mox vero ab iſtis ita attriti, ut Athenis captis, delerentur propemodum. *Cononis* tamen artibus ſunt reſtituti. Præſtantiſſimos autem, quæ magna ruinæ cauſa, ſuos belli Imperatores, ac Heroës, *Oſtraciſmo* percuſſos, in exilium egerunt, ne Principatum ad ſe traherent, veriti.

Feſſis & attritis ſupervenere *Thebani*, duce *Epaminonda*, omnium Græcorum fortiſſimo, qui devictis Spartanis & Athenienſibus, civitati ſuæ Principatum aſſeruit. Mycæna, Meſſenia, aliisque civitatibus jam his, jam illis adhærentibus. Epaminondas

Perſarum & Macedonum Reges bella iſta Græcorum ſtudioſe fovebant, incitando & aſſiſtendo infirmioribus (qua arte politica Romani poſtea frequenter ad deglubendum orbem uſi ſunt) ut inteſtinis bellis attriti, ultra Græciam vires ſuas non poſſint exporrigere, imo prædæ reddantur obnoxii.

Et ſane *Philippus* Macedonum Rex, Alexandri M. pater, diligenter his Græcorum diſſidiis in rem ſuam uſus eſt; dum ſingulas civitates aggreſſus omnes ſub jugum miſit: & ſic, dum quælibet imperium ad ſe trahere nititur, omnes amiſere, & quid ſingulæ amitterent, non niſi oppreſſæ ſenſere, *Demoſtene* incaſſum clamante. Philippus.

Sed dum conſtricta jam manu Græcia, expeditionem in Perſas apparat, inter duos Alexandros, filium & generum, Epiri Regem, Philippus incedens medius, repente a Pauſania nobili Macedone trucidatus eſt, ætatis anno 47. regni 24. Alexander filius auctor cædis creditur, tum ob repudiatam matrem ſuam Olympiadem, tum ob flagrans regnandi deſiderium.

*Alexander* igitur, 20. duntaxat annorum Juvenis, regnum capeſſit, ſubactisque penitus Græcis, ac finitimis populis, Thebas acrius reſiſtentes, evertit, atque expeditionem in Aſiam adverſus Perſas inſtruit, relicto in Macedonia Antipatro. Trino conflictu Perſæ illi *immortales* cedunt *Phalangi* Macedonum. Ampliſſimam Monarchiam extinguit, novamque fundat Macedo, obſcuro hactenus terræ angulo in orbis terrarum Imperium protenſo. Suſa, Perſepolis, Ecbatana, Babylon, cum Rege cadunt. Pertinax Tyrus, opulenta Damaſcus, Memphis ſuperba ſubmittunt colla: Tygris & Euphrates, Ganges & Indus fræna mordent. Alexander.

Magno orbis conquæſtore nihil initio modeſtius, nihil integrius. Darii mater Syſigambis, conjux, filiæ, caſte ac verecunde exceptæ. At ubi mortalem ſe oblitus pro Deo coli voluit, in ſuperbiam, iram, ebrietatem, laſciviam, crudelitatem projectus, Calliſtenem, Clytum, Philotam, Parmenionem, Antipatri filios trucidavit, averſo

ſo militum amore, ſuis diffiſus, Perſas corporis cuſtodes adhibuit; qui tamen impedire non poterant, quo minus orbis domitor, hauſto veneno, Babylone periret, anno ætatis 33. Imperii 12. Jacet jam & tacet; exili clauſus urnula, cui orbis videbatur minor. Ah! *quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum &c.*

Poſt mortem Alexandri M. filii ejus, Hercules & Alexander cum tota cognatione ſunt extincti, Monarchiam vero Duces Alexandri inter ſe ſunt partiti, qui omnes coronam ſibi ipſis impoſuerunt. Quatuor autem potiſſimum regna inde ſunt exorta, *Aſiæ*, *Syriæ*, *Macedoniæ*, & *Ægypti.*

Regnum Aſiæ. Et *Aſiaticum* quidem complectebatur Aſiam Minorem (quæ *Natolia* hodie appellatur) cum terris finitimis. Primus ejus Rex erat *Antigonus*, Dux Alexandri præſtans, ſed ſuperbia & in ſubditos ſeveritate grandes virtutes corrupit. A patre non degeneravit *Demetrius*, ab expugnatis urbibus dictus *Poliercetes*; unus contra omnes, & omnes contra unum, fortunæ pullus, jam omnia, jam nihil.

Pergamenum. Surgebant autem ex Aſiatico hoc regno quatuor alia; *Pergamenum*, cujus Rex primus *Eumenes*, bellator excellens, ultimus *Attalus*, qui moriens Romanos hæredes ſcripſit, dubio relicto, an per *Divitias Attalicas* plus eis profuerit, an nocuerit.

Ponticum. 2. *Ponticum*, quod *Mithridates* clauſit, cum Romanis multos annos fortiſſime colluctatus, ſed tandem poſt Lucullum & Murenam Pompejo ſuccumbens.

Armenum. 3. *Armeniæ* Regnum; cujus ultimum Regem *Tigranem* Lucullus debellavit, atque Antonius triumvir poſtea Armeniam in formam Romanæ provinciæ redegit.

Parthicum. 4. *Parthicum*, ab Arſace coeptum; de quo ſuperiore capite plura diximus.

Syriæ. *Syriæ Regnum* primus occupavit *Seleucus*, Dux pariter Alexandri M. cujus ſucceſſores *Seleucidæ* appellantur; qui Judæos, Machabæorum præſertim tempore, graviſſime afflixerunt, Antiochus maxime *Epiphanes*: ut ſacra docet Hiſtoria. Ultimus Syriæ Rex erat *Tigranes*, qui cum Armenia Syriam quoque poſſidebat. Sed Pompejus, relicta illi ſub tributo Armenia, Syriæ regno finem impoſuit, poſtquam ſub 25. Regibus 246. annis ſteterat.

Macedoniæ. *Macedoniæ Regnum*, ſpreto Aridæo Alexandri M. fratre, ad ſe traxit *Antipater*, ad illius cuſtodiam, dum in Perſas moveret, relictus ab eodem Alexandro. *Philippus* penultimus, & *Perſeus*, ejus filius, quia cum Carthaginenſibus contra Romanos fœdus inierant, ab iſtis bello devicti ac regno exuti ſunt, Perſeo in triumphum ducto, & ad perpetuos carceres condemnato. Poſtquam hoc regnum ab Alexandri morte ſub 18. Regibus per 155. annos floruerat.

*Ægyp-*

*Ægypti* denique regnum ex Græcis primus inchoaverat *Ptolomæus Lagus*, Alexandro M. ſimiliter victoriarum ſocius. Finiit Cleopatra; prout capite ſequenti prolixius narrabitur. Ægypti.

Quanta autem poſt obitum Alexandri fuerit rerum confuſio, quanto ſanguine ſteterit Monarchiæ Græcæ partitio, quot bellis inter ſe colliſi ſint, quos dixi, Reges, aliique Alexandri Duces, Lyſimachus, Perdiccas, Craterus, Nicanor, Caſſander &c., longum fuerit enarrare. Græcorum civitates in libertatem ſe rurſus vindicabant, quam unus Regum, ut ſocias haberet, addicebat, alter rurſus turbabat, mira rerum omnium confuſione, quæ Romanis, ſe ubique miſcentibus, occaſionem dabat, omnes devorandi.

# CAPUT IV.

## *Regnum Macedonum.*

Debellatis bello Punico ſecundo Carthaginenſibus, Romani ut Græcam Monarchiam everterent, a meridie in orientem arma converterunt, primum omnium aggreſſi *Philippum*, Regem Macedonum, quod cum Hannibale icto fœdere, 4000. militum adverſus Scipionem miſiſſet in Africam, atque 200. naves deſtinaſſet in Italiam, ut eandem Carthaginenſibus aſſereret, devictæ vero eorum ope in Græcia & Aſia gentes Macedoniæ accederent, quas ſub unum Imperium collegiſſet Alexander Macedo: quod denique Athenienſes, Romanorum ſocios, opprimeret. Bellum Macedonicum.

Miſſus igitur a Romanis poſt duos alios belli Imperatores, qui minus proſpere rem geſſerant, *Titus Quintius Flaminius* cum exercitu, qui adjunctis ſibi Attali Regis, Ætolorum, Achæorum, & Rhodiorum ſociorum auxiliis, bis Philippum vicit, caſtriſque exuit. Roganti pax data ea lege, ut Græciam dimittat liberam, ſoliſque Macedoniæ finibus, qui ante Alexandrum ejusque patrem fuiſſent, regnum ſuum circumſcriberet: non plures, quam 5000. milites habeat, nec plures quinis triremes: Elephantes omnes, cum captivis dimittat: tributum Romanis pendat: Demetrium filium obſidem iisdem tradat. Pax cum Philippo.

Similiter Conſul Flaminius *Nabin*, qui Spartæ tyrannidem uſurpaverat, ad pacem petendam coëgit. Conceſſa ea conditione, ut omnes urbes liberas dimitteret, & filium fidei obſidem Romam mitteret.

Ætoli. *Ætolis*, genti ad Epirum ſitæ, pax utraque diſplicuit, quod minus, quam ſperaverant, ex ea recepiſſent; quare hoſtes Romanorum ex ſociis effecti, *Antiochum Magnum*, Epiphanis patrem, Syriæ Regem ad bellum, Romanis inferendum, excitabant. Ægre quoque eos habuit, quod Philippus & Nabis non omnino fuerint deleti; ſed alia erat Romanorum ratio ſtatus. Conſtitutum illis erat, Aſiam aggredi. Græci in libertatem erant aſſerendi, ut amicos habeant; abrumpendum bellum Macedonicum, ne cum duobus potentiſſimis Regibus eodem tempore bellum eſſet Romano populo; devicto Antiocho facilem fore Græcorum ſubjectionem arbitrati, prout reipſa poſtmodum evenit.

Bellum Aſiaticum cum Antiocho. Macedonicum igitur bellum excepit *Aſiaticum*, 1. quia Romani omnes civitates, etiam in Aſia, liberas eſſe volebant. 2. Quia Antiochus Ætolorum ſuaſu cum exercitu in Europam venerat, & Græciæ civitates invaſit. 3. Quia Hannibalem in ſinu ſuo foveret, & cum eo conſilia adverſus Romanos cuderet. Arma igitur utrinque expedita. *Lucio Scipioni* Aſiatica decreta provincia, poſtquam frater ejus Scipio Africanus legatum ſe ejusdem iturum promiſerat. Fuſus ingenti prælio Antiochus ille Magnus, orbis terror, ope Eumenis Pergomeni Regis, & Rhodiorum, qui claſſe valebant. Rejectus ultra Taurum Syrus, ampliatum Regnum Eumenis, Rhodiis adjectæ civitates, Antiochus Epiphanes filius ductus Romam obſes. Ætoli caſtigati pacem obtinuerunt, ſed duram: Lucius Scipio, *Repetundarum* poſtulatus, cum in carcerem duceretur, Sempronius Grachus Tribunus plebis, quamvis inimiciſſimus Scipionibus, interceſſit, non paſſurum ſe inquiens, ut is, qui populo Romano Aſiam aperuiſſet, trudatur in carcerem. Dictus fuit Lucius *Aſiaticus*, ſicut Cornelius frater *Africanus*.

pax.

Bellum Macedon. II. Secutum eſt mox alterum bellum Macedonicum cum *Perſeo*, Philippi filio, ex pellice nato, qui fratrem Demetrium peremerat. Cauſæ belli Perſeo, 1. circumſcriptum Macedoniæ regnum. 2. Odium Romanorum. 3. Ingenium inquietum, ac jugi impatiens. 4. Virium fiducia, factusque 26. annorum ab inita pace apparatus ad bellum ingens, & 40000. exercitus. Romanis vero. 1. Vexati Socii. 2. Sollicitati ad arma Reges Syriæ & Ægypti. 3. Aſſidua belli præparatio. 4. Eumenis querelæ. 5. Ferox reſponſum, datum legatis Romanis, necdum omnium dierum ſolem occidiſſe.

Qua-

Quatuor annis ductum eſt bellum fortuna varia. Victi ſæpius Romani. Petiit nihilominus pacem Perſeus, cujus ſpem non alia conditione accepit, niſi & ſe & omnia ſua Romanis permitteret. Noluit victor ita ſecum agi. Quapropter *Æmilius Paulus* Conſul (illius, qui ad Cannas cecidit, filius) venit in caſtra, victumque acie Perſeum capit, Romamque ad exornandum triumphum ducit, poſtquam 12. annis regnaverat.

Cecidit igitur coloſſus ingens, confractaque jacent *Venter* & *Femora* illa *Ænea*: delentur orbis domitores Macedones: pereunt opes, a 40. Regibus ubertim collectæ: contabeſcit in carcere Perſeus: Alexander ejus filius Romæ ſcribæ fungitur officio. Hæc videlicet eſt innata rebus humanis firmitas. O grande nihil!

Exarſit haud multo poſt *bellum Macedonicum tertium*; quippe *Andriſcus* quidam, ultimæ ſortis homo, Perſei filium ſe dicebat, aſſumpto Philippi nomine (unde *Pſeudo-Philippus* nominabatur); plurimos ille non tantum Macedones, ſed & Thraces, alioſque, quibus jugum Romanorum grave erat, in ſocietatem armorum pertraxerat. Captus quidem Antiochiæ a Demetrio Syriæ Rege (cum quo fœdus ambiebat) Romamque miſſus eſt. Sed, quia contemnebatur, negligenter cuſtoditus evaſit, Macedoniam occupavit, aſſumpto ſceptro & corona Regia. III.

Miſſus ad componendum tumultum a Senatu Romano Scipio Naſica; ſed altius res provectas deprehendit, quam ut ſine vi componi poſſent. Miſſus igitur Juvencius cum exercitu: ſed haud procul aberat, ut ab Andriſco totus deleretur. Venit igitur in Macedoniam cum majoribus viribus & conſulari imperio *Quintus Cæcilius Metellus*, qui Andriſcum bis acie victum captumque Romam abduxit, ubi Regi huic ſcenico ſingularis is honor obtigit, quod Conſul Romanus de eo triumpharit. Macedonia in Provinciam Romanam redacta eſt, cum poſt devictum Perſeum libera fuiſſet pronuntiata. Macedonia ad Romanos.

## CAPUT V.

### *Regnum Syriacum & Judaicum. Sub Machabæis.*

Antiocho Magno (Seleuci Nicanoris primi Syriæ Regis abnepotis) quarto poſt bellum cum Romanis anno decedenti, ſucceſſit filius natu major *Seleucus IV Philopator*, qui per patris cladem ad ma-

**Heliodorus.** cram fortunam redactus, *Heliodorum* Solymam miſit, ut pecunias, quarum vim magnam ibi cuſtodiri audierat, raperet, ſed a duobus Angelis flagellatus corruit; nec niſi Oniæ Pontificis precibus vires recipere poterat, Regique retulit, non niſi hoſtem Solymam mittendum.

Poſtquam autem Seleucus 12. annos regnavit, defunctus regnum fratri *Antiocho Epiphani* reliquit, Demetrio filio Romæ relicto, quem pro Epiphane obſidem ſubſtituerat.

Famoſus hic ex ſacris litteris eſt Antiochus, quem Ægyptum invadentem, *Popilius* legatus Romanus circulo circumſcripſit, cum dicto: *hic ſtans delibera*; quo territus, recedens in Syriam, cum in Romanos non auderet, in populum Dei iram exeruit. Solymam expugnat: cives obtruncat, templum expilat, atque in omnes Judæos, ut religionem ejurent, tormentis ſævit. Expulſo *Onia* Pontifice ſanctiſſimo, *Jaſonem* ejus fratrem, vitæ profligatæ hominem, intrudit, qui ritus gentiles introduxit. Sed cum *Menelaus* plura Antiocho promitteret, Jaſone pulſo, Pontificatum, plus offerenti expoſitum, emit.

**Antiochus Epiph.**

Inter alios *Eleazarus*, 90. annorum ſenex, ſeptemque Machabæi Juvenes cum matre tyranni crudelitatem morte fortiſſime ſuperarunt. *Mathathias* vero cum quinque filiis, *Juda*, *Jonatha*, *Simone*, *Eleazaro*, *Joanne*, viris fortiſſimis, vim vi repellendam exiſtimantibus, impiis Edictis ſe oppoſuit. Fugit is e civitate Modin in montes & deſerta, ubi multi ex Hebræis, quos legis & avitæ religionis zelus accenderat, eidem ſunt aggregati. Cum Sabbato ſe non defenderent, mille occiſi ſunt. Unde a Mathathia jubentur, ea etiam die vim repellere, rigorem legis prudenti epikia interpretatus. Nec dubitabat, Judæum, idolis immolantem, interficere, ad exemplum Phinees; quia iſti publica auctoritate ſunt uſi, tanquam Duces populi.

**Machabæi.**

Mortuo Mathathiæ ſucceſſit in Ducis munere *Judas*, *Machabæus* cognominatus, ſacræ, ut Joſue quondam, militiæ archiſtrategus, paternæque virtutis hæres, primum per inſidias, aperto dein bello Syros perſequens; *Apollonium*, *Gorgiam*, *Lyſiam*, *Nicanorem*, *Timotheum*, Antiochi Duces, ſtupenda fortitudine vincit, Solymam recipit, templum expurgat, eaque edidit facinora, quæ Romanum & Spartanum fœdus meruere. *Eleazar* frater Judæ cum Elephantis ventrem diſſecaret, belluæ cadentis pondere obtritus eſt.

**Judas Mach.**

An-

Antiochus, ab expeditione infelici ex Perſia redux, cum Ducum ſuorum clades intelligeret, minarum plenus in Judæam movet, ferro & igni deleturus omnia. At Deus, criminum vindex, morbum tyranno immiſit, viſcerum tormina, vermes, ut vivum cadaver ſpiraret, ac nemo computreſcentis fœtorem ferre poſſet. Agnovit equidem Numinis plectentis manum; ſed cum vera ac ſeria non eſſet pœnitentia, matura falci erat malitia; poſtquam regnavit annis 13. miſerabili morte finita. Antiochi interitus.

Quamvis autem regnum non fuerit ei debitum, ſed Demetrio nepoti, ipſius loco Romæ obſidi, filium tamen ſuum quinquennem, *Antiochum Eupatorem*, ſub Philippi ac Lyſiæ tutela regno admovit. Verum Romani, jam orbis Moderatores, *Octavium* in Syriam ablegarunt, ut regnum pro pupillo adminiſtraret. At vero cum is elephantes cicuratos occidi, & naves, contra pacem, cum Antiocho M. initam, conſtructas, comburi mandaſſet, a *Leptine* quodam occiſus eſt. Syriæ Reges.

Interea autem *Demetrius* (*Soter* cognominatus) Seleuci Philopatoris filius, cui regnum etiam ante Epiphanem jure primogenituræ erat debitum, cum 13. jam annis Romæ Epiphanis loco fuiſſet obſes, regnum paternum repetebat, ſed a Senatu, infantiam Eupatoris rebus ſuis commodiorem exiſtimante, dimiſſionem impetrare non potuit. Quare clam elapſus in Syriam profugit, ubi cum effuſa populi gratulatione exceptus, & Rex ſalutatus eſt. Turbæ.

Ut autem Romanos, ob fugam ſuam & ſceptrum arreptum irritatos, placaret, Eupatorem ejusque tutores occidit, in ultionem Octavii id factum Romam ſcribens, ſimulque Leptinem interfectorem vinctum miſit. Solos quippe Romanos, rerum arbitros, ad quos omnes Reges lites ſuas deferebant, metuendos ſibi crediderat. Præ reliquis vero *Eumenes*, Rex Aſiæ, & *Pruſias* Rex Bithyniæ eorum gratiam prenſabant. Igitur Eumenes, cum bello Macedonico ultimo neutras partes eſſet ſecutus, Romam abiit, ut ſenatui factum excuſaret, a quo frigide fuit exceptus. Pruſias vero humili & Majeſtate Regia adulatione indigna Curiæ Romanæ limina exoſculans, populi Romani ſe libertum dixit. At miſer in regnum ſuum redux a Diomede filio ſuo fuit occiſus.

Porro, ut res Judaicas perſequamur, poſt mortem Epiphanis, ſub Eupatore Lyſias, ab impiis quibusdam Judæis ſollicitatus, cum exercitu in Judæam venit, ubi *Menelaum* Pontificem occidit, & *Alcimum*, non minus ſceleratum, intruſit. Hic cum audiſſet, Regem creatum fuiſſe Demetrium, Antiochiam ad eum profectus, varias

contra Judam & Fratres ejus querimonias propoſuit. Quare Demetrius Bachidem, Meſſopotamiæ Præfectum, cum exercitu in Judæos miſit, quos doloſe circumvenit. Sed percepta Judæ circumſpectione & fortitudine Antiochiam rediit; cum autem Alcimus ac perfidi Judæi non deſinerent afferre querelas, miſſus eſt *Nicanor* cum majore exercitu, ac mandato, ut Judam vinctum ad Regem adduceret. Sed non is erat Machabæus, qui compedes pateretur. Victus ingenti prælio Nicanor & interfectus cecidit, exercitu ejus univerſo aut in acie cæſo, aut in fuga deleto.

Bella cum Machabæis.

Quiete tantiſper Judææ conceſſa, fœdo morbo interiit Alcimus impius; ſummus autem Pontificatus communibus votis delatus eſt Judæ, qui fœdus miſſis legatis cum Romanis & Spartanis iniit. Sed non legimus, quid hæc fœdera Judæis profuerint. Fovebant potius Romani hæc bella, ut mutuis cladibus attritis Aſiæ populis integri ipſi ſupervenirent, omnesque ſubjugarent.

Certe Demetrius, inſuperhabitis his fœderibus, *Bachidem* iterum cum novo exercitu miſit in Palæſtinam. Dilapſis cæteris, Judas cum ſolis octingentis viris iniit prælium adverſus 20000. quorum ingentem ſtragem edidit. Cecidit tamen fortiſſimus Heros magnusque bellator *Judas Machabæus*, Judaicæ libertatis vindex, cum perenni rerum geſtarum gloria.

Judæ obitus.

Cum autem cæſo Juda Bachides per Judæam arma, cædes, ignes circumferret, multique ad eum deficerent, amici Judæ *Jonatham* fratrem ejus in Ducem populi elegerunt. Qui ab ultione fratris ſui *Joannis*, quem filii Jambri perfide interemerant, Principatum auſpicatus, interfectores, ad nuptias procedentes, aggreſſus, grandem eorum ſtragem edidit. Cum Bachide autem bis victo pacem iniit, parta Judææ libertate. Judæos autem impios, qui Demetrio Regi bellum adverſus Jonatham ſuaſerant, occidi juſſit.

Jonathas.

*Hiſtoria Syriæ* ab exceſſu Demetrii adeo eſt implexa & intricata, ut nolim per illam lectoris memoriam fatigare. Antiochus M. (qui cum Romanis bellum geſſit) duos habuit filios, Seleucum, & Antiochum Epiphanem; Seleucus Soter Seleucum Nicanorem, & Antiochum Sidetem. Tres ergo erant lineæ ejusdem familiæ. Perpetua inter eas bella. Jam ex prima, jam ſecunda, jam tertia Principes thronum conſcendere, altero alterum dejiciente, exterisque etiam, uti Alexandro Bala, & Tryphone ſceptrum rapientibus. Nec raro Ægypti Reges ſe miſcebant. Nec minus Cleopatra Ægypti Regis filia, quatuor Regum uxor, turbabat, ut adeo multis annis mera in Syria eſſet confuſio.

Regum Syriæ turbæ.

His

His in diſcordiis ac bellis civilibus quietæ eſſe licuiſſet tantiſper Judææ, niſi Jonathas ſe miſcuiſſet, cum ſua ad extremum ruina. Cum enim *Alexander Bala*, qui Antiochi Epiphanis filium ſe dicebat, adverſus Demetrium Soterem inſurgeret, Jonathas, ampliſſimis ab utroque promiſſis invitatus, Alexandri partes eſt amplexus, quem totius orientis viribus ſuccinctum videbat, memor etiam malorum, quæ Demetrius in Judæam conſciverat. Demetrius, poſtquam Alexandrum vicerat, altero prælio fortiter dimicans occubuit. Alexander autem, cum Ptolomaide nuptias cum Cleopatra celebraret, Jonatham præſentem regiis honoribus eſt proſecutus, indignantibus inimicis, qui eum accuſatum advenerant. Alexander Bala.

Reliquit autem Demetrius Soter duos filios *Demetrium Nicanorem*, & Antiochum Sedetem. Prior ſexto poſt cædem paternam anno cum valido exercitu e Creta, ubi exulaverat, profectus, Alexandrum invaſit; ſed ope Jonathæ fortiter eſſe retuſus. At, cum Ptolomæus Philometor Rex Ægypti cum exercitu veniret in Syriam, Demetrium Nicanorem in regnum reſtituit, collocata ei filia ſua Cleopatra, uxore Alexandri, qui victus in Arabiam fugit, ibique occiſus eſt.

Sed brevis Nicanori erat quies, nam *Tryphon* militiæ Præfectus, eo deturbato, *Antiochum Entheum*, Alexandri filium impuberem throno impoſuit. Jonathas initio adhæſit Nicanori, cumque eum, Antiochiæ in ſede ſua regia obſeſſum, Syri conarentur occidere, miſit 30000 Judæorum Antiochiam, qui occiſis centum Syrorum millibus, Nicanorem Regem liberarunt, & in regno firmarunt. Verum, cum idem Nicanor per ſummam ingratitudinem Judæos cœpiſſet affligere, Jonathas, eo deſerto, ad partes Tryphonis tranſiit, multasque in Judæa civitates occupavit; Nicanor vero a Tryphone & Jonatha victus, fugit in Ciliciam. Tryphon.

At vero Tryphon, mortalium perfidiſſimus & ingratiſſimus, cum vellet Aſiæ regnum ad ſe pertrahere, occiſo Antiocho Entheo, Rege pupillo, *Jonatham* falſis promiſſis Ptolomaidem pellectum occidit. Judæi vero *Simonem* ejus fratrem, qui ſolus e Mathathiæ filiis ſupererat, Pontificem & Ducem conſtituunt. Jonathas cadit.

Tryphon crudelitate & perfidia, qua regnavit, id conſecutus eſt, ut populus ab eo averſus ad Cleopatram, quæ Seleuciæ morabatur, conflueret, eique ſceptrum deferret. Illa, cum vir ſuus Nicanor in exilio degeret, *Antiochum Sedetem*, ejusdem fratrem juniorem maritum quartis nuptiis depoſcit: qui regno admotus Tryphonem victum & corona & vita exuit. Itaque duo deinceps per annos complures Syriæ Reges erant, iidem-

iidemque fratres, & unius uxoris mariti, Demetrius Nicanor apud Parthos captivus, & Antiochus Sedetes: ille jure, hic poſſeſſione.

Simonis fortitudo.

Antiochus, pro more illius gentis, ingratus, in Simonem adverſus Tryphonem ſocium, & Judæam arma convertit. At Simon, quamvis jam ſenex, invicta virtute ſæpius ejusdem exercitus fudit, & in eum ſtatum Rempublicam Judaicam poſuit, ut Salomonica tempora reduxiſſe videretur.

Occiſus.

Interea vero, dum *Simon* ſtrenue Sedeti reſiſtit, & libertatem populi Judaici a Syriaco jugo vindicat, Ptolomæus gener eum ad convivium invitatum cum omnibus filiis obtruncat, *Joanne*, qui abſens erat, ſolo excepto. Miſit quidem parricida ſatellites, qui hunc quoque interficerent; ſed is, declinatis inſidiis, Dux populi & Pontifex creatus, Ptolomæum obſidet; ſed cum matrem ſuam flagellari cerneret, obſidionem ſolvit. (*Finis hic imponitur ſacræ Machabærum Hiſtoriæ.*)

Joannes Hyrcanus.

Occiſo Simone Ant. Sedetes magno cum exercitu rurſus Judæam invaſit, ſed Joannes datis 300. talentis pacem obtinuit, factus deinde in expeditione Parthica Regis Sedetis ſocius.

*Antiochum Sedetem* in hac expeditione ab Arſace victum occiſumque, Demetrium vero Nicanorem regno Syriæ reſtitutum Joſephus Judæus narrat. Juſtinus vero victum Arbacem ſcribit, atque Nicanorem in Syria ad regnum dimiſſum, ut Sedetes Parthiam deſerere cogeretur, ſed hunc in hybernis fuiſſe occiſum, Joanni vero Machabæo *Hyrcani* nomen adhæſiſſe, quod Hyrcaniæ regem quendam ſuperaſſet.

Recuperato regno Demetrius Nicanor, poſt exilium non melior, Judæos rurſus vexavit. Sed expeditione in Ægyptum ſuſcepta, Syria ab eo defecit, & *Alexandrum* quendam *Zebennam* ſibi Regem conſtituit. Quare Nicanor ad domeſticum reſtinguendum incendium accurrens, victus occubuit, bis regno pulſus, diu captivus, ſemper miſer. Joannes vero Hyrcanus has inter turbas res Judææ impigre firmavit, auxitque.

Verum Alexander non diu tyrannidem exeruit; nam ab *Antiocho Grypho* Nicanoris filio victus interiit. Quo minus Gryphus ſocietatem, quam Hyrcanus cum Alexandro inierat, vindicaret, obſtitit *Antiochus Cyzicenus* frater, cum quo diuturno bello de regno contenderat.

Tres quippe fratres uterini, Seleucus, Gryphus, & Cyzicenus, omnes Cleopatræ filii, primi duo ex Nicanore, tertius ex Sedete ſuſceptus, diadema diſcerpebant. Seleucum mater *Cleopatra* occidit, ut

ut regnum Cyziceno aſſereret; idem ſcelus in Gryphum patratura, venenum, quod ei miſcuerat, haurire ipſa fuit coacta, fœmina, conjux, mater, ſi quæ unquam, impia, ſceleſta, nefaria, Ptolomæi Philometeris, Ægypti Regis filia, quatuor Regum, Demetrii Soteris, Alexandri Balæ, Demetrii Nicanoris, Antiochi Sedetis, inceſtuoſa & adulterina conjux, bellorum & parricidiorum fœcunda parens. Cleopatra.

Dum bella iſta fraterna in Syria flagrarent, *Joannes Hyrcanus* Judæam, in libertatem ſemper magis magisque aſſertam, in pace gubernavit, atque ad florentem ſtatum perduxit. *Samariam* quoque ditioni ſuæ adjecit; ſed cum Phariſæorum ſectam exoſus, Sadducæos (qui Angelos & reſurrectionem mortuorum negabant) fovere cœpiſſet, populo ad extremum minus gratus, 31. Pontificatus & Principatus anno vivere deſiit, tribus, quorum memoria celebrior, relictis filiis, Ariſtobulo, Antigono, & Alexandro Jannæo, quorum tutelam commiſit matri. Joan. Hyrc. Samariam ſubigit. Obit.

*Ariſtobulus*, grandium ſpirituum Princeps, ſed ferox & ambitionis typho inflatus, propria matre, ut ſolus imperaret, crudeliter interempta, coronam ſibi impoſuit, *regnumque Judææ* poſt 500. annorum intervallum reſtauravit (cum Judas, Jonathas, Simon, & Joannes Pontificum ac Ducum nomine populum gubernaſſent) Jannæum fratrem carceri incluſit. *Antigonum* charum primo habuit; ſed cum eum, mitioris ingenii Principem, a populo præ ſe amari cerneret, occidi juſſit. Ariſtobulus Rex Judææ. Antigonus tragœdia.

Scena hujus tragœdiæ ita inſtructa eſt. Juſſit Ariſtobulus Rex, ut Antigonum ad ſe accerſitum ſatellites armati exſpectarent: ſi inermis veniret, ſalvum ire permitterent; ſin vero, occiderent. Nihil mali ſuſpicatus, inermis volebat fratrem accedere; ſed inimici ejus, & præſertim Alexandra, Ariſtobuli uxor, miſſo nuntio, perſuadent Antigono, caveret vitæ ſuæ, ſtructas eſſe inſidias. Armatis igitur cinctus, dum ingreditur, confoſſus occubuit. *Ariſtobulus* vero, Divinam ut vindictam cernat, viſcerum morbo periit, vix anno in regno exacto. Ituræos aliosque populos ab eo ſubjectos, Joſephus ſcribit.

Ductus e carcere ad thronum *Alexander Jannæus* frater, fratri ſimilis, hoc eſt, ferox, crudelis, truculentus, degenerante jam Mathathiæ & filiorum ejus illimi ſanguine. Bellis, cum Syriæ & Ægypti Regibus geſtis, infelix, in ſuos immanem exercuit tyrannidem, ſeptuaginta Judæorum millibus mactatis, & octingentis Proceribus in crucem actis. Jugulando tandem feſſus quærit ex Judæis, quid Jannæus tyrannus.

ergo a ſe peterent? reſponderunt una voce: *ut teipſum quoque jugules.* Nec multo poſt ſanguine & vino ebrius interiit, 27. anno tyrannidis, relictis duobus filiis, *Hyrcano* & Ariſtobulo, quorum diſcordiis factum, ut Machabæa familia penitus fuerit exciſa, & rerum ſumma ad Romanos translata; quod poſtea referetur.

Confuſio Syriæ. Eundem exitum jam ante nactæ ſunt perpetuæ Regum Syriæ diſcordiæ. Duo fratres Antiochus *Gryphus* & Ant. *Cyzicenus* de regno contendebant. Victor, primum ille, poſtea victus. Conjuges habebant duas ſorores Cleopatras, quæ mutuis odiis rixisque ſunt interemptæ. Periit quoque Gryphus: 4. reliquit filios, qui omnes diademate caput cinxerunt, & laciniam aliquam regni abſtraxerunt.

Et *Seleucus* quidem, paterna bella proſecutus, *Cyzicenum* victum occidit: *Antiochus Euſebes* Cyziceni filius Seleucum, ejusque fratrem Antiochum interemit: *Philippus* & *Demetrius Eucæres* Gryphi filii partem regni rapiunt, ut adeo tunc tres eſſent Reges Syriæ. Sed Euſebes brevi periit. Eucæres a Judæis contra Jannæum Regem imploratus, gravi eundem clade affecit: dejectus ipſe regno a Philippo fratre.

Profecto ſi unquam fuit regnum turbulentum, & bellis parricidalibus diſtractum, illud certe erat regnum Syriæ, immanibus tragœdiis ſanguinarium. Vix ullus Rex fato ſuo deceſſit, violenta manu aut regno aut vita exuti omnes, ut adeo Syri, turbarum & parricidiorum pertæſi, ad exterum regem reſpicerent. Mithridates Rex Ponti Romanis bellis erat implicitus, Lathurus Ægyptius hoſtis. Igitur omnium oculi in *Tigranem*, Armeniæ Regem, verſi ſunt. 14. Annos is ſatis quiete Regnum Syriæ poſſedit, donec omnia in Romanorum manus ſunt devoluta. (Tigranes.)

## CAPUT VI.

### *Regnum Ponticum ſub Mythridate.*

Poſtquam Syriæ Reges mutuis ſe cædibus contriverant, caput in Aſia extulit *Mythridates*, Ponti ac vicinarum provinciarum Rex, quo nullus (Hannibalem ſi forte excipias) majus pertinaciusque bellum Romanis intulit. Diſſidentibus illis ſociali ac civili bello, Bythiniam *Nicomedi*, & Cappadociam *Ariobarzani*, Romanorum ſociis ac clientibus, eripuit, atque Armeniæ, Syriæ, Perſiæ, & Ægypti viribus ſe armavit adverſus Romanos. Hi legationibus primum rem com-

Bellum cum Mithridate.

componere nitebantur, ſed cum Mythridates, ſimulationibus & fraudibus uſus, pellem non mutaret, ortum eſt bellum graviſſimum, ad 40. annos protractum.

Et primo quidem legati Romani cum contracto ex amicis in Aſia provinciis exercitu obviam procedunt; ſed Mythridates eos acie vicit, caſtris exuit, Duces Romanos cepit, Aſiam potiſſimam occupavit, magno cum honore ubique exceptus, dejectis Romanis inſignibus, præſidiisque ſuis impoſitis. Nec tantum orientales in partes ſuas pertraxit, ſed miſſis in Europam legatis, Græcos etiam & Hiſpanos ſollicitavit, ut jugum Romanorum, toti orbi inhiantium, excuterent. Mithridatis victoriæ.

Quo minus mature ſatis Romani ruenti procellæ occurrerent, obſtabant cruenta illa *Marii* & *Syllæ* bella civilia. Quibus fretus Mythridates, miſſis ad Aſiæ ſatrapas litteris, una die 40000. Italici generis homines occidit.

Electus Romæ decumanos inter tumultus exercitus Imperator *Cornellius Sylla*, Athenas, quæ defecerant, expugnatas militi diripiendas tradidit, gemino prælio, altero ad *Chæroneam*, ad *Orchomenum* altero (præſtantem jungentibus operam Muræna & Lucullo legatis) Mythridatem vicit, atque ad petendam pacem coegit; quam eo lubentius conceſſit Sylla, quod ſe hoſte declarato Romæ, a Mario & Cinna omnia ſus deque verterentur. Conditio pacis erat, ut Mythridates reſtitutis omnibus, quæ abſtuliſſet, paterna hæreditate contentus vivat. Victus a Sylla. Pacem obtinet.

Sylla cum maxima exercitus parte Romam properans, reliquit in Aſia *Murænam*, qui triumphi cupidine Mythridatem aggreſſus, victus eſt; inita tamen pax ob minas Syllæ Dictatoris. Hoc autem mortuo animum ad audendum addidit Mythridati bellum Romanorum cum Sertorio, mare pyratis plenum, Spartanorum tumultus in Italia. Orexin acuit Cappadocia, cujus hæredem Diomedes populum Romanum inſtituit. Hanc igitur, novis ictis fœderibus, invaſit. Muræna.

*Lucullus* conſul miſſus belli Imperator, fame propemodum debellat Mythridatem, acieque victum, ad Tigranem Socerun Armeniæ Regem fugere compellit. Inſecutus Lucullus primum utrumque Regem vincit, dein vero ab iis victus, Mythridati in regnum ſuum redeundi occaſionem reliquit. Senatus autem Romanus, cum pyraticum inſtaret bellum, Lucullum revocavit. Lucullus.

Maribus omnibus mira celeritate per Cnejum *Pompejum* a pyratis purgatis, *Manilius* Tribunus plebis rogationem tulit, ut eidem Lex Manilia.

 Pom-

*Pompejo* bellum Mythridaticum ſumma cum poteſtate committeretur. Suaſit legen eleganti oratione Cicero, tunc Prætor.

Pompeji victoriæ. Pompejus, in Aſiam, cum valido exercitu profectus Mythridatem in Armeniam ad Tigranem propulit. *Tigranes* vero, deſerto genero, Pompejo obviam proceſſit, ſuaque omnia dedidit. Perhumaniter exceptus, regno Syriæ, quod nuper adquiſiverat, ſpoliatus eſt, relicto ei, quoad viveret, avito regno Armeniæ. Syria in Provinciam Romanam tranſit. Præter Parthos, quibus petentibus fœdus confirmatum, & Indos, qui Romanorum arma non ſenſerant, totus oriens illis ſubjectus, ita, ut ad Euphratem & Ægyptum uſque omnia Romanorum eſſent, extrema eorum provincia facta media. *Mythridates* vero, cum veneno enecari non poſſet, ſeipſum confodit, ne veniret in Romanorum manus.

Syria provincia Rom.

# CAPUT VII.

## *Regnum Judaicum ſub Herodianis.*

Hyrcanus. & Ariſtobulus. Eadem prope, ac alia Aſiæ regna, fata ſubiit *Judæa.* Alexander Jannæus, quod dixi, duos reliquit filios, *Hyrcanum* & *Ariſtobulum*, ſub tutela *Alexandræ* matris, quæ novem annis regnum adminiſtravit, ac moriens *Hyrcanum* majorem natu, placidæ & quietæ indolis Principem, Regem dixit. Sed cum is tardioris & obtuſioris eſſet ingenii, *Ariſtobulus* frater junior, in cujus pectore magis calebat ignis, & ſanguis Machabæus ebulliit, ei coronam eripuit, ſibique impoſuit.

Antipater. Adquievit equidem pro genio ſuo Hyrcanus, ſed *Antipater*, gente Idumæus, educatus in Arabia, Herodis pater, vir locuples & verſuti non minus quam ambitioſi ingenii, cum ad regnum Judææ turbatis rebus adſpiraret, fraudibus ſuis Hyrcani ſimplicitatem opportuniorem credidit. Quare non deſiit, Ariſtobulum apud populum, tanquam injuſtum regni invaſorem, exoſum reddere, ipſumque Hyrcanum adverſus fratrem concitare.

Quia autem vires deerant, ad deturbandum ſolio Ariſtobulum, *Aretam* Regem Arabiæ cum exercitu adduxit, qui victum Ariſtobulum Jeroſolymis obſedit. Pompejus Scaurum miſit, ut turbas iſtas componat. Is accepta pecunia in Ariſtobulum pronior, ſolvi obſidionem jubet. Ariſtobulus vero inſignem de Areta & Antipatro victoriam retulit.

Pom-

Pompejus ſubin ambos fratres in Syriam acceſſivit, ibique de Pompejus So-
regno diſceptantes audivit, cumque cauſam Ariſtobuli improbaret, lymam ex-
is Pompejo, in Palæſtinam venienti, Jeroſolymæ portas occluſit. pugnat.
Pompejus autem vi adhibita urbem expugnavit, & duodecim Judæorum millia occidit (Templo tamen honorem habuit) atque ſic dum uterque frater de regno certavit, uterque illud amiſit. Pontificatus Hyrcano confirmatus, ſublato titulo Regio, quem extinctum apud Pompejum Judæi cupiebant: Antipatro autem Judææ adminiſtratio fuit commiſſa. *Ariſtobulus* Rex cum duobus filiis, *Alexandro* & *Antigono*, vinctus Romam perductus, in triumpho Pompeji ante currum actus eſt.

Nam *Pompejus M.* de Aſia ſubjugata magnificentiſſimum Romæ
triumphum inſtruxit. Præferebantur devictorum Regum tituli, My Triumphus
thridatis, Tigranis, Darii, Aretæ, Antiochi Comageni. Currum illius.
præibant quinque filii Mythridatis, filius Tigranis, Ariſtobulus cum duobus filiis viſebantur, grandia Perſiæ & Græciæ Monarcharum monumenta. Ipſe Pompejus, indutus Alexandri M. habitu, curru ſublimis ante omnes eminebat, charus multis, omnibus æſtimatus.

*Ariſtobulus* porro, ex Romana captivitate elapſus, in Judæam Ariſt. occiſus
fugit, ſed captus a Gabinio & occiſus eſt. Idem fatum ſubire co-
actus eſt *Alexander* filius, qui Judæam ſibi rurſus ſubjicere conatus ab Et Alex. fi-
eodem Gabinio cæſus eſt. Reliquit autem Alexander ex *Alexandra* lius.
conjuge ſua, Hyrcani filia, *Ariſtobulum* & *Mariamnem*, quorum deinceps varia erant fata.

Habuit etiam Alexander fratrem juniorem *Antigonum*, ultimum Antigonus
ex ſtirpe Machabæa Regem. Is quippe e vinculis Romanis elapſus, ultimus.
Parthorum ope in regnum reſtitutus, 4. adhuc annis cum Herode & Romanis conflixit, ſed tandem captus, Antiochiæ fuit interemptus: utque tota Machabæorum familia extingueretur, Herodes Hyrcanum, Ariſtobulum hujusque ſororem Mariamnem propriam conjugem, interfecit.

Hæc ut facilius intelligantur, repetenda breviter eſt Antipatri & Herodis Hiſtoria, a quibus omne malum Hebrææ gentis & Machabææ Domus ruina. Et Antipater quidem, poſtquam diſcordias inter fratres, Hyrcanum & Ariſtobulum Jannæi Regis filios concitaverat, tractoque in partes ſuas Hyrcano, ejusdem ſimplicitate, regno inhians, ad ambitionis ſuæ fomentum abuſus eſt. Ariſtobulum vero Regem Pompeji armis eſt perſecutus.

Ad ſtabiliendam autem filiis ſuis poteſtatem, *Phaſelum* Jeroſolymæ, *Herodem* vero juniorem Galileæ præfecit: rebusque ſuis aſtute ac doloſe compoſitis, obiit, veneno, ut creditur, ſublatus. Filii, ut tragœdiæ finem imponerent, quam pater orſus eſt, omni ope allaborarunt.

Solus eorum conſiliis obſtabat *Antigonus*, qui Parthorum auxilio ad thronum evectus, victoriam retulit. Capti *Hyrcanus* & *Phaſelus* in Perſiam ſunt abducti, ubi iſte alliſo ad ſaxum capite interiit. *Herodes* vero ad Arabes profugit, ab his terra prohibitus, in Ægyptum ad Cleopatram, indeque Romam ſe recepit ad *Marcum Antonium*, cujus patrocinium jam ante pecuniis emerat, eique amare, quæ Parthi in Syria & Judæa egiſſent, fuit conqueſtus, idque obtinuit, ut Rex Judææ fuerit declaratus, & decreta in Antigonum vindicta, quod Parthos accerſiſſet.

Finis Machabæorum Regum.

Miſſus Roma cum copiis *Ventidius*, qui, gemina reportata victoria, Parthos Syria expulit. Ab Antigono vero pecunia fuit placatus, ſed *Herodis* artibus & Antonii Triumviri favore, bellum in *Antigonum* a Romanis decretum, tribusque annis geſtum, donec numero ſuperatus, captusque capite plecteretur. Cum eo finem accepit Aſſamonæorum ſeu Machabæorum Principatus, per 126. annos continuatus.

Herodes Rex

Herodes igitur a Romanis, quos adulatione, ſubmiſſione, magnisque largitionibus fuerat lucratus, Rex Judææ renuntiatus, *Mariamnem* Alexandri filiam conjugem duxit. Cum autem metueret, ne Parthi pro *Hyrcano*, qui apud eos captivus detinebatur, contra ſe aliquid molirentur, eundem repetiit, & obtinuit, ut eum cum tota ſtirpe Machabæa poſſit extinguere. Cœpit immanem lanienam ab *Ariſtobulo*, Mariamnes fratre, 17. annorum Juvene, quem, ceu ultimam ſuam ſpem omnes Judæi ſingulari amore proſequebantur. Hunc dum Juvenes in amne luderent, immergi & ſuffocari juſſit, luctum propterea magnum præſeferens. Alexandra mater hæc ad Cleopatram Ægypti Reginam, perſcripſit, opemque poſtulat, Cleopatra ab Antonio, qui Herodem ad ſe Laodiceam evocatum, ſed ſolitis ſuis artibus ſe purgantem, abſolvit, atque in regnum ſuum remiſit, ubi fidem conjugalem Mariamnes in ſuſpicionem traxit, & Joſephum patruum ſuum propterea interfecit.

Occidit Ariſtobulum.

Interea, dum bellum Octavium inter & Antonium geritur, Herodes Antonio auxilia obtulit, quæ ille contra Arabes ire juſſit, a quibus victus eſt primum Herodes, caſtrisque exutus, at mox cladem inferens, pacem petere coegit.

Ve-

Verum cum rediret, triſte nuntium de pugna Actiaca, & clade Antonii, columinis ſui, accepit. Itaque perrecturus ad Octavium victorem, ne umbra domi ſupereſſet, quam timeret, *Hyrcanum* octogenarium, qui ſolus de maſcula ſtirpe Machabæa ſupererat, ſummum ſuum ac patris Antipatri benefactorem occidit. Fuit is optimæ mentis Princeps, quidquid luberet, agi ſecum paſſus. Filius Alexandri Jannæi, novem annos cum Alexandra matre regnavit Pontifex: ea mortua ſucceſſit in regno: pulſus ab Ariſtobulo fratre: reſtitutus a Pompejo: iterum pulſus ab Antigono, captivitatem in Parthia pertulit: redux in patriam occiſus ab Herode, mortalium crudeliſſimo & ingratiſſimo. Sed ambitioni nihil ſacrum. Alexandram autem & Mariamnem, matrem & filiam, quæ ſolæ de Machabæo ſanguine ſupererant, cuſtodia obſervari jubet. Et Hyrcanum

Sic diſpoſitis in omnem caſum domi rebus ad Cæſarem Octavium pergit, nihil boni de ſe ſperans, ob Antonii amicitiam. At ſinuoſa vulpes ita novit caudam aſtute agitare, promittere, rogare, adulari & blandiri, ut confirmato ei regno in amicitiam a Cæſare ſit ſuſceptus. Atque ita triumphans in Palæſtinam & ad genium ſuum rediit, eo barbaræ crudelitatis provectus, ut *Mariamnem* quoque conjugem ſuam, virtutis & pulchritudinis miraculum, & *Alexandram* ejus matrem, Hyrcani filiam, trucidarit, de miſto ſibi veneno falſo accuſatas, furioſis inde agitatus amoris motibus, & extrema pœnitudine. Tantarum cædium magna cauſa erat *Salome* Herodis ſoror, nefaria fœmina, quæ grandi mendacio aures fratris implebat, & ſuſpicionibus agitavit, vilitatem ſui generis ſibi objici poſſe non ferens. Et Mariamnem, Cum Alexandra matre, Salome ſorore incitante.

Quia autem totus ejus ſpiritus ab Auguſto Cæſare pendebat, velut hedera eidem adhærebat. *Cæſaream*, celebrem deinceps urbem, condidit, ejusque nomini dicavit. Ludos, ſingulis quinquenniis renovandos ejus honoribus inſtituit. Filios ſuos Alexandrum & Ariſtobulum, ex Mariamne ſuſceptos, ad eundem ſalutandum Romam miſit, ibique educari & litteris imbui voluit. Viciſſim Cæſar officioſo Regis animo in ſe conſpecto, regnum ejus auxit, eumque honoribus, accuſatores ejus vero vinctos remiſit, ipſeque cum Vipſanio Agrippa genero in Judæam profectus, admirandas Herodis fabricas, & opera publica præſens inſpexit. Cum populo ſe exoſum ſciret, ut amorem ſibi conciliaret, annonæ caritati famique ingruenti remedium attulit. Proſelitus factus, aſſumptaque, in ſpeciem ſaltem Religione Judaica, templum reſtauravit, rituum poteſtatem & privilegiorum confirmationem Judæis impetravit, urbes munivit, nec paucas bonas dotes habuit, quibus multitudini gratum ſe reddere po- Cæſaream condit. Ejus geſta.

tuiſ-

tuiſſet, niſi iſtas & virtutes politicas, barbara crudelitate, ambitione, vaniſque ſuſpicionibus fœdaſſet, & poſt bona intervalla, ſorori obnoxius, ad genium, malamque domus ſuæ gubernationem rediiſſet.

Romam profectus, ut, veneratione ſua Cæſari depenſa, filios Alexandrum & Ariſtobulum, litterarum ſtudiis jam probe imbutos in patriam reduceret. Excipiebatur communi Judæorum lætitia, utpote in quibus & regia indoles, & Mariamnis matris ſanguis Machabæus adhuc emicaret. Herodes pater Alexandro conjugem dedit Glaphyram, Cappadocum Regis Archelai filiam, Ariſtobulo vero Berenicem, ſuam ex Salo[me] ſorore neptem.

At novæ mox in aula illa infelice & ſanguinaria coierunt nubes, in horrendam rurſus tempeſtatem erupturæ. Malorum fons iterum *Salome*, quæ verita, ne animoſi iſti Principes, Mariamnis matris ſuæ injurias perſequentes, de ultione cogitarent, non deſinebat, apud Herodem fratrem de inſidiis eos accuſare, inſtrumento etiam ad hoc uſa *Antipatro*, primogenito Herodis filio, ex Doride ſuſcepto, qui timebat, ne Mariamnis filii in regno ſibi præferrentur, ac propterea eos habebat exoſos, & apud patrem de ſtructis ejus vitæ inſidiis arguebat.

Filios accuſat Romæ. Infelix pater, parricidiorum ſuorum conſcius, accuſatoribus credidit, atque cum filiis *Alexandro* & *Ariſtobulo*, quid ageretur, ignaris, Romam, atque inde Aquilejam profectus, coram Auguſto de nece ſibi intentata eos accuſavit. Stupore attoniti innocui Principes loqui vix poterant. Tandem vero Alexander calumniam ita diluit, ut, hortante Cæſare, pater cum iis in gratiam redierit. Permiſſum autem eidem, ut, cui vellet filiorum, regnum relinqueret. Deſignavit ille ejusdem hæredem Antipatrum, cui ſubſtituit Mariamnis filios.

Domum cum filiis reverſum pulſare non deſiere Salome & Antipater, inſidias identidem in aures Herodis inſuſurrantes. Primi quoque Aulæ Miniſtri in ſuſpicionem criminis vocati, quos Herodes necari juſſit, Alexandrum vero filium in vincula conjici, quem tamen ei Archelaus ſocer reconciliavit.

Et occidit. At malacia iſta majoris procellæ erat prodroma. Nam delationibus non ceſſantibus crudelis pater utrumque filium, *Alexandrum* & *Ariſtobulum*, primum coram Beryto Proconſule accuſavit, dein vero ſtrangulari juſſit, omnibus eorum amicis pariter neci datis. Non equidem machinabantur mortem patris, ſed ob prælatum ſibi Antipatrum offenſi verba quandoque non ſatis cauta in aula delicata ſparſerant, quæ Herodi delata, &, ut fieri conſuevit, immutata & exagge-

aggerata, in animo ſuſpicioſo flammam excitabant, non niſi ſanguine reſtinguendam.

Poſt mortem fratrum *Antipater*, jam omnis, ut exiſtimabat, ſecurus periculi, impotenter adeo ſe geſſit, ut omnibus eſſet odio. Regnum cum patre adminiſtrabat. Sed conſortis impatiens, criminis, cujus fratres inſimulaverat, reus, carceri mancipatus, & in eo necatus eſt, dum Herodes pater cum acerbiſſima morte luctabatur, vivus toto corpore computreſcens, & inſanos inter dolores ſeipſum perimere conatus, a vermibus depaſtus, poſtquam occidit plurimos Judæos, ad 14000 infantes innocentes, ut Deum occideret, atque in viſcera ſua graſſatus, per ſe vel Romanos tres Ariſtobulos, duos Alexandros, Antigonum, Alexandram, Hyrcanum, Antipatrum, Mariamnem, interfecit. Herodis mors.

Hoc ei elogium ſcripſit quispiam: *Herodes Aſcalonita, vultu ferox, animo barbarus, luto & ſanguine maceratus, Protheus, Pſeudo Politicus, cui ad ſummam crudelitatem nihil defuit niſi Deicidium, a quo voluntas non abfuit. Vulpina fraude regnum Judææ invaſit, anno Mundi 3965. regnavit iræ ſervus, juris dominus, fortuna felix, Cyclopea vita infeliciſſimus, anno regni* 40, *vitæ* 70, *Chriſti* 8. *Paulo* ante mortem primarios ex Judæis viros convocaverat, eosque mox poſt mortem ſuam juſſit occidi, ut Judæos, de morte ſua alias gaviſuros, lugere cogat. Similiter in eos, qui aquilam auream, fronti templi in honorem Auguſti appenſam, dejecerant, ſæviit. *Magnus* tamen ab adulatoribus fuit cognominatus. elogium.

Inter 3. filios, qui crudelitatem patris evaſerunt, *Archelaum* teſtamento hæredem ſcripſit, ſed Auguſtus ſingulis partem dabat, quamvis Judæi immediate ſubeſſe cuperent Romanis, propter odium Herodianorum. Archelao deinde in exilium propter ſcelera miſſo, ejus partem Cæſar Syriæ univit, miſſo tamen in Judæam Procuratore, qui Syriæ Præſidi eſſet ſubjectus. *Herodi Antipæ* Galilæa fuit attributa, & *Philippo* Ituræa cum regione Trachonitidis, Abilinæ vero provincia Lyſaniæ extero, ad montem Lybanum regulo: unde *Tetrarchæ* appellantur, videlicet Archelaus, Antipas, Philippus & Lyſania. Philippus brevi obiit, Archelaus & Antipas, Chriſti illuſor, exulare in Gallia juſſi ſunt; Judæa vero ad Agrippam fuit devoluta. Filii. Tetrarchia.

Nam tres, quos dixi, fratres nullum maſculum hæredem reliquerunt; ſupererat autem *Herodes Agrippa*, eorum ex fratre Ariſtobulo, Herodis M. & Mariamnes filio interfecto, nepos, famoſæ Herodiadis frater, Princeps pauperrimus, cui tamen, ſi primogenituræ jure ageretur, regnum debebatur. A ſorore Herodiade aliquamdiu Agrippa I.

ſuſtentatus; cum Antipas ei paupertatem objiceret, Romam fugit, ibique poſt varios caſus ab Imperatore Caligula, in cujus amicitiam jam ante ſe inſinuaverat, Philippi patrui defuncti tetrarchia ipſi eſt attributa. Antipa autem relegato Rex Judææ eſt declaratus. Obiit anno Chriſti 44. regni 7.

Agrippa II. Succeſſit in partem regni filius Agrippa II, Rex Chalcidis, cujus tempore Jeroſolyma exciſa eſt, & tota Judæa in provinciam Romanam reducta: prout alias prolixius referetur.

## CAPUT VIII.

### *Regnum Parthorum in Perſia.*

Perſia ab antiquiſſimis temporibus ſuos Reges habuit; quippe jam trecentis a diluvio annis *Zoroaſtrem* quendam Regem, a Semirami victum memorant. Quæ deinde a Cyro ad Darium Codomannum ſub Perſica Monarchia geſta ſunt, ſupra attigimus.

Alexander M. Dario debellato, Perſiam Grææ Monarchiæ ſubjecit. Poſt ejus mortem tum Syriæ, tum Aſiæ Minoris Regibus centum propemodum annos paruit.

At vero tempore Antiochi M. Syriæ Regis, & belli Punici ſecundi exortum eſt novum in Perſia regnum, a tenuibus initiis potentiſſimum, quod unum obſtitit, ne Romana Monarchia per totam Aſiam extenderetur. Erat illud *Regnum Parthorum*, qui, Juſtino teſte, fuerant Scytharum exules, Aſſyriorum, Medorum, & Perſarum temporibus vulgus obſcuri nominis, poſtremo Macedonibus ſervierunt, ut adeo mirum videatur, quod ad eam pervenerint potentiam, ut, quorum ſervi fuerant, facti ſint Domini, ipſique adeo Romanæ amplitudini, diviſione velut orbis terrarum cum illa facta, terminos fixerint, cæſis non raro Romanis exercitibus, ſoli ex omnibus gentibus illis non ſolum pares, ſed etiam victores.

Origo Parthorum.

Poſt mortem Alexandri M. cum dividerentur provinciæ, nemo Parthos dignatus eſt; unde *Satagenori*, externo ſocio relicti ſunt. Hic autem primum ſecutus eſt Eumenem, Regem Pergami, poſtea Antigonum, tum Seleucum Nicanorem, inde Antiochum Soterem, denique Antiochum Theon, primos Syriæ Reges. At vero Seleuco (Antiochi M. patre) & Antiocho Hierace bello colliſis, Parthi aliique orientis populi aperte a Syris & Macedonibus defecerunt, atque adjunctis ſibi Hyrcanis in regnum coaluerunt.

Regni

Regni hujus Parthici fundator fuit *Arſaces*, latrociniis antea deditus, unde Reges Parthiæ ejus ſucceſſores *Arſacidæ* appellantur. Vicit is Seleucum, ejus vero filius Arſaces II. Antiochum M. Per continuos 14 inde Reges Arſacidas, hæreditario jure ſuccedentes, regnum illud mirifice fuit propagatum, nihil adverſus Parthos, homines barbaros & feroces proficientibus Syris, nihil Romanis, ipſoque adeo Pompejo, qui totum orientem in triumphum ducturus videbatur. Arſaces.

*Craſſus* equidem, inito cum Pompejo & Julio Cæſare Triumviratu, factus Conſul Romanus, ſortitusque Syriæ provinciam, expeditionem in Parthos ſuſcepit; ſed ab *Orode* penitus profligatus, vitam ſuam totumque exercitum in Parthia amiſit, liquato auro in fauces infuſo, ad exprobrandam ei avaritiam, & auri cupiditatem, qua flagrabat, licet ditiſſimus Romanorum eſſet. Uſi victoria Parthi, Armeniam Syriamque, Romanas provincias, invaſerunt, ſollicitati etiam poſt cladem Philippicam a Bruto & Caſſio, miſſo ad eos Labieno, quo Duce Romano deinceps utebantur. Craſſus cæſus.

*Marcus Antonius*, cum Octavio & Lepido Triumvir, ut Craſſi cladem ignominiamque vindicaret, *Ventidium*, legatum ſuum, Ducem clariſſimum miſit, qui bis Parthos acie vicit. Unde Antonius, homo voluptuarius, ut Parthiæ debellatæ gloriam reportaret, cum ingenti exercitu eos aggreſſus, ſed victus, & in turpem fugam conjectus, non multo poſt pugna etiam Actiaca ſuperatus miſere periit. Et Antonius.

Auguſtum etiam Parthi coluerunt, nec ſub reliquis ex ejus Familia Imperatoribus bellum Romanis intulere: tum quod primus æſtus jam deferbuerit, tum quod domi ſatis negotii eis ſuccreverit, parricidalibus odiis ipſam Domum Regiam adeo confundentibus, ut Regnum ad aliam Parthicam lineam fuerit translatum. Ex hac primus erat *Artabanus I. Coſroëm* ejus pronepotem, bello victum, atque ex Armenia propulſum, ultra Tygrin & Euphratem ſubmovit Trajanus, ad tributi neceſſitatem adactum. De Armenia perpetua erat contentio. *Vologeſes*, Coſrois filius rurſus eandem invaſit; ſed lectis Antonini Pii litteris, pudori impar, dimiſit liberam. Rediit ſub Marco Aurelio, Romanumque exercitum inſidiis oppreſſerat. Geſtum inde quinquenne bellum per Caſſium, ejectus Armenia Parthus, captis ad Tygrin uſque urbibus. Trajani victoria.

Ultimus Parthorum Rex fuit *Artabanus III.* circa annum Chriſti 230. a Perſis occiſus, a quo ſic cecidit Parthorum ſeu Arſacidarum in Perſia dominatio, poſtquam ad 400 annos ſub 25. Regibus ſteterat, Finis Regni Parthici.

 rat,

rat, magno Romanorum terrore non modo, ſed etiam damno, iterumque *Perſicum regnum* inſtauratum ab *Artaxerx*, obſcuro genere prognato. Contra Artabanum Dominum ſuum is rebellis, trino prælio fuſum delevit.

# CAPUT IX.

## *Regnum Perſicum reſtauratum.*

Regnum Perſiæ.

Artaxerxes Romanos dein aggreſſus, Armeniam, Syriam, Minorem Aſiam ad Helleſpontum uſque ſibi cedi voluit, ceu provincias ad Regnum Perſiæ pertinentes; verum ad Alexandro Severo Imperatore bello victus, Perſia & Parthia (regionibus conterminis) contentus vivere coactus eſt.

*Sapor* ejus filius, ex Oriente multis cum viribus prorumpens, Italiæ jam imminebat, cum Gordianus Junior, ingenti parta victoria, ultra Tygrin eundem repulit. Sub Valeriano felicius tentavit aleam, nam Armenia & Meſſopotamia non contentus, Syriam quoque ſubegit. Valerianus Imperator poſt plures clades captus, Sapori, equum inſcendenti, incurvatus pro ſcabello ſervire debuit, in cavea ferrea belluæ inſtar ad ludibrium circumductus; tandemque abſtracta cute, toto corpore laniatus, miſere interiit. An Valerianus crudelior Tyrannus in Chriſtianos, an Sapor in Valerianum, jure dubites. Capti grandi numero Romani acerbiſſime habiti; cum foſſa implenda, occiſi ſunt captivi, eorumque corporibus fuit complanata. Perſæ autem ad Helleſpontum uſque omnia ſubjugarunt.

*Sapor II.* immanis Chriſtianorum (16000 mactaſſe dicitur) perſecutor, tempore Conſtantii Imperatoris ſimiliter Romanas in Aſia provincias invaſit. Impetum ruentem ſtitit *Niſibi*, per Jacobum Præſulem defenſa, qui culicum examinibus ſuperbum Pharaonem abegit. Julianus exercitum in intimam Perſidem duxerat, quem perdidiſſet, niſi de cœlo tactus periiſſet, & Jovianus pace copias ſervaſſet, relicta Perſis Meſopotamia.

Alterius multo, quam Sapor, indolis erat *Isdegerdes*, quem Arcadius Imperator, ab hoſtibus undique infeſtatus, Theodoſio filio tutorem dedit, felici magis quam prudenti conſilio. Acceptavit provinciam ſibi delatam, & ſancte adminiſtravit, miſſo Cpolim Antiocho viro ſapiente, qui ſuo nomine tutelam gereret, additis minis,

ſe

ſe armis vindicaturum injuriam, quam pupillo inferre quisquam præſumeret. Hinc quies & alma pax, donec adoleſceret.

Non eadem fides *Warano* ſucceſſori, qui, infenſus Chriſtianis, ſub ſuavi Isdegerdis regimine plurimum in Perſia auctis, profugos ad ſupplicia depopoſcit armatus. Ut honeſta Theodoſio belli cauſa, ſic bellum felix. Ab Ardeburio deletus Warani exercitus pacem & quietem a Perſis peperit.

*Pherozes* Rex XVI. ab Hunnis profligatus, tributum iisdem pendit. Quare Perſæ *Cabadem* ejus filium ſceptro admovent; qui homo cum eſſet turpis, turpem legem tulit, qua uxores communes eſſe voluit. Perſæ rationis ductu ſcelus abominati, Cabadem in carcerem conjiciunt, ac Cydarim in *Zambaſem* fratrem transferunt; quem tamen Cabades, muliebri habitu e carcere elapſus, dolis circumventum, erutis oculis, interemit, atque diadema rurſus invaſit, abrogatis tamen, quas tulerat, legibus, a lege naturæ abhorrentibus. Pacem cum Juſtino Imp. compoſuit, & ab idolis converſus dicitur.

Idem de *Chofroe I.* traditur, Cabadis filio, poſtquam a Belliſario fuit devictus; nam is, invidens Juſtiniani in occidente progreſſibus, ſibique timens, ſollicatus quoque a Vitige Gothorum Rege, Syriam ſubactam ad tributum coegerat. Sed ad pacem rogandam a victore compulſus in Perſiam ſuam rediit. *Hormiſdas* ſucceſſor, cum in plura hominum millia crudeliter ſæviiſſet, in *Chofroe II* filio impium parricidam habuit: poſtquam Baram Ducem, propter bellum in Romanos infeliciter geſtum, muliebri veſte donaverat.

Hic *Coſroes II*, ſi quis alius fortunæ pila, primos regni annos ingentibus ſignavit victoriis. Totus propemodum ſubactus Oriens; Aſia igne ferroque vaſtata; capta Jeroſolyma, cum innumeris Chriſtianis, eorumque 90000 Judæis vendita ad tormenta, cruces, lanienam; ſancta Crux in Perſidem aſportata, & ludibrio habita; Ægyptus & Libya direptæ, expilatæ, devaſtatæ; Carthago 7mo anno expugnata, Chalcedo obſeſſa, Perſa in Europam quoque effuſo, & Thraciam impune pervagante, ut adeo *Heraclio* Auguſto una ſupereſſet Cpolis, eaque infeſtata, pro orbis Imperio.

At ecce manum Numinis, rerumque humanarum, ſurſum deorſum euntium inconſtantiam! *Coſroes* eluctatus ad faſtigium mortalis gloriæ, quo altius aſcendit, hoc profundius præceps ruit. Heraclius, ſpe pacis rogatæ cum ignominia dejectus, fiducia ſola in Deum validus, per ſeptem annos tot tantisque victoriis ſuperbum Perſam attrivit, in Europa, Syria, Armenia, Perſia, omnique late Aſia triumphator, ut fidem ſuperet, vel Heraclium eſſe, qui vinceret, vel

Coſroen eſſe, qui vinceretur. Atque ut nihil ad calamitatem deeſſet, Coſroes Seleuciæ obſeſſus, & a *Siroe* filio, quod *Medarſen* juniorem Perſico Throno deſtinaſſet, captus, vinculis, fame, ſagittis, tergemina morte, crudeliſſime enecatus, tetro exitu grandes victorias fœdavit, vindicante cælo parricidales manus, a Coſroe Hormisdæ patri barbare illatas.

Mira profecto variantis fortunæ indoles! Heraclio primo nihil abjectius, medio nihil fortius, Coſroe primo nihil fortius, medio nihil abjectius, finiente nihil calamitoſius.

Data *Syroi* roganti pax. Crux Sacra Heraclio reſtituta, atque Imperatoris humeris, curru velut triumphali vecta Jeroſolymam, ſed cum prodigio, & Chriſtianæ demiſſionis exemplo.

Ultimus ex Perſica gente & Artaxerxis familia Rex erat *Isdegerdes III.* qui a finitimo Arabiæ Calypha *Omare* victus interiit circa annum 637. Perſia deinde 271 annos ſub Arabum jugo ingemuit.

## CAPUT X.

### *Regnum Calipharum in Arabia, & Perſia.*

Arabia, magna Peninſula, intra mare rubrum & ſinum Perſicum excurrens, dividitur in *Petræam*, *Deſertam*, & *Felicem*. Incolæ ab Ismaele Abrahami filio deſcendere exiſtimantur. Neque ab Aſſyriis, neque a Perſis, Græcis, aut Romanis unquam ſubjugati, ſed proprios Reges habuerunt, qui *Calyphæ* dicebantur. Ælius Largus Dux Romanus equidem ſub Auguſto Imperatore expeditionem in Arabiam ſuſcepit, ſed per deſerta, nemine in conſpectum veniente, fame exercitus ita acciſus eſt, ut Sabo Regi haud arduum dein fuerit, eundem expellere. Hæc prima ultimaque fuit Romanorum in Arabiam expeditio.

Plures autem etiam ſimul Reges diverſis Arabiæ provinciis dominabantur, ut *Nabathei*, ex quibus *Aretas*, ſacris ex litteris notus: *Jemenſes*, *Hirenſes*, *Gaſſani*, *Hagienſes*.

Mahomet deinde natus Meccæ in Arabia, orbis lues, inferni vomica, circa annum 622. ſicut novæ ſectæ, ex Arianismo, Judaismo, & Gentiliſmo conflatæ, ſic novo etiam in Arabia regno fundamentum poſuit. Spurcus quippe hic propheta, inops, ignavus, epilepticus, polygamus, præſtigiis ſuis ita populos dementavit, ut Ismaeliticæ gentis Princeps, Doctor, Legiſlator, Magnusque Prophe-

ta ab iis ſit habitus. Ex Judæis circumciſionem, Dei unitatem, abſtinentiam a carne ſuilla hauſit: ex Chriſtianis Chriſtum, Arianis, Neſtorianis, & Manichæis erroribus dehonoratum, creatum, ſervum: ex Ethniciſmo colendam lunam. Sibi in die Judicii tradendas cæli claves aſſeruit, poligamiam & ſpurcas carnis voluptates conceſſit; per vim armatam ſectam propagandam docuit. Diſputare vetuit, ne fabulæ ſuæ & commenta proderentur. Confectus *Alcoranus*, ſeu codex, in quem ceu ſentinam ſordium, tota hæc tabes conflueret.

Mirum ſane, ex Arabiæ angulo ab impoſtore turpiſſimo potuiſſe innumeros mortales decipi. Arabes hanc peſtem amplexi dicebantur primum *Agareni* ab Agar, deinde *Saraceni* a Sara, per majorem orbis partem diffuſi, cum lugenda rei Chriſtianæ pernicie.

Peculiare vero regnum erexerunt in Arabia, quod anno 622 (a quo Saraceni *Hegyram* ſuam ſeu temporum Epocham deducunt) cœptum, duravit per 636. annos, videlicet ad annum uſque 1258. quo a Tartaris fuit everſum.

Poſtquam Mahomet anno 631. interiit, ſucceſſit ei *Abucbar*, qui ex Mahometis deliriis Alcoranum procudiſſe dicitur. *Omarus*, victo Heraclio Imperatore, Syriam ſubegit, Palæſtinam, cum Jeroſolyma, Meſopotamiam, & profligato Hormiſda Rege, etiam Perſiam; Oſmannus Cyprum, Rhodum, cum parte Africæ. *Aly* gener Mahometis novam Alcorani interpretationem procudit, quam dein ſecuti ſunt Perſæ, Saraceni vero & Turcæ *Omari* interpretationem retinebant, unde pro hæreticis ſe damnant mutuo.

Arabes iſti, etiam Ægypto occupata, novum in ea *Calyphatum* inſtituerunt, qui usque ad annum 1517. perduravit. Cæterum ad hodiernam usque diem Arabia ſcatet prædonibus, rapto aſſuetis vivere, diviſaque eſt in plures principatus aut regna, quorum alia Turcis, alia Perſis ſunt vectigalia, alia vero independente gaudent libertate, variante ſane fortuna, ut, qui poſt extinctam Artaxerxis Perſicam familiam 171. annis dominabantur Perſis, jam magnam partem iisdem ſerviant.

CA-

# CAPUT XI.

## *Regnum Tartarorum, & Turcomannorum in Perſia.*

Poſt Arabes pulſos ex Perſia regnarunt rurſus Perſici generis Reges ex *Darii Hyſtaſpis*, ut fertur, progenie: poſt hos vero *Turcæ*. Hi regno Perſico dejecti un a *Tartaris*, populis videlicet, qui intra Moſcoviam, Perſiam, mare Caſpium, Indiam, & Chinam ſpatioſo terrarum tractu exporriguntur; quæ regio *Scythia* olim, hodie vero *Tartaria Major* appellatur, aut *Aſiatica*, ad diſtinctionem *Europeæ*, quæ ad Euxinum ſita Turcis paret, & a *Chano* regitur.

*Scythæ*, gens ferox & barbara, cruenta cum Perſis, Græcis & Ægypciis bella geſſerunt, in Europam etiam effuſi, novas in ea colonias fixerunt. Duplex in Scythia regnum conſtituerunt, *Sacaum* & *Maſſageticum*. Hoc famoſum reddidit *Tomyris* Regina, quæ Cyrum, orbis victorem, vicit, & occidit. Cum autem Tartari, gens Scythica peculiaris prævaleret, omnes illæ regiones *Tartaria* ſunt appellatæ.

Inter Tartaros autem Reges rerum geſtarum magnitudine eminet *Tamarlanes*, qui plebejo genere ortus, prædonum dein dux, factusque Tartarorum Rex totum propemodum orientem ſubjugavit, capto etiam & pro ſcabello ſubſtrato Bajazethe Tucarum Imperatore (*circa annum* 1370). Anno 1404 moriens regnum Tartariæ inter quatuor filios ſuos diviſit, qui bellis colliſi regnum tandem amiſerunt, ſurgentibus in variis provinciis pluribus Regibus, quorum unus (*Xunchius*) occupato ſuperiori ſæculo magno Sinarum Imperio, retentoque patrio regno Tartarico ad ſummam potentiam eſt provectus. Ejus pronepos hodiedum eſt Sinarum Imperator.

A Tartaris regnum Perſiæ devenit ad *Turcomanniæ* Principes, inter quos memoria dignus eſt *Uſumcaſſanes*, qui præclaras de Turcis retulit victorias ſæculo XV. Hujus nepos *Alvantes*, ultimus ex Turcomannis Rex a *Sophyo Ismael* Perſa bello petitus, & regnum & vitam amiſit anno 1599. Tredecim deinceps ex *Sophyorum* familia Reges (quos Perſæ *Schach* appellant) ſceptro potiti ſunt usque ad annum 1733.

CA-

# CAPUT XII.

## *Regnum Sophyorum in Perſia.*

Sophii Perſiæ Reges ex *Ali*, Mahometis nepote & genero deſcendiſſe dicuntur: qui Alcoranum in multis mutavit, ejusque, quod alias dictum, interpretationem Perſæ amplexi ſunt, contrariam illi, quam Turcæ & alii Mahometani ex Omare hauſerunt, Mahometis Diſcipulo. Obſoletam tractu temporis Ali doctrinam inſtauravit *Ismael Sopby*, primus ex ea gente Rex Perſiæ, Coſſani ex filia nepos, quæ res, in magnum Chriſtianorum commodum, grandes utriusque gentis diſcordias excitavit, bellaque pene continua, providente Numine in oriente hoſtem, ne tota procella Ottomannica in occidentem incumberet. Rex Ismael, tracta valida militum manu materna bona vindicaturus, Armeniam & Meſopotamiam ſubegit; tum vero occupata Tauri, Alventum Perſiæ Regem ejusque fratrem gemino prælio ad internecionem cædit, ſeque ipſum anno 1499. Perſiæ Regem conſtituit. Reliquias autem belli perſecuturus, Babyloniam expugnat, Schirvanos, Georgianos, Churdiſtanos, aliosque vicinos populos ad tributi neceſſitatem compellit. Tantos Ismaelis progreſſus æquis aſpicere oculis non poterant Turcæ. Quapropter bello cum eo commiſſo, ſtrenue ſunt contuſi a Perſis, ut adeo nec pugillum terræ de tot conquiſitis provinciis poſſent abſtrahere.

Obiit Ismael Rex anno 1525. regni 26. æt. 45. poſtquam vitam ſuam glorioſam grandibus ſignavit victoriis. Succeſſit *Thamas I* filius, nec virtute militari nec artibus politicis comparandus patri: unde factum, ut Solymannus II Aſſyriam & Meſopotamiam Perſico ſceptro rurſus ſubtraheret. Cum autem Taurin etiam & Babylonem occupaſſet, ſeque Perſiæ Regem dixiſſet, evigilans animoſa natio, jugum Turcicum alias exoſa, arma corripuit, &, inerti Rege ſtertente, Turcas immani ſtrage profligavit (anno 1535.).

Quies tunc per 13 annos Perſis a Turcis; ſed cum Solymannus Bajazetem filium ſuum, ad Perſas profugum, repetiſſet, illique nollent eundem tradere, anno 1558. recruduit bellum, quo, potenti Luſitanorum auxilio, iterum grandi clade affecti ſunt Turcæ; pax nihilominus coaluit, ea conditione, ut Perſæ Bajazetem interficerent. Quod contra fidem datam & hoſpitalia jura Perſæ fecerunt.

Solymannus obiit anno 1556. Thamas vero 1575. Sedem regiam Tauri, ubi alias erat fixa, Casbinum transtulit. Filium quidem ſuum, tertio loco natum, ſucceſſorem deſignaverat, ſed Regni Principes, cum Codabende primogenitus coronam reſpueret, *Iſmaelem II.* alterum Thamæ filium, e carcere eductum, in quem a patre ob inſidiarum ſuſpicionem conjectus fuerat, throno admoverunt. Duos, quibus regnavit, annos tyrannide exegit, cæſis, quos captivitatis ſuæ auctores ſuſpicabatur. Ut autem certius ſubditorum in ſe animum exploraret, cubili incluſus, mortis ſuæ famam (Uſſuncaſſani exemplo) ſpargi juſſit, hominumque de ſe judicia obſervari: in loquaces autem ſeveriſſime animadvertit. Secundo regni ſui anno, Chriſti 1577. a propria ſorore, inſtinctu Principum, veneno fuit ſublatus.

Procerum precibus coronam tandem acceptavit *Codabende*, ſenior Iſmaelis frater; qui licet iners, in aula cum gynecæo deliteſceret, felicia tamen per Duces ſuos cum Turcis bella geſſit, eosque trino prælio devicit. Obiit anno 1585. relictis tribus filiis, quorum alter alteri cydarim tradidit, ſed parricidio fœde deformatam; nam eodem adhuc anno ſecundus primum ſuſtulit, tertius ſecundum.

Fuit is *Abas I.* rebus domi militiæque præclare geſtis *Magni* cognomentum apud poſteros adeptus, qui Perſiæ Reges, Proceribus ante obnoxios, ſui juris fecit, eo usque, ut vix alius Monarcha tanta poteſtate & auctoritate regeret. Conſtituto firmatoque domi regno, & optimis legibus temperato foras proceſſit, ut ea, quæ pater amiſerat, corpori Perſico rurſus inſerat: & primum quidem in Usbequios Tartaros irruit, eisque, victo captoque Abdulla Rege, integras ad Caſpium provincias abſtraxit, ad Euxinum usque Pontum victricibus armis progreſſus. In Turcas dein converſus, cum Babylone totam Aſſyriam eis atque Meſopotamiam detraxit, ad Arabiam usque & Erythræum protenſa victoria. In mari Perſico Luſitanis Ormum Inſulam eripuit, commerciisque in Indias maritimam viam aperuit. Ne tantum pecuniæ regno exportaretur, eaque Turcæ augerentur, ſevere ſuis interdixit, ne Meccam peregrinarentur: ſed urbem Meſched, ubi grande fanum conſtruxerat, ſubſtituit. Obiit anno 1629, regni 45, ætatis 63.

Magnas virtutes crudelitate fœdavit, qua non modo primores regni, & inter eos ſuum moderatorem, ſed proprios etiam filios ob vanam inſidiarum ſuſpicionem, oculorum uſu privatos ſuſtulit, unde Sefium nepotem nominavit ſucceſſorem, Principem truculentum, qui omnes crudelitate ſuperavit. Viribus ſæviendo exhauſtis interiit anno 1642, regni male geſti 12, imprudentia & inertia geminam

regni clavem amiſit, hinc *Babylonem*, a Turcis ereptam, inde urbem *Candahar*, quæ Magni Mogolis Imperio fuit adjecta.

Vitia patris emendavit filius *Abas II*, quo nullus virtutes Iſmaelis I, & Abæ I, propius attigit. Pater ebrius eum excæcari juſſerat, ſed miniſter inſonti ætati pepercit; cæcum tamen ſimulare debuit. Regnum adeptus Mogoli victo Candaharum eripuit. Chriſtianos amavit, & protexit. Obiit anno 1666. ſubditorum amor, hoſtium terror. Quo mitius enim ſubditos habebat, eo promptius & liberalius neceſſitatis tempore ſuccurrebant.

Succeſſit filius *Seleiman*, homo barbarus, qui regni cura abjecta, totum ſe ſpurcis voluptatibus & hominum lanienis tradidit, atque hoc pacto Sophyorum imperium diligenter ad ruinam præparavit. Obiit magno Perſarum gaudio anno 1694.

# CAPUT XIII.

## *Revolutio ultima Perſiæ.*

### Articulus I.

*Regis Huſſein ruina. Coronæ in Agvanos translatio.*

Seleimannus duos reliquit filios, Abam primo natum, præclaris animi, & ad regendum aptis dotibus inſtructum, atque *Huſſeinum*, bebetem & inertem hominem. Evnuchi, qui erant a cubiculis, apud quos magna erat poteſtas, hunc promulgarunt Regem, ut ipſi regnum pro libidine verſare poſſint. Quod intenderant, obtinuerunt, vino & mulieribus formoſis, quas ipſi adducebant. His, ſepoſita omni regni cura, captivum illum tenebant, regnum vero in ſummas calamitates præcipitabant, ut adeo Regem regnumque, Agvanorum irruptioni ferroque objicerent.

Erant autem *Agvani* Chriſtianus olim Albaniæ ſeu Schirvani ad mare Caſpium populus liber, quem Tamerlanes poſt plura bella ſubjugavit, atque in extremam ad Mogoriæ & Perſiæ fines regionem tranſtulit, & ad Mahometiſmum compulit. Urbs princeps *Candahar* toti provinciæ nomen dedit. Libero illa Principi parebat, donec Abas M. ſibi vectigalem fecit. Cum Rex Sephi fureret & immanem tyrannidem exerceret, *Alimerdan* Princeps Mogoriæ Imperatori cum ur-

urbe Candahar ſe ſubjecit. Abas II. eandem ad regnum reduxit, cui deinceps ad annum usque 1709. unita manſit.

Sunt Agvani gens barbara, Tartarorum inſtar, a politis Perſarum moribus procul recedens, victu crudo & obvio, cultu corporis aſpero & hirſuto, ſed ad arma nata, belliſque durata, quo in genere molliores Perſas multum ſuperat. Cum prælium ineundum, audaciſſimi atque fortiſſimi in prima ſtant acie, & incredibili cum ferocia in hoſtem irruunt, ut ejus compagem diſſindant, tum vero in ultimos ordines recurrunt, & diſtrictis machæris in hoſtem ſuos urgent, trucidantque eos illico, qui pedem referunt; ut adeo nullus ſit fugæ locus, ſed vel vincendum vel moriendum; unde non adeo mirum, manipulum hominum, qui tali ſunt diſciplina, totam Perſiam potuiſſe ſubruere, præſertim ſi miſerandus Perſiæ ſtatus ſub Regentium ſimulacris, ſi ſpadonum impotens dominatus, ſi proditiones, & proditionum vaferrimus architectus conſiderentur.

Fuit is *Mirrwaiſius*, famoſum in hiſtoria ultimæ revolutionis Perſicæ nomen, qui ſi quis unquam mortalium ingenio vafro & verſuto, in omnes partes verſatili, & ad fallendum prompto imbutus, totam tragœdiam, ſua implexam cataſtaſi, inſtruxit. Agvanus erat, tributorum in provincia Candahar pro Rege collector, ſuſpectus de fide, miſſusque propterea Iſpahanum a Georgicano Candahariæ Principe Perſas ita artibus ſuis dementavit, ut fidiſſimum, regnique amantem Regis ſubditum omnes crederent: utque probitatem etiam apertius præſeferret, cum (ſicut Agvani cæteri) Turcicam Omari Sectam profiteretur, Meccam peregrinationem inſtituit, ubi cum Popis telam, quam orſurus erat, deliberatione contexuit.

Redux Iſphanum, cum Moſci timerentur, Candahariam miſſus, delapſus velut de cœlo genius excipiebatur ab Agvanis, popularibus ſuis, de gravi, quo premerentur a Perſis, jugo amare queſtis. Oleum flammæ affudit Mirrwais; luſum ſatis ſuo corio, inquiens; non tolerandum ultra Perſarum faſtum: contemptui haberi Agvanos viros fortes ab imbelli ſpadonum, quæ regnum aulamque pro libidine verſaret, turba. Ab ore proditoris pendebat gens, eumque ceu patrem patriæ venerata, illius arbitrio ſe permiſit. Georgicano autem Principi, qui Regis nomine Agvanis dominabatur, ſimulata amicitia blandiebatur, teſteſque ab aula litteras producebat, quibus juberetur, Agvanos adverſus Moſcos, quos Perſiam invaſuros mentiebatur, armare, ut Regi ſuccurrant. Conſenſit Princeps. Duo Agvanorum millia armantur a Mirrwaiſio, Principemque ad caſtra ſua viſenda invitavit.

Ac-

Acceſſit ille cum 400. equitibus, Perſis & Georgianis, qui omnes cum ipſo Principe juſſu Mirrwaiſii perfidiſſime ſunt ab Agvanis cincti ac trucidati; atque ut tanto ſceleri præmium reſponderet, Agvani, qui longe alio corporis habitu utebantur, Georgianorum Perſarumque, quos occiderant, veſte induti, *Candabariæ* imminebant. Præſidiarii, exiſtimantes Principem Georgicanum cum ſuis comitibus, quorum ſpeciem præferebant, ultro eis portas urbis aperuerunt. Agvani igitur ingreſſi, quidquid Perſarum, aut Georgianorum obviam habebant, barbare peremerunt, atque hoc ſcelere potiti ſunt munimento, cui ſimile tota non habet Perſia. Per reliquas dein provinciæ partes circumlatus furor, extinctumque quidquid Perſici erat generis (*Anno* 1709.)

Mirrwaiſius, totius tragœdiæ ſtructor, dictus liber Candahariæ Princeps, abjecto omni erga Perſiæ Regem obſequio. Miſit quidem Aula Perſica adverſus rebelles copias, ſed propter defectum annonæ, & inter Perſas & Georgianos diſcordias, ac præſertim propter aulicos Iſpahenſes, in diverſas partes abeuntes, quarum una favebat Mirrwaiſio, nihil proſpere actum eſt, ſed regii exercitus, Candaharum obſidentes, ter victi cum dedecore receſſerunt. Agvani vero proſperis ſucceſſibus elati in vicinas Perſiæ provincias irruptiones ſuas & rapinas extenderunt.

Mirvaiſius ſæpius victor, victus nunquam, ſexto imperii ſui anno, 1715. videlicet, artes ſuas politicas & militares, ſeu potius fraudes, communi mortalibus fato, ſepelivit. Agvani vero *Abdullam* ejus fratrem, cum filii Mirvaiſii pupillari eſſent ætate, Principem Candahariæ & tutorem elegerunt. Pacem ille cum Perſis per legatos componere voluit. Quapropter a pupillo nepote ſuo *Mirrmagmud* fuit interfectus, qui princeps deinde ab Agvanis fuit renunciatus, ſacſi parricidio merces tanta deberetur.

Surgebant interea plures Perſiæ fatiſcentis hoſtes, tum exteri, puta, Usbecenſes Tartari, tum interni, variis provinciis jugum excutientibus, idque propter perpetuas aulæ factiones. *Alicanus*, Georgiæ Princeps, ſupremus armorum Præfectus, qui Mirrmagmudum prælio vicerat, eique Kirmanum eripuerat, ſolusque cum Georgianis ſuis, viris fortiſſimis, Perſiam ſervare poterat, ab officio fuit depoſitus, totaque natio alienata. Conſtituti quatuor Duces, inter ſe diſcordes, & ex parte proditores patriæ, quos Machmudus cum ſuis Agvanis, aliisque, qui ſe eidem conjunxerant, facile prælio decretorio vicit, cum aliqui vinci vellent.

Propius deinde Agvani propiusque Iſpahano imminebant. Occurrebat illis *Zulfa*, ſemi hora diſtans urbs, quam ab Abæ M. tempore Chriſtiani, cum liberrimo Religionis exercitio, incoluerant, Armeni potiſſimum], ac præterea Galli, Angli, Hollandi, aliique Europæi, tractantes mercaturam. Ditiſſimum hoc emporium, a Perſis penitus deſtitutum, expugnarunt Agvani, & crudeliter expilarunt. Ingentes inde collectæ opes, quibus reliquum belli perſequi poterant.

A Zulfa recta itum ad Iſphanum cum 60000 armatorum. Urbs illa Perſiæ Princeps, Cpoli magnitudine par, ita fuit corona cincta, ut neque ingredi nec egredi quisquam poſſet. Unde cum frequentiſſimus in urbe eſſet populus, tanta fames ingruit, ut ad infandos quosque cibos eundem compelleret, multaque hominum millia abſumeret. Ex copiarum Perſicarum Ducibus plures cum hoſte conſpirabant. De tam vaſto Imperio non niſi rari manipuli colligi poterant, qui ab Agvanis ſæpius ſunt cæſi. Quare *Tamas* tertio genitus Regis Huſſeini filius (duobus ſenioribus in *Haram* ſeu palatio recluſis) ſucceſſor in regno declaratus, ad colligendum exercitum miſſus, quo obſidionem ſolveret, vix unam ex provinciis fidam invenit. Adeo nempe aulæ factiones & ſpadonum inſolens dominatus Regem inertem exoſum reddiderant.

Interea fames extrema Regem compulerat, ut Iſpahano egreſſus, ad Agvanorum caſtra ſe conferret, & Machmudo humili geſtu ſe regnumque ſubjiceret, quod per 28. annos ſegniter geſſerat. Manſuefactus tanta ſubmiſſione tanti Regis barbarus, magna benevolentiæ & amicitiæ ſignificatione eundem excepit, & cum filiam ſuam eidem Rex ſponſam promitteret, velut parentem coluit, Regiam tamen poteſtatem ſibi arrogavit.

Dedita mox urbs Iſpahan Agvanis, (*anno* 1722.) feſtivumque in eam ingreſſum Magmudus adornavit, poſtquam per plures menſes fuerat obſeſſa, obſtupeſcente orbe univerſo, quod unica provincia, eaque extrema, nulla arte militari imbuta, nulla ad oppugnandas urbes machina inſtructa, ſed ſola ſua ferocia freta, tantam urbem Imperiumque ſubvertere potuerit. Verum ſi attendantur Regis, cum mulieribus in palatio deliteſcentis ignavia, ſpadonum & aliorum aulicorum factiones, præſtantium fidorumque belli Ducum exauctoratio, proditiones fraudesque, non admodum mirabitur, cum his artibus magna non raro ſubverſa ſint imperia.

Ar-

## Articulus II.

### *Magmudi Regnum.*

Magmudus novus Perſiæ Rex, conſcenſo throno, edicto vetuit urbem diripi, atque ut juſtitiæ ſpeciem præferret, omnes patriæ ſuæ proditores interfici juſſit, eo uſus argumento, qui Domi o ſuo fuiſſent ini di nec ſibi fore. Perſas & Agvanos nullo diſcrimine publicis mu eribus præfecit, ut hi ab illis diſcerent, atque in fide eos continerent.

Fortunæ rotam clavo fixiſſe ſibi videbatur Machmud, cum triſte de cæſis ſuis copiis nuntium accepit. Nam Casbinum, verterem in P rthia urbem regiam, in qua Princeps *Tamas* verſabatur, quem unum f rmidabat, (nam patr m, & duos ſeniores ejus filios habebat in poteſtate) octo Agvanorum millia miſit, ut locum cum Principe interciperent. Certior Tamas de adventu hoſtis Taurin profugit; urbs vero ultro portas aperuit. At vero cum Agvani vellent eandem expilare, adunati cives, cæſis 4000, reliquos in fugam conjecere. Ispahani vero ita trepidatum eſt, ut, ſi inſecuti fuiſſent Perſæ, Agvanos fuiſſe fugam capturos, crederetur.

Timebat certe ſibi vehementer Magmudus; quapropter anno 1723. trecentos Principes ac nobiles Perſas una die, ad convivium invitatos, barbare trucidari juſſit, ne motum ciere poſſent: altera die totidem nobiles adoleſcentes eandem lanienam ſubire coacti ſunt. Necdum ſatiata rabies, tria Perſarum millia de militia Perſica, quæ fidem ei juraverant, mactavit: denique in omnes, ad arma portanda, habiles eadem tyrannis eſt graſſata: utque fucum eidem oblineret, hos omnes adverſum ſe conſpiraſſe finxit.

Verum ſanguinaria hac atrocitate aliud non obtinuit, quam ut Perſarum animos, prima humanitatis & juſtitiæ oſtentatione aliquantum delinitos, in ſe exacerbaret. Tum enim Provinciæ urbes ſuas intentiore ſtudio munierunt; nam præter Ispahanum paucas obtinuerat, easque non forti aggreſſione, non virtute, non arte militari, ſed longa obſidione, fame, fraude & proditione ipſorum Perſarum.

Hæc cum Agvani in Perſia agerent, Princeps *Tamas*, quem Casbino Taurin in Mediam fugiſſe diximus, collectis patris clientelis, in Georgiam irrupit, ut Wachtangam Principem, præſtantem bello virum, ſed ab Huſſeino propter acceptam injuriam alienatum, ad conjungenda ſecum adverſus Magmudum arma cogeret. At ſupervene-

venere Turcæ, piſcaturi in turbido, qui totam Georgiam, Perſis antea vectigalem, occuparunt: ſed cum Taurin in Media oppugnarent, ope Armenorum a Principe Tama cum ſtrage repulſi ſunt. Verum Turcæ ad Amadanam vices ei reddiderunt. At ille verſis in Agvanos armis, pugna eos vincit.

Per totam Perſiam arma tunc circumducta. Agvani, Turcæ, Tamas, Georgiani, Armeni, variique Perſiæ Principes contendebant inter ſe, quis majorem proſtrato corpori laciniam abſtraheret.

Magmudus equidem non paucas victorias retulerat, ſed tandem perfida eum fortuna deſtituit, nec eum viſa eſt extuliſſe ad rerum faſtigium, niſi ut profundius dejiceret. Pluribus victus præliis, cum res ſuas in dies in deterius vergere cerneret, actus in furorem, omnes Regis Huſſein filios, quorum multos habebat, fratres, & propinquos, quos in palatio, quod *Haram* appellant, cuſtodiebat, interfici juſſit. Cum laniena ad duos teneræ ætatis Principes regios perveniſſet, illi in ſinum patris Huſſein convolantes, ab illo brachiorum amplexu ſtricti, & talari veſte obvoluti ſunt. Cum carnifex nihilominus vibraret acinacem, Regis patris brachium graviter vulneravit. Exoritur ingens mulierum clamor, & ejulatus. Accurrit Sultanus Magmud, videt defluentem cruorem ex brachio Regis & Soceri ſui (ejus quippe filiam conjugem habuit) deventum eo, ut Rex, occiſis filiis, fratribus, propinquis ad centum capita, gratiæ generi debuerit vitam duorum filiolorum.

Tandem Magmudus mente captus, ſimulque graviſſimis animi corporisque doloribus vehementer afflictus, rebellionis ſuæ ac tyrannidis pœnas dedit; nam cum regendo Imperio eſſet impar, Agvani elegerunt ſibi Regem *Esreffum*, Magmudi patruelem, Abdullæ, quem idem Magmudus interfecerat, filium. Esreff igitur throno Iſpahani impoſitus, in ultionem paternæ cædis, primo quod dederat, mandato, Magmudi caput ſibi afferri juſſit. Amputatum illud eſt anno 1725. poſtquam infelix Princeps triennio tumultuavit; vitæ annos non amplius 26. complexus. Indolis fuit ſævæ, ambitioſæ, præcipitis, ſed cibi potusque temperans, & raro in ea gente exemplo caſtus, una uxore, Huſſeini Regis filia, contentus.

Ar-

# Articulus III.

## *Esreffi Regnum.*

Esreff alteram Huſſeini filiam duxit; eum gener non modo ut ſocerum, ſed ut patrem colebat; atque, ad ſpeciem ſaltem, eidem coronam offerebat, quam ille detrectavit; vulpem ex cauda notans. Improbavit quidem Rex novus crudelitatem Magmudi, qua regiam familiam ferme extinxit, nihilominus tamen ab eadem ſuum orſus Imperium, omnes Magmudi proditores aut capite multavit, aut perpetuis carceribus, ut eorum bonis diteſceret, & alios a ſui proditione abſterreret. Plures etiam ex Agvanis occidit; cum enim in Principatu Candahariæ frater Magmudi, quem interfecerat, ſucceſſiſſet, illis diffidebat.

Tres autem potiſſimum habuit hoſtes, Principem Tamas, qui cum decem circiter millibus Perſiam oberrabat: Turcas, qui occupata Tauri, Erivano, Georgia & Armenia, tres exercitus Perſiæ infundebant, pluribus urbibus in poteſtatem redactis. Moſci, tanta Turcarum incrementa haud æquis oculis poterant aſpicere, ſed in partem prædæ venire volebant: quapropter regionem, quæ ad maris Caſpii littora a regno Aſtracano per provinciam Schirvanam ad fines Gilanos & Mazandranos extenditur, ſubegerunt. Tamas omnia ferme amiſit. Sola prope inermia jura ipſi aſſiſtebant. Hinc omnes tres cum ipſo paciſci volebant, ut ex contractu ſaltem aliquod bonorum raptorum jus ſibi conquirerent.

Esreff neminem magis quam Turcam formidavit; quare miſſis Cpolim legatis pacem petiit; ſed Ruſſo ſe opponente, remiſſus eſt, & Esreffo ex ſolenni formula bellum indictum. 70. Turcarum millia in ipſa Perſiæ viſcera penetrabant, & Casbino capto Iſpahano imminebant. Verum Esreff rei militaris expertiſſimus, tanta ſolertia cibaria & annonam ipſis, facta ſolitudine, ſubtraxit, & non raro loco opportuno ſubito impetu in eos irruens, tanta damna intulit, ut accedente lue peſtifera ad paucitatem redactus exercitus, deſerta Perſia, in Georgiam usque recedere fuerit coactus: atque ſic expeditio anni 1726. finiit cum Esreffi gloria & Turcarum dedecore.

Cum igitur Sultano arduum omnino eſſet, Esreffum ſubigere, pacto cum Moſco convenit, ut retentis iis, quæ uterque de Perſica ditione occupaſſet, juncta opera, Esreffo dejecto, Tamam Prin-

cipem paterno throno reſtitueret. In quæ pacta Tamas iu hoc rerum ſuarum articulo facile conſenſit. Non legimus tamen, Moſcum in ejus gratiam quidquam tentaſſe.

Turca vero anno 1727. alteram in Perſiam expeditionem ſuſcepit, quæ felicior non erat prima; gemino quippe prælio fuſus ab Esreffo, pacem, quam hactenus reſpueret, obtulit. Quam ille lubens conceſſit in hos articulos.

1. Esreffus in poſſeſſione Perſici throni maneat, ſub titulo, quemcunque aſſumere eidem placuerit.

2. Sultanus approbat matrimonium Esreffi, cum filia depoſiti Regis Huſſein initum, ac Principes ex eo natos ceu legitimos coronæ Perſicæ hæredes agnoſcit.

3. Turca hoſtibus Esreffi nulla ope aſſiſtet.

4. Sultanus in poſſeſſione urbium & provinciarum, quæ de regno Perſiæ decerpſit, quietus maneat.

5. Esreff æneas machinas, Turcis ablatas, reſtituet.

6. Turcæ & Agvani, ceu ejusdem *Sunicæ* religionis conſortes fratresque mutuo ſe colant. *Nota. Quamvis Agvani non minus quam Turcæ Mahometis Alcoranum & Omari interpretationem ſectentur & ſic cum eis Sunicam religionem profiteantur; quia tamen Agvani plures ſuperſtitiones Indorum Ethnicorum admixtos habent, Turcæ eos ceu hæreticos averſantur, multo vero magis utrique Perſas, Ali ſectatores.*

7. Sultanus dat veniam Delyo, qui cum ſuis Tartariæ minoris copiis Esreffio acceſſit, & adverſus Turcas pugnavit.

8. Mox conſtituantur, qui fines utriusque Imperii determinent.

Hac pace compoſita, cum alios hoſtes Esreffus non admodum timeret, ad politicas regnandi artes converſus, Imperium conſtituit, atque imprimis ordinem prærogativæ ſeptem gentibus deſignavit. Primum locum dedit Agvanis, Perſiæ victoribus: ſecundum Armenis Chriſtianis propter eorum potentiam & divitias: tertium Bergeſinis, Ispahanum deductis, quartum Multanis, Mogoricæ originis hominibus, in Perſiam translatis, a quibus etiam Agvani deſcendunt: quintum Gauris gentilibus, Perſarum inimicis: ſextum Judæis: ultimum Perſis in pœnam faſtus & crudelitatis, qua hactenus alios oppreſſiſſent, ſeque dignos reddidiſſent, ut a primo gradu dignitatis ad ultimum deſcenderent. Neque nominalis duntaxat erat hæc prærogativa; nam ii, qui poſteriori erant ordine, decedere ubique e. g. in itinere debebant prioribus, iisque ſubmiſſam venerationam exhibere.

Ar-

## Articulus IV.

### *Principis Tamæ Regnum & Kulicani.*

Perſæ hoc Decretum inique ferentes in iis locis, quos perrumpere nondum Esreffus potuerat, pertinacius reſiſtebant, atque ad Principem Tamas reſpexerunt. At ille, a Turcis per nuperam pacem deſertus, a Moſcis quoque, ſuccurrere aut non potentibus, aut, ne Turcam irritarent, non volentibus; Perſis per Esreffi potentiam oppreſſis, nihil reliquum habuit, niſi ut a Tartaris Bockarenſibus, & Mogoriæ Imperatore auxilia peteret. Conceſſit ipſe, ad Magnum Mogolem ſupplex; cumque in aula illa diutius verſaretur, diu neſcivit Europa, quo devenerit.

Coacto ex Tartaris & Mogoribus exercitu anno 1729. ductore *Kulicano*, præſtanti ſuo milite, in Perſiam rediit, ubi multi Perſæ, ab Esreffo contemptim habiti, ad eum defecerunt. Mutata tunc rerum facies. Fuſus a Kulicano pluribus præliis Esreffus, provinciæ certatim ad Tamam rediere. Ipſum Ispahanum ab Agvanis deſertum, occupavit Tamas, & paternum thronum conſcendit. Esreffus vero rurſus a Kulicano victus, atque ab omnibus derelictus, capta, ut fertur, in Turciam fuga, non amplius comparuit; alii in Candahar ab agnato ſuo interemptum referunt.

Rex Tamas, recuperata Perſia, a Turcis & Moſcis eas urbes & provincias, quas turbatis rebus decerpſerant, repetiit, nullam cum iis pacem inire certus, niſi omnia in integrum eſſent reſtituta. Igitur Kulicanus anno 1730 valido cum exercitu in Mediam irrupit, cæſisque Turcis, Taurin obſedit, cepitque, uſus in rem ſuam tumultu, Cpoli orto, quo Achmetes III. Turcarum Imperator a Janitſaris fuerat depoſitus, Babylonem usque, quam oppugnavit, victorias ſuas eſt proſecutus. Mox victis iterum Turcis Erivanum & Tiflin eripuit.

Factis cum Turca induciis, reliquias rebellium Kulicanus domuit, & inter illos etiam Agvanos, cum ſuo Principe, Mahmudi Regis, ab Esreffo interempti, fratre, altero Mirvaiſii filio. Expugnata urbs *Candahar*, quæ invincibilis credebatur. Inventa ingens auri gemmarumque vis ac rerum pretioſarum theſaurus incredibilis, quem Agvani ex omni Perſia collectam in provinciam ſuam deportaverant. Mahmudi frater, qui Candahariæ principatum invaſerat,

captus; filius Mahmudi gratiæ victoris ſe permiſit, Agvani milites in Perſicam militiam adlecti.

Kulicanus, totam ſibi Perſiam ſubjeciſſe, eique ſumma poteſtate dominari non contentus, in Magni Mogolis Imperium irrupit, captaque Kabulo celebri illius urbe, per omnem Indiam terrorem ſparſit. Interrogatus ab Imperatore per legatum, quid veniret, urbemque interciperet, reſpondit, ad ſalutandum Mogoriæ Imperatorem ſe venire; quæ ſalutatio ſi ipſi minus ſit grata, proventibus omnibus unius anni redimeret. Quanta dein in Mogoria Kulicanus geſſerit, in Mogoricis referemus.

Cum immenſis opibus redux in Perſiam, Iſpahanum triumphans ingreſſus eſt, Perſiæque ſuprema atque independente cum poteſtate, inani Regis titulo Tamæ relicto, imperavit. Excellens quippe belli experientia, fortitudo, magnanimitas, favenſque perpetuo fortuna, ſummis eum heroibus accenſuit. Perſas Agvanorum mancipia a ſervitute manumiſit. Tamam ſolio paterno impoſuit, rebelles ſubjugavit, & ex dominis ſervos fecit: Turcam & Tartarum domuit, Moſcum cohibuit, Mogorem throno dejecit, regnumque precarium ſibi debere coegit, palmas & lauros per tot victorias ubique metens, omnibus Perſici nominis hoſtibus terrorem injecit, Perſis vero ſuis æſtimationem, timorem, reverentiam, amorem, obſequium vel extorſit vel impreſſit, ut adeo, qui non erat Rex, ſupra omnes ante eum Perſiæ Reges, nemine ne Rege quidem contra ejus imperia vel mutire auſo, poteſtate & authoritate emineret.

Religioni Catholicæ plus favit, quam Perſicæ; nam illam adverſus Schiſmaticos Monachos Armenos, qui ſufferre non poterant Miſſionarios Catholicos, per regnum Perſiæ diſperſos, atque per eos Fidelium numerum identidem augeri, & quidem ex ipſis Armenis, contra omnes pecunias ab hæreticis ſibi oblatas fortiter protexit; hanc vero pene in exitium dedit. Nam, cum Turcæ, prout alias notum, *Omaris*, Perſæ vero *Ali* interpretationem Mahometis ſequantur, & Omarum diris devovere conſueſſent, Kulicanus Omaris reprehenſionem ſevere prohibuit, ejusque ſectam Perſis obtruſit. Ægerrime hæc res Perſas habuit, ſed propter authoritatem Kulicani nemo publice obloqui auſus eſt.

Demum Tamæ ac ſi vel umbra Regis ſibi officeret, perſuaſit, ut relicto Iſpahano urbe regia in locum vicinum recederet, ubi velut in cuſtodia detentus videri deſiit. Creditur, Kulicani juſſu interfectus: ejus vero filium, vagientem in cunis puerum Regem proclamari voluit, ſub *Abæ III.* nomine. Hoc anno 1736. defuncto,

So-

Sophiorum in Perſia Regum ſeries clauſa eſt; Kulicanus vero, aſſumpto *Schach Nadir* nomine, coronam ſibi impoſuit. Nam proprium ipſius nomen eſt *Nadir*, *Kulican* vero & *Kan* ſunt cognomina; *Schach* vero Regem notat. Cum autem deinceps undecim adhuc annos deſpotice gubernaſſet, anno 1747 Iſpahani in palatio ſuo, quod auguſtius reddiderat, perfide eſt occiſus.

Magnum ſane per urbem terrarum fuit Kulicani nomen, grandibus tot victoriis & heroicis facinoribus partum. Alterum alii Alexandrum, alii Tamerlanem dixere. Ut militaribus artibus politicas jungeret, commercia, rerum agendarum nervum, per tot annorum bella pene collapſa, flori ſuo reſtituit, data Chriſtianis libera commercandi facultate, ac privilegiis. Poſterioribus annis cum Tartaris bellum geſſit; ſed cum illi in montes & ſylvas ſe abderent, venatorium potius erat quam ſtationarium.

Regnum reliquit agnato ſuo, qui *Schach Adil* fuit appellatus. A Kulicano nepote ſuo is bello appetitus victoriam retulit. Nec tamen regno quies, ſed continuis ferme motibus agitatum, & in ſe ipſum armatum, Turcis occaſionem præbet, civilibus ejus motibus in rem ſuam utendi.

# CAPUT XIV.

## *De Religione Chriſtianorum in Turcia.*

Simoniæ labes tantopere Clerum Schismaticum Græcæ religionis infecit, ut pecunia ſit ipſius qua movetur anima. Nulla electio Patriarchæ, Prælatorum, parochorum, nulla miniſtratio ſacramentorum ſine turpi hac ſacrorum nundinatione. Patriarcha emit vota à Præſulibus, qui eum eligunt, a Vizirio, qui eum confirmat, Epiſcopi officium ſuum a Patriarcha, Popæ reliqui ab Epiſcopis: & ut damnum reparent, ſacramenta & omnia pro pecunia vendunt. Non raro Vizirius promovet plus offerentem, promotumque rurſus dejicit, ſi ſit, qui plus largiatur.

Armeni, quorum multi ſunt Conſtantinopoli, malitia & odio in Catholicos vix non ſuperant Græcos. Cum P. Jacobus Caſchodus Friburgenſis Helvitus celebris Cpoli Miſſionarius, multos Armenorum, qui Dioſcori ſectam amplectuntur, convertiſſet, eorum patriarcha largitione pecuniæ in Catholicos Armenos gravem Turca-

num perſecutionem concitavit, interdicto ſevere Armenis ad Catholicam Religionem tranſitu.

Sunt autem tum Cpoli, tum in tribus magnis ſuburbiis, Pera, Galata, & Doppana multi Catholici cum Patribus Franciſcanis, Dominicanis, Capucinis, & Jeſuitis, qui Galatæ degentes in totum Orientem ad ſacras Miſſiones ablegantur. Maxime autem Chriſtianorum, qui apud Turcas captivi detinentur, cura occupantur: prout etiam clam convertendis & alio dimittendis; nam Turcæ non patiuntur Mahometanum ad aliam religionem tranſire, quapropter P. Caſchodus vitæ periculum incurrit ac fugere compulſus eſt, dum Baſſæ cujusdam pellicem, a ſe converſam, in Siciliam miſit.

Gallicarum Societatis Jeſu Miſſionum in Turcia præcipuæ ſedes ſunt Conſtantinopoli in Thracia, Smyrnæ in Jonia, Theſſalonicæ & Lariſſæ in Macedonia, in Inſula Chio, Naxia, & Santorina in Archipelago ſeu mari Ægæo.

Conſtantinopoli innumeri ſunt Chriſtiani, 200000 Græcorum, 80000 Armenorum, præter ingentem ex utraque gente numerum advenarum, quos commercia aut aula Turcica attrahit. Oratorum ex Europa familiæ & mercatorum ex eorundem nationibus nucleus ſunt Chriſtianitatis, & tria circiter hominum millia conſtituunt. Ex Genuenſibus familiis, quæ ibidem olim domicilium collocaverant, ſuperſunt Peræ, & Galatæ ad 400 homines. Chriſtianis quoque navibus magna multitudo advehitur.

Catholicis præterea accenſenda veniunt ad triginta ferme mancipiorum millia, quæ Conſtantinopoli aut in triremibus Sultani, aut in carcere, quem *Bagnum* vocant, aut in privatorum ædibus duriſſimam ſervitutem ſerviunt. Omnes autem in ſpiritualibus ſunt ſubjecti Archiepiſcooo Ancyrano, qui anno 1714. erat Raymundus Galani Raguſanus, ex ſacra Prædicatorum Familia, paſtor animarum vigilantiſſimus.

Plures Religioſi ordines operam ſuam contribuunt. Societatis noſtræ Patres Galatæ habent templum, quod ex omnibus, quæ ſunt in Turcia, cenſetur pulcherrimum. In eo res Divina magna ſolennitate peragitur, miniſtrantur Sacramenta, prædicatur publice verbum Dei, lingua Turcica, Græca, Gallica, & Italica, aliaque exercentur, quæ ad cultum Divinum pertinent, ea libertate, qua majorem in medio terræ Catholicæ non requiras. Inſtruuntur etiam in templo noſtro Græci & Armeni ritus juvenes, ut in aptos ſacerdotes & animarum paſtores formentur. Confraternitates inſuper plures ſunt inſtitutæ, quæ ſtatis temporibus ibidem conveniunt, &

tum

tum exhortationibus tum aliis pietatis exercitiis excoluntur. Inſtituunt devotas ſupplicationes publicas, adſtantibus magna cum reverentia magno numero Turcis, & modeſtam ſolennitatem mirantibus.

Germani, cum nullum Cpoli proprium templum habeant, ſacras ſuas ceremonias pariter in templo noſtro peragunt. Has inter recenſendæ ſunt ſolennes exequiæ, Leopoldo & Joſepho Imperatoribus habitæ, ad quas centum facile hominum millia confluxere. Suaſerat quidem Orator Gallicus Ludovico XIV. Miſſionum Orientalium Protectori, ut Societati Jeſu Collegium Galatæ fundaret cum Seminario, in quo Juvenes Græci, Armeni &c. Religione Catholica atque liberalibus diſciplinis imbuerentur; ſed tam prudens conſilium bellorum turbo evertit.

Plebs Græca, Romanæ Eccleſiæ non unita, averſatur quidem Miſſionarios, ſed eorum Patriarcha, quem Patriarcham univerſalem appellant, & magnates cum illis familiariter agunt; raro tamen convertuntur, quia priſtinæ magnitudinis memoria turgidi, ſub graviſſimo licet ſervitutis jugo gementes, ſuperbiunt. Armeni magis ſunt dociles, & veritatis audiendæ cupidi, atque propterea facilius convertuntur, converſique flagrans pietatis ſtudium præſeverunt. Eminuit in eis ad rectam ſemitam deducendis P. Caſchodi induſtria & felicitas: cujus paræmia erat: *multum lanæ, parum clamoris.* A mancipiis præſertim, quibus diu noctuque peſtis etiam graſſantis tempore adſtiterat, ut pater amabatur.

*Smyrnæ* ſunt viginti circiter millia Græcorum, & Armenorum, ex quibus Catholici octo pene millia conſtituunt. Gallus, Anglus, Venetus, Genuenſis, Hollandus, Conſules cum ſuæ nationis mercatoribus in una longa lataque platea habitant, ad dimidium horæ porrecta, quæ propterea *Francorum plantea* appellatur; nam in Turcia omnes Occidentales populi vocantur *Franci.*

In hac ampla & opulenta civitate cultus Divinus ſicut Cpoli exercetur, inſigni cum animarum fructu: & ſic etiam in Macedonia & Archipelago. In Inſula tamen Chio perfidi Græci Religionem Catholicam ejusque miniſtros graviſſime ſunt perſecuti. Cum enim Veneti anno 1694 hanc Inſulam expugnaſſent, & poſtea rurſus amiſiſſent, maligni quidam Græci Catholicos, qui erant in Inſula, apud Turcas accuſarunt, quod Venetos advocaſſent. Unde Turcæ omnia eis templa bonaque omnia rapuerunt, Miſſionariis aut in carcerem truſis, aut in exilium ejectis; tenuitque ea per plures annos perſecutio, inſtigantibus, & per pecuniam omnia obtinentibus Græcis, donec Oratoris Gallici interventione fuit ſopita.

Por-

Porro Patriarchæ & Epiſcopi Græci a Mahomete II, poſtquam Cpolim occupaverat, magna privilegia acceperunt, ut Græcos, qui diffugerant, novi regiminis patientes redderet. Sed eorum diſcordia, & ambitio Turcis occaſionem dedit, ut ſublatis privilegiis Eccleſiaſticos etiam Præſules graviſſimæ ſervituti ſubjicerent, atque ex ſummo contemptu vix alio quam canum nomine compellarent. Templa eorum ſqualida, aut in Mahometanâ fana converſa. Baſilica illa auguſta Sanctæ Sophiæ ſeu Sapientiæ, Juſtiniani Imperatoris opus, quod Dianæ Epheſinæ & Jovis Capitolini magnificentiam extingueret, barbaris in prædam ceſſit.

Cum Turcæ nullas campanas tolerent, populus ligneo crepitaculo in templa vocatur, in quibus fœminæ ſeparatæ a viris conſpici non poſſunt. Stant autem Græci ſub oratione tecto capite, velut Vigiliæ & Angeli, ſtantes ante thronum Dei, majori multo, quam Latini ſoleant, reverentia: ſingulari vero cultu feruntur in Dei Matrem; quam ceu patronam peculiari cum fiducia invocant. Annum a Septembri inchoant. Feſta multo plura, Orientalium præſertim ſanctorum, ac nos ſolenniter celebrant. Aliquorum vigilias adhuc noctu in templis agunt. Jejunia quoque longe plura & ſeveriora quam occidentales obſervant. Hebdomadam ſanctam ferme totam in Eccleſiis tranſigunt.

Patriarchæ, Metropolitæ, Archiepiſcopi, & majores Clerici ex ſolis ferme Monachis S. Baſilii aſſumuntur. Ordines, ſicut in latina Eccleſia, habent ſeptem. Poſt ſuſceptos ſacros Ordines nemini licet uxorem ducere. Si autem ante Ordines virginem duxit, poteſt eam retinere, non tamen poſt illius mortem ad alias nuptias tranſire. Quartæ vero nuptiæ omnibus, etiam laicis, ſunt prohibitæ. Hodie plerique ſacerdotes ſunt cœlibes; quia ex Monaſteriis aſſumuntur. Impedimenta matrimonii ſunt fere eadem, quæ in Latina Eccleſia, uti conſanguinitatis, bigamiæ, clandeſtineitatis &c. Nullas tamen præmittunt denuntiationes, ſed inter ſponſalia & matrimonium ſaltem annus debet intercedere, quod merito improbatur.

Excommunicationis ſententiam ſevere exequuntur. Quos vero a cenſura abſolvunt, oleo infirmorum & chryſmate inungunt. Monachos ſummopere æſtimant. Plerique regulam S. Baſilii profitentur, auſteramque vitam ducunt. Sunt eorum plurimi. Solus mons Athos viginti complectitur monaſteria, & in iis 300 cœnobitas. Poſſidet communitas agros, prata, aliaque bona immobilia, ex quibus, prout etiam eleemoſynis vivunt. Monialium aſceteria propter Turcarum libidinoſas inſidias ſunt ſublata.

Hie-

Hierarchia Græcorum, quamvis acerbo jugo preſſa, & omni prope ſplendore priſtino exuta, quatuor adhuc habet Patriarchas Schiſmaticos, Cpolitanum, Antiochenum, Alexandrinum, & Solymitanum, æquali & independente omnes poteſtate Juriſdictionis. Tametſi enim Cpolitanus inter eos propter regiam urbem & amplitudinem provinciarum ſit ordine primus, ac patriarcha Oecumenicus ſeu univerſalis, ſuperbiæ typho inflatus dici velit, nihil tamen poteſtatis habet in alios. Interea tamen eſt miſerabilis ſervus & mancipium Magni Vizirii, qui omnem in eum exercet poteſtatem, & eum (ſicut & cæteros Patriarchas) pro libidine deponit, & alium, plus pecuniæ largientem, in ejus locum intrudit: & ſi depoſitus rurſus plus offerat, pro intruſo intruditur. Malunt nempe Simoniaci iſti ac miſeri Præſules a Mahometanis impiis hominibus acerbiſſima quæque perpeti, & in graviſſima ſacrorum nundinationis ſcelera ruere, atque Religionem Chriſtianam proſtituere; quam illi, ſupra quem Deus Eccleſiam ſuam fundavit, ſe ſubjicere. Pecuniam autem, quam Turcis impie præſtant, a paupere ſacerdotio rurſus extorquent. Et exemplum ſequitur Clerus, qui, dum ſacramenta vendit, Simoniam Simonia cumulat.

Quivis Patriarcha in ſuis provinciis poteſt inferiores Præſules in Concilium cogere; cenſuras ferre; Prælatos deponere; laicos etiam in Eccleſiaſticis & civilibus cauſis judicare. Proventus Patriarchæ conſtant Decimis, quas Epiſcopi ei præſtare debent, 12. thaleris, quos a ſingulis ſacerdotibus, & certa penſione annua, quam a quavis familia, & matrimoniis, præter alias collectationes, exigit. Si Romanus Pontifex tanta exigeret! quantus clamor!

Patriarchatus Cpolitanus eſt multo ampliſſimus; complectitur enim Thraciam, Serviam, Bosniam, Græciam, Macedoniam, maris Ægei inſulas, minorem Aſiam, Mingreliam, Circaſſiam, Mœſiam, Georgiam, Moldaviam, Valachiam &c. Ruſſia quoque eidem erat ſubjecta usque ad Zarum Baſilium, qui proprium Moſcoviæ Patriarcham conſtituit, Cpolitano nihilominus penſionem annuam deſignavit, & in rebus, inter Ducem & Patriarcham controverſis, arbitrum quodammodo conſtituit.

Patriarcha Antiochenus, qui nunc, deſtructa Antiochia, Damaſci habitat, Juriſdictionem ſuam extendit in Syriam, Ciliciam, Iſauriam &c. Patriarcha vero Græcorum *Alexandrinus* in Ægyptum, Libyam, montem Sinai, & Littora maris Rubri. Olim Alexandriæ, nunc Cairi degit. Confundi hic non debet cum Patriarcha *Coptorum*, ſeu *Jacobitarum*, cujus poteſtas non tantum in Ægyptum, & partem Arabiæ,

ſed totam etiam Æthyopiam exporrigitur, in cujus comparatione patriarcha Græcorum eſt veluti parochus exilis pagi. Memineris autem ejus, quod alias diximus, Græcos cum Concilio Chalcedonenſi duas in Chriſto naturas agnoſcere & hinc minus aberrare, Coptos vero Eutychianos cum ſuo Dioſcoro easdem negare.

Patriarcha *Jeroſolymitanus* in partem Syriæ & Palæſtinam jura ſua porrigit. Loca ſancta communi cum P. Guardiano Franciscanorum poteſtate poſſidere dicitur. Unde illius in Latinos odium. Solet & ipſe Damaſci domicilium figere. Tametſi autem ipſius Patriarchatus ſit minimus, proventibus tamen Alexandrinum & Antiochenum ſuperat, a peregrinantibus in terram ſanctam & igne ſacro, quem vocant, fluentibus. Armeni quoque peculiarem patriarcham habent.

Præter iſtos, quos, utpote Hæreticos, Eccleſia Romana non agnoſcit, ſunt in Oriente etiam Patriarchæ Catholici, qui Græcis aliisque cum Eccleſia unitis, præſunt. Tales ſunt Antiochenus in Syria, cui Maronitæ, & alii, & quandoque etiam Alexandrinus, cui Melchitæ ſunt ſubjecti. Poſtquam Latini Cpolim occupaverant, tres erant Patriarchæ Cpolitani, duo Catholici, alter pro Latinis, alter pro Græcis Catholicis, tertius pro non unitis. Taceo Patriarchas Titulares &c.

Metropolitæ Patriarchis ſubjecti numerantur 71, inter quos Heracleenſis, qui usque ad Conſtantini M. tempora etiam Bizantino Epiſcopo præfuerat, Cæſareenſis, Epheſinus, Cicizenus, Nicomedienſis, Chalcedonenſis, Theſſalonicenſis, Byrſanus, Neocæſareenſis, Iconienſis, Corinthiacus, Athenienſis, Cretenſis, Trebizundinus, Patraſinus, Lariſſanus, Rhodienſis, Philippenſis, Smyrnenſis, Negropontanus, Nicopolenſis, Thebanus, Adrianopolitanus, Chienſis, Lacedæmonius, Varnenſis, Videnſis, Caſenſis, Gothianus &c.

Quam turpi autem avaritia & ſimonia ſint contaminati ſacrorum iſti nundinatores, exemplis patet innumeris. Unicum refero. De Schismatico grege mancipium, triremibus alligatum, pecunia a Turcis emerat licentiam, adeundi ſuum parochum, eique peccata ſua confitendi. Interrogavit hominem popa; an pecunias habeat? reſpondit, ſe omnem pecuniam ſuam dediſſe Turcis pro obtinenda facultate recedendi pauliſper a triremi. Faceſſere oviculam jubet paſtor bonus. Rogat miſer; primum, quod acquireret, peculium tradìturum ſe promittit: non auditur. Satelles Turcicus, qui eum comitabatur, miſertus boni pœnitentis, ſponſorem ſe fruſtra offert: largitur, quam habuit, pecuniam. Necdum ſatis, pergit negare ſacramentum, niſi etiam annulus, quem in digito Turcæ conſpexerat, ſibi

ſibi tradatur. Detrahit illum, & ſacrilego Miniſtello tradit. Reponit hic, auditurum ſe confitentem; ſi gravia commiſerit peccata, plus pecuniæ ſibi dandum; nam ſecundum multitudinem & gravitatem peccatorum deberi mercedem confeſſario.

Probroſa hæc ſordities popas contemptui & ludibrio exponit, Miſſionariis vero ſua integritas æſtimationem parit. Quo fit, ut multi Schismatici convertantur, ringentibus licet impiis Miniſtellis, & commoventibus, quantum poſſunt, Turcas in Catholicos; præſertim in Joannem *Holdermannum* S. J. Sacerdotem, P. Caſchodi in cura mancipiorum, quorum tum in Bagno (carcere urbis) tum in triremibus ſunt multa millia, dignum ſucceſſorem, qui tandem obtinuit, ut ad miſeros iſtos admitteretur: qua in re multum debuit Dirlingio, Cæſareo apud Aulam Ottomannicam legato, ut die ac nocte accedere liceret triremes ac carceres mancipiorum, hosque deſertos ab omni humana ope miſeros, ad patientiam & probitatem ita erudiret, ut triremes in ſcholam virtutis verteret.

Non raro tamen vitæ aut ſaltem libertatis diſcrimen incurrit, quis, ſi mancipia aliqua effugerant, culpa ipſi imputabatur, tanquam occaſionem evadendi ipſis feciſſet. Sed cum oppoſuiſſet, ſe ſub protectione Aulæ Cæſareæ & Gallicæ ſtare; cum iſtis cauſam componerent, auctoritatem reveriti, a perſecutione ceſſabant.

## CAPUT XV.

### *De Armenia & Chriſtiana in ea Religione.*

Regnum Armeniæ antiquiſſimum quatuor ſucceſſive Familiæ occuparunt, 1. *Haikenia*, quæ anno 1932. ab orbe condito illud fundaſſe dicitur, & per 53. Reges 1744 annos continuaſſe. Poſtremus ex his erat Orontes, ad Arbelam cum Dario Codomanno ab Alexandro M. cæſus. 2. *Frataphernica*; nam, cum poſt obitum Alexandri M. ejus Duces regna inter ſe dividerent, Fratraphernes, prius Darii, dein Alexandri adminiſtrator Armeniæ ſceptrum arripuit, & per centum annos in ſuis poſteris retinuit, donec 3. anno mundi conditi 3770, Urbis conditæ 520, *Arſaces* ad thronum ſe evexit, quem Arſacidæ poſſederunt 640 annis, ad annum videlicet Chriſti 406, quo Arcadius imperabat Cpoli.

**Reges veteres.**

**Arſacidæ.**

Tigranes Arſacis filius, cum Mithridatis ſoceri ſui partes ſequeretur, a Lucullo Duce Romano victus pulſusque, a Pompejo ſub tributi onere reſtitutus. Arvasdus ejus filius à Marco Antonio captus Alexandriæ in carcere periit. Abgarus, Armeniæ, Meſopotamiæ, atque Syriæ Rex, Edeſſæ reſidens, a S. Bartholomæo Apoſtolo fuit baptizatus. Coſroes I. Perſarum victor ab agnato trucidatus. Tiridates primum Eccleſiæ perſecutor, dein baptizatus, fundato in Armenia Patriarchatu, Conſtantini M. tempore Romam venit, ut Pontificem veneraretur. Tiranus S. Heſichium Patriarcham occidit. Pabas a Theodoſio M. captus Cpoli tyrannidis pœnam capite luit. Ardaches ultimus Arſacidarum cum Patriarcha Iſaaco in exilium ejectus eſt circa annum 406.

Ab eo tempore per 770 annos Armenia proprium Regem non habuit, ſed jam Perſis jam Romanis paruit, donec a Saracenis & Turcis fuit invaſa. Anno vero 1176 quarta ſtirps, Coziana videlicet, caput extulit, & in Armenia Minore regnum inſtauravit. Leo I. ex hac Familia Princeps apprime Catholicus a Conrado Wittelſpachio, Archiepiſcopo Moguntino, Rex totius Armeniæ fuit inunctus, voluntate ſummi Pontificis, a quo ſacras leges accepit anno 1243. Hayton regno abdicato, aſſumptoque Macarii nomine in eremum ſeceſſit, ut ad felicius regnum ſe accingeret. Leo II. ejus filius Concilio Generali Lugdunenſi anno 1274. interfuit. Hayton II. & Leo III. in odium fidei ſunt interfecti. Leo IV. fervens Catholicus, fuit ultimus Armeniæ Rex circa annum 1344. a quo tempore Turcæ & Perſæ de illa velut alea luſerunt, donec inter eos fuit diviſa. Anno autem 1725 Turcæ Perſis depulſis totam occuparunt.

Mutationes.

Patriarchæ porro Armeniæ ab antiquiſſimis temporibus ad ſextum usque ſæculum omnes fuerunt Catholici, donec Schisma Eutychianum & Dioſcorianum Orientem infecit. Exinde omnes Patriarchæ fuerunt hæretici per 102. annos. Jeſerus autem Patriarcha anno 622. in Concilio, Erzeri habito, Eccleſiam Armenam cum Romana univit, atque ea unio per annos 105 tenuit, ad annum videlicet 727, quo Joannes IV hæreſin Eutychianam de una in Chriſto natura rurſus invexit. Anno vero 862 Zacharias Patriarcha, damnato Eutychianiſmo, Concilium Chalcedonenſe recepit, & cum Eccleſia univerſali ſe conjunxit. Complures Patriarchas Catholicos habuit is ſucceſſores; poſtea hæretici cum Catholicis quodammodo alternabant, donec duo ſimul eſſent, Catholicus & Hæreticus: atque ita ad noſtra ferme usque tempora fuit continuatum, infelici lolio inſperſo ſementi optimæ.

Patriarchæ

Duo.

Cæ-

Cæterum ex Armenia, loco præalto ſita, flumina celeberrima defluunt, Lycus in mare nigrum, Araxes in Caſpium, Tigris & Euphrates in Perſicum. Partis, quam Turcæ occupaverant, *Erzerum*, illius vero, quam Perſæ poſſederant, *Erivanum* eſt caput; Tifflis vero Georgiæ. Abas Rex Perſiæ viginti Armenorum millia duxit in Perſidem, ut gens negotioſa commercia per orbem propagaret, nec ſpes eum ſua deſtituit. Haud procul Iſpahano integram urbem incolunt, quam Schulſam appellarunt. Fœminarum mira eſt modeſtia; ſicut in toto prope Oriente, domi concluſæ raro egrediuntur, nec niſi velata facie.

Ut autem Armeni, in ſchisma prolapſi, converterentur, Patres Societatis noſtræ Erivani anno 1688. miſſionem fundarunt, ſub protectione Ludovici XIV. qui eum in finem ad Regem Perſiæ Epiſtolam ſcripſit, & quod petebat obtinuit. Ipſe Patriarcha cum multis aliis ad unionem cum Eccleſia Romana perductus. Nec minor animarum meſſis Erzeri horreum Eccleſiæ implevit, ubi Patres S. J. eodem Rege Chriſtianiſſimo per Oratorem, quem Cpoli habet, patrocinante, Miſſionem, per totam viciniam diffuſam, erexerunt, cum magno rei Catholicæ incremento; quamvis non defuerint graves, a Schismaticis Armenis & Græcis ortæ, perſecutiones. **Miſſio Erivana.** **Erzerana.**

Similiter in provincia *Schirvan*, quæ Albania antiquitus fuit appellata, nova Miſſio fuit inſtituta a Gallis & Polonis, ut nullus ſit in orbe terrarum Angulus, in quo Evangelium non prædicetur Caput illius *Schamakeum*, ubi Perſicus Præfectus ſedem fixit. Nobiles urbes Derbentum, & Baku, præter 60 pagos Armenos. Hæc regio maxime infeſtatur a Coſaccis prædatoribus. **Et Schirvana.**

Anno 1724. & ſequenti Schirvana provincia grandibus motibus fuit agitata; nam, quod alias dictum, Mahometani in duas maxime ſectas juxta diverſam Alcorani interpretationem ſunt diviſi, *Sefianam* & *Sunicam*. Illam amplectuntur Perſæ, hanc Turcæ, & omnes alii Mahometani. Cum igitur Rex Perſiæ præciperet, ut omnes ſui ſubditi Sefianam reciperent, Dageſtani, in Armenia populi, jugo excuſſo Schirvaniam invaſerunt, multisque trucidatis igne ferroque omnia vaſtarunt, direptis etiam Chriſtianorum Eccleſiis.

Eodem fere tempore Græcæ religionis in Armenia Majore populi incrementa rei Catholicæ lividis adeo oculis aſpiciebant, ut *Erzeri* in Jeſuitarum perniciem conſpirarent, auctore & incentore Pſeudo-Epiſcopo Schismatico; qui Baſſæ Turcico non modicum aurum obtulit, ut Jeſuitas expelleret. Annuit is, ea tamen conditione, ut **Conſpiratio in Jeſuitas.**

Epiſcopus ita negotium inſtituat, ne Baſſa indignationem Sultani, ſub cujus protectione degerent in Imperio Turcico Miſſionarii, incurrat.

Epiſcopus convocat Armenos ſuæ ſectæ (ad decem millia convenere) eosque allocutus, conſiderate, inquit, etiam atque etiam, quo res ſit deventura, ſi Francorum religio ita ſit augenda, noſtraque minuenda. Eundum obviam ruinæ, mandatum accepi a Deo, ut omnes, fune ad collum alligato ad Baſſam nos conferamus eique perſuadeamus, ut Francos Sacerdotes proſcribat. Si Baſſa reluctaretur, omnes conclamate, niſi Jeſuitæ ejiciantur, vos omnes Armenia exceſſuros, & ita clamare pergite, donec in vota veſtra deſcendat.

Reſpondit populus, iturum ſe, quocunque duceret. Die igitur ſtatuta, reſti collo inſerta Epiſcopum ſecutus, ædes Baſſæ magno numero circumſiſtit, altaque vociferatione conclamat. Baſſa mentito vultu iram ſimulat, eosque jubet recedere; ſed cum omnes in exilium ſe ituros clamare pergerent, Senatum convocavit, monito clam Epiſcopo, ut adhuc altius clamarent. Senatus igitur perterritus (quod optabat Baſſa, ut Sultano ſe excuſare poſſit) cenſuit, in his circumſtantiis ejici Miſſionarios poſſe: prout illico urbe ſunt ejecti; conceſſo ne quidem ſpatio aliquid ſecum aſportandi.

Cæterum vix eſt ſub ſole natio mercaturæ ita dedita ac Armeni. A Pekino in Sinis Olyſſiponem usque & extremos Gades, ab Æthyopia Londinum, Amſtelodamum, Venetias, atque in ultimam usque Moſcoviam atque Siberiam commercia ſua exporrigunt, in hac arte ita exercitati, ut vafrum etiam Judæum circumvenire queant.

Quod fidei doctrinam ſpectat, Armeni cum omnibus Orientalibus Chriſtianis profitentur ſeptem ſacramenta, converſionem panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti, veramque tranſubſtantiationem invocationem ſanctorum, cultum ſacrarum Imaginum & Reliquiarum, ſuffragia pro defunctis, libertatem arbitrii, Miſſam tanquam unicum novæ legis ſacrificium, infallibilitatem Eccleſiæ, ejusque Hierarchiam; prout perſpicuum eſt ex litteris anno 1671 ad Regem Galliæ ab Armenis ſcriptis. In eo diſſident a Græcis, quod unicam in Chriſto naturam, eamque Divinam, Divina & Humana operantem, cum Eutyche contra Concilium Chalcedonenſe aſſerant. Ex quo videas, qua fronte Proteſtantes quidam aſſeverare non erubeſcant, Orientales Eccleſias in fidei doctrina ſecum conſentire.

Patriarchæ, Epiſcopi, majoresque parochi ex Monachis S. Baſilii, ſicut apud Græcos, aſſumuntur. Potiſſimi reditus Patriarcharum conſtant ex pecunia, pro oleo ſacro vendito. Patriarcha, qui

eſt

eſt Erivani, porrectis octoginta Thalerorum millibus Cpoli ab Aula Ottomannica obtinuit Decretum, quo prohibetur, ne quis alius præter eum Chrisma & Oleum ſacrum vendat. Verum reliqui Patriarchæ & Metropolitæ Armenorum oblata eadem pecuniæ ſumma effecerunt, ut, antequam is Erivanum perveniſſet, Decreto reſciſſo, omnibus Simoniaca illa negotiatio rurſus concederetur. Ex quo miſerabilium horum Præſulum & Turcarum indolem perſpicias.

# CAPUT XVI.

## *De Tartaria Minore & Religione in illa.*

Tartaria Minor ad Pontum Euxinum diverſos complectitur populos, inter omnes Orientales maxime feroces ac barbaros, Sultano potiſſimum Turcico ſubjectos, cui vectigalis eſt eorum *Chanus*, ſeu Princeps, ac pro arbitrio ab eo deponitur, ea tamen lege, ut nec vita nec libertate eundem privet, aliumque ex ejus familia ſufficiat, quæ hodie eſt familia Giray.

Milites ejus Prætorianos Sultanus alit, nec militibus aliis præbet Chanus ſtipendium, ſed ab eo evocati cum equis & armis comparent. Rapinæ autem & deprædationes ſunt eorum ſtipendia. Nobilium, qui Divanum ſive Senatum conſtituunt, magna eſt auctoritas, ſine qua Chanus non poteſt majora negotia decernere. Cauſas litigioſas is obtinet, qui plus offert argenti, aut magis faventes in Divano amicos habet. **Indoles.**

Præter *Circaſſos* & *Nagayenſes* Tartaros ſubſunt Chano Precopenſes *Crimæam* peninſulam, quam Tauricam Cherſoneſum Veteres dixere, incolentes. Verum Circaſſi, Chani jugo excuſſo, cum Moſcis fœdus percuſſere. *Calmukii* autem, Tartarorum ſpecies, tributum eidem adhuc pendunt.

Secta Tartarorum eſt Mahometana; multi tamen ſunt immixti Græci & Armeni, magnaque Catholicorum multitudo mancipiorum, a Tartaris in ſervitutem abſtracta. Miſerrima eorum facies, rerum omnium, ad Religionem pertinentium ignoratio, vitaque beſtialis magis quam humana: nullus a multis annis apud eos Sacerdos, nulla ſalutis cura: multi a conjuge & liberis abſtracti alias inire nuptias, ut mancipia augerentur, fuerant coacti. **Mancipia.**

Hac

Hac tanta deſerti populi miſeria per Ferrandum Gallum, qui Medici partes apud Chanum agebat, anno 1704. Conſtantinopolim nuntiata, Patres S. J. quamvis quatuor duntaxat eorum eſſent, unum ex ſuo gremio in Crimæam miſerunt. Erat is P. *Duban*, qui, acceptis a legato Gallico Marchione Feriol ad Chanum Tartarorum litteris & muneribus, anno 1706. per mare nigrum in Crimæam navigavit, atque *Bagſcharii* urbe primaria Chanum convenit, qui oblatis legati litteris ac donis delectatus, plenam Chriſtianorum mancipiorum, quorum viginti ferme erant millia, cura Miſſionario commiſit.

P. Duban in Crimæam.

Arduum erat opus, annoſos & induratos animi morbos curare, nec per anni dimidium P. Duban quidquam profecit, donec tandem Divina aſpirante gratia ſaxea emollivit pectora. Primi Divinos admiſerunt ſatus Armeni, in quorum templo ſacra celebrabat, & ad populum, magis ſemper magisque affluentem dicere cœpit, rudesque inſtruere. Inter Catholicos promptiores erant Germani, ſequebantur exemplum alia mancipia, ex Polonia, Hungaria, Tranſylvania, Servia, Moldavia, Croatia, Valachia a Tartaris in ſervitutem abſtracta: ad omnes autem iſtos miſeros ſermonem, ut intelligeretur, quantum poterat, accommodabat.

Converſiones.

Præcipuam curam dicabat educandæ ad morum probitatem juventuti, probe gnarus, tenellas plantas flecti formarique facilius. Mirum ſane ac volupe erat intueri, duos adoleſcentes 12. annorum, quos erudierat, doctos ac ferventes agere Catechiſtas, ſenesque decrepitos ab eorum ore pendere.

Inter converſos erant etiam Lutherani & Calviniſtæ. Accurrit Teginâ ex Beſſarabia Lutheranus Præco: queritur apud Chanum contra P. Duban, quod homines contra ſanctiones Mahometanas ab una religione abſtrahat ad aliam. Reſpondit Miſſionarius, ſe Chriſtianos Francos ad veterem communemque Chriſtianorum Religionem, quam etiam Rex Franciæ teneret & ferventer coleret, traducere, ut abſterſis erroribus, quos aliqui Occidentales invexerant, ſit unitas fidei. Placuit Chano reſponſum, & Miniſtellum juſſit faceſſere.

Etiam Lutheranorum.

Fama floreſcentis in Crimæa Religionis ubi vicinis in provinciis percrebuit, dici non poteſt, quantus ad P. Duban factus ſit accurſus, ut adeo oportuerit annuere ſociis, ut in partem laboris venirent. Submiſſus eſt P. Curnillon: conjuncta utriusque opera multi ex diverſis ſectis fuerunt converſi, plurimi SS. Sacramentis proviſi.

Pro-

Proponit denique P. Duban quatuor media apud Tartaros religionem propagandi, 1. plures Operarios, 2. propriam Capellam, 3. Eleemoſynam, 4. redemptionem puerorum a ſervitute. Media Tartaros convertendi.

Mira eſt Tartarorum politica. Omnes ſunt milites, & quidem equites. Unde equorum, qui ſunt velociſſimi, infinitus eſt numerus. Dulciſſimus ipſis cibus eſt caro equina, quam apponunt præcipuis hoſpitibus, præſertim in nuptiis, quas hoſtili velut concurſu, quibus ſe mutuo vulnerant, ſolenniores reddunt. Nam ea ſuperſtitione ſunt imbuti, quo plus ſanguinis in equeſtri eo certamine fundatur, eo fortiores milites ex nuptiis naſcituros. Cum autem naſcitur infans, agnati conveniunt, & lebetes, ollas, & patinas malleolis pulſant, ut eo ſtrepitu diabolum ex infante expellant. Mores.

Nihil promptius quam judicialis apud Tartaros ordo. Si quis verberatur aut vulneratur, ſaucii cognati conveniunt, & reum nervis bubulis prope ad mortem cædunt. Homicidam vero in locum cædis abſtractum, atrociter dilaniant. Duellum, ſi ſecundum gentis morem peragatur, nullas habet pœnas. Nagayenſes Tartari nec urbes habent, nec oppida, nec pagos, ſed ſub rudibus papilionibus habitant; quapropter puro aeri aſſueti dicuntur urbem ad duas horas olfacere.

Belli tempore 40 equitum millia tenentur Chanum comitari, ſed conveniunt facile 60 millia, prædæ cupidine illecta. Decimum tertium quemque annum infauſtum exiſtimant, atque eo durante armis & militia abſtinent, finito vero helluantur & tripudiant. Militia.

Nobiles manu, in pugnum contracta, perpetuo avem geſtant. Coſaccos & Moſcos etiam pacis tempore frequenter invadunt, & non raro etiam Polonos, multosque in ſervitutem abſtrahunt, neque a prædationibus & rapinis a Sultano & Chano contineri poſſunt, ea utentes excuſatione, militares ſe eſſe viros, nec ſine præda ſe poſſe vivere: venirent Ruſſi, & par pari, ſi poſſint, referrent. Ante pacem Carlovicenſem Zarus, ut ab ea vexa ſuos liberaret, pelles, centum thalerorum millibus conſtantes, pendere debuit, poſtea vero duas pretioſas aves venaticas. Commercium non tum rebus, quam emptione & venditione mancipiorum, maxime puerorum agitur. Prædones.

*Circaſſi*, uti corpore formoſiores, cultioresque, ita moribus multo ſunt humaniores, præſertim erga Chriſtianos, a quibus ſe dicunt originem ducere, atque aliqua adhuc Chriſtianitatis argumenta monſtrant. Corpora mortuorum non committunt terræ, ſed proceris arboribus appendunt. Circaſſi.

Calmukii. Circaſſis vicini ſunt *Kalmukii*, gens effera, quæ vix hominum ſpeciem præfert; partim Zaro partim Chano ſunt ſubjecti, ad quem ſingulis annis legationem cum tributo mittunt. Chanus vero barbaris iſtis hominum monſtris larga reddit munera.

Duæ eminentiores apud Tartaros ſunt Familiæ, *Giraya*, ex qua Chanos eligere debet Sultanus, & *Chiringia*, potens & Chanis infeſta, cujus princeps Chanum ob tyrannidem in exilium ejecit. Sultanus Achmet III. alium ex Giraya ſtirpe conſtituit; per quem Schiringiam cædibus & proſcriptionibus prope delevit. Miſſio tamen tantas inter turbas ſtetit integra, præſertim poſtquam novum Chanum P. Tour ſanaverat; tum enim libertas Religionis publicis litteris fuit conceſſa, ubero mox fructu ſequente.

# CAPUT XVII.

## *De Syria & Palæſtina Recentiore, Maronitis & ſacris Miſſionibus.*

Societas Jeſu in Syria quinque ſtabiles habet Miſſiones, ſub initium ſæculi XVII fundatas, & protectas tum a Regibus Franciæ, tum a mercatoribus Europæis: primam *Alepi*, *Lariſſæ* ſeu *Berœæ*, magna & populoſa urbe quatuor collibus impoſita, & arce munita; ubi Miſſionarii, cum graviſſimas perſecutiones ab hæreticis Græcis & Turcis eſſent perpeſſi, a Chriſtianiſſimo Rege in Capellanos Regios ſunt aſſumpti, aſſignata eis capella & habitatione in domo Conſulis Gallici, ut tanquam ejus domeſtici jure gentium fruerentur. Apertus inde magnus laborum campus, ad Catholicos, quorum in urbe, commerciis frequenti, ſunt multi, atque ad hæreticos Græcos, Coptos, & Armenos convertendos, cum magno rei Catholicæ incremento, frendente licet Erebo, extenſus. Tres Patriarchæ, Alepenſis, Alexandrinus, & Damaſcenus, cum Archiepiſcopo Alepenſi, miſſa ad Clementem XI profeſſione fidei, pro eadem ſunt mortui.

Alteram ſtationem erexit Euthymius, pientiſſimus Patriarcha, Damaſci, urbe Syriæ principe, ſacris etiam litteris celebrata; uberes Miſſionis hujus, aliarumque per Syriam labores fructusque prolixe deſcribit, data ad Michaelem Angelum Tamburinum Societatis Jeſu Præpoſitum Generalem prolixa epiſtola, Antonius Nacchi S. J. Miſſionum in Syria & Ægypto ſuperior, natus in Syria, ac Romæ in Societatem ſuſceptus, vir doctus & pius, qui etiam ſanctam Miſ-

ſionariorum vitam mortemque aut in carcerum ærumnis aut inter infectos peſte fortiter toleratam deſcribit.

Damaſcum celebrem reddunt converſio Sauli, mundatio Naamani, ſepulchrum Abelis, Noe, Sem, Abrahami patria. Vicina eſt Cæſarea Philippi, quæ in ignobilem vicum tranſiit.

Tertiam Miſſionem *Tripoli* in Syria inchoavit P. Joannes Amieu, & quidem in carcere, in quem orto Turcas inter & Venetos bello cum Francis conjectus fuerat; indeque liberatus ſe totum ſaluti Maronitarum, Syrorum, Græcorumque, impendit, accitis in partem laboris ſociis, miſſisque Romam in Seminarium Maronitarum, a Gregorio XIII fundatum, ſelectis juvenibus, qui ſtudiis abſolutis, ſuſceptoque ſacro Ordine, in patriam redirent, & in ſalutem popularium incumberent.

Quarta eſt *Sidone*, urbe maritima, ſacris etiam ex paginis nota. Anno 1111 Latini Saracenis eam eripuerant. Anno 1250 S. Ludovicus eandem renovavit. Anno 1289 ad Barbaros rediit. Sacram in ea Miſſionem eſt auſpicatus P. Rigordus S. J. mercatorum liberalitate.

Quintam erexit *Anturæ* in monte Libano P. Franciſcus Lambertus; qui Sidone celebris fuerat mercator locuples; ſed cum fervens eſſet congregationis Marianæ Sodalis, noſtrisque hominibus familiariter uteretur, rerum humanarum vanitate perſpecta, Matthæum imitatus, telonium reliquit, & primum Meliaporem ad ſepulchrum S. Thomæ, Romam inde navigavit; ubi in Societatem Jeſu ſuſceptus, atque ſacris litterarum diſciplinis probe imbutus, Sacerdos eſt ordinatus, obtinuitque, ut ad Syriacam Miſſionem deſtinaretur. Anturæ cum duobus aliis de Societate appulſus, Miſſionem ibidem pro *Maronitis* fundavit.

Nulla ex Orientalibus gens veram Chriſti Religionem conſtantius retinuit, ac Maronitæ in monte Libano & circumjecta terra habitantes. Dicuntur *Maronitæ*, a Marone Abbate, qui circa initium Sæculi V floruit, atque verbo & exemplo populares ſuos ab hæreſi Neſtoriana & Eutychiana puros conſervavit, atque cum ſede Apoſtolica perpetuo conjunctos, quæ Maronem II non minus celebrem, omnium Maronitarum Patriarcham conſtituit. Ejus Succeſſores in hanc usque diem confirmationem & Pallium, eminentis Dignitatis inſigne, Roma petunt.

Alii Maronitarum originem ad tempora multo poſteriora referunt, ortosque exiſtimant ex Occidentalibus Chriſtianis, qui ſæculo XII terram ſanctam expugnarunt. Cum enim, poſtquam Saladinus

anno 1186 Palæſtinam recuperaſſet, Chriſtiani fuiſſent diſſipati, multos eorum ad montem Libanum & Antilibanum conſediſſe, atque proprio electo Principe vicina Syriæ loca occupaſſe ſub nomine Drüſarum & Maronitarum. Unionem cum Romana Eccleſia fuiſſe renovatam ſub Eugenio IV, Alexandro VI, Leone X, Greg. XIII, Clem. VIII. anno 1612 Fedredinum eorum Principem Turcis factum tributarium, ac poſtea cum filio occiſum. Anno 1699 Antiochenum eorum Patriarcham veniſſe Romam ac inde Viennam ad Leopoldum Imp. ut is in pace Carolovicenſi Maronitarum Eccleſiæ patrocinium ſuſciperet.

Quamvis autem Maronitæ unionem cum Romana Eccleſia ſemper coluerint, ex defectu tamen idoneorum & vigilantium paſtorum turpi laborabant rerum ſacrarum ignorantia, nec pauci abuſus irrepſerant; quibus ut mederetur Gregorius XIII, Seminarium pro Maronitis Romæ inſtituit, in quo formarentur probi & docti Sacerdotes, qui in patriam reduces ignorantiæ diſpellerent tenebras, & morum diſciplinam inducerent; quem in finem Miſſionarii religioſi ſtrenue collaborabant, non in urbibus duntaxat, ſed in oppidis quoque & pagis, quos labore indefeſſo obibant: imo & in Maronitarum Monaſteriis, quorum complura circa montem Libanum viſuntur, orthodoxæ Religioni ferventer addicta.

Tanta Religionis ac probitatis incrementa acerbe ferens generis humani hoſtis, hæreticos excitavit, Armenos Græcosque, ut Turcas in Catholicos commoverent. Promulgatum anno 1723 atrox edictum, quo omnes Franci tota faceſſere Syria jubebantur; actumque fuiſſet de florente illa Miſſione, niſi imploratus Ludovicus XV. Rex Chriſtianiſſimus per Bonacum Oratorem ſuum interceſſiſſet.

Anno 1713 P. Neretus S. J. Miſſionarius in Syria ſacram peregrinationem inſtituit in terram ſanctam, quæ Syriæ accenſetur. 7. Aprilis Sidone ſolvit cum cœtu hominum, quem *Caravanam* appellant. Relicta a lævo latere *Tyrus*, Alexandri M. obſidione celebris, & *Sarepta*, in qua Elias oleum multiplicavit, & puerum ad vitam revocavit. Urbs utraque, ædibus olim & opulentia ſuperba in lapidum hodie acervum tranſiit. Eadem prope ruina involvit *Ptolomaidem* (*Acram* ſeu *Accum*) nobiliſſimam olim civitatem, ſanguinolentum per multos annos theatrum belli, jam a Chriſtianis, cruce ſignatis, jam a Saracenis expugnatam, & jam olim a captivitate Jonathæ Machabæi famoſam. Haud procul inde viſuntur rudera *Cæſarea* Palæſtinæ; ab Herode Aſcalonita in honorem Cæſaris Augu-

guſti ſuperbe ædificatæ, in loco, ubi Stratonis turris, ab Alexandro M. everſa, ſteterat. Cæſaream celebrem fecit Primatus Epiſcopi per Palæſtinam, Euſebius Cæſareenſis, centurio Cornelius, a S. Petro ibidem baptizatus &c.

Pia peregrinantium cohors, luſtratis hiſce urbibus, aut potius urbium ruinis, navigavit *Caffam* (ſive *Joppen*) colli impoſitam, quam Saladinus evertit, S. Ludovicus reſtauravit. Nota eſt ex S. Scriptura per fugam Jonæ. Peregrinantes in terram ſanctam hic ſolent exſcendere, & reliquum iter terra conficere, poſtquam ſinguli 15. thaleros Turcis perſolverint. Patres Franciſcani ſtrictioris obſervantiæ, qui in Syria appellantur Patres S. Sepulchri, aut terræ ſanctæ, hic habent hoſpitium, in quod P. Neret ſe recepit, humaniſſime exceptus, ſicut etiam Romæ, Jeroſolymis, Bethlemii &c.

Jeroſolymam vix ante viderunt, quam portam pulſarunt, moxque grandem murorum ambitum intrarunt, intra quem tria templa continentur, 1. templum S. Sepulchri, toto orbe Chriſtiano multo celeberrimum, figura ovali conſtructum, ad quod e manibus Sacracenorum vindicandum tota quondam Europa ſedibus ſuis fuit emota. 2. Templum montis Calvariæ. 3. Templum inventionis S. Crucis, a S. Helena conſtructum. Quilibet ingrediendi licentiam 16. thaleris a Turcis initio redimere debet.

Viſitur ibidem locus, quo Joſephus ab Arimathea Corpus Chriſti, a Cruce depoſitum, unxit, & ſepelivit: locus crucifixionis, & in quo ſtabat Mater doloroſa cum Joanne: circum undique aureæ & argenteæ diu noctuque ardent lampades, a magnis Principibus ad S. Sepulchrum donatæ. Quævis natio Chriſtiana ibi proprium habet locum, ſicut etiam in cathedrali Eccleſia ritum proprium. Taceo varias capellas, in quibus locus aliorum Chriſti myſteriorum.

Iter inde directum ad Jordanem, baptiſmo Chriſti inclitum. Itum per vallem Joſaphat, per Bethaniam, reliquiis domus Magdalenæ & Marthæ, atque ſepulchri Lazari memorabilem: per urbem Jericho, cujus non niſi nomen ſupereſt. Prope oſtenditur mons, in quo Chriſtus 40 diebus jejunavit. Ventum inde ad eum Jordani locum, in quo Chriſtus a Joanne baptizatus dicitur. Erecta ara, in qua ſacrificium Miſſæ a P. Neret peractum. Conſpectum ibi mare mortuum, perpetuum Divinæ vindictæ monumentum.

Reditum a Jordane ad montem Olivarum, ubi hortus Gethſemani. Succus ex olivis, ibidem ſtantibus, tanquam res ſacra, diſtribuitur, & ex oſſibus olivarum Roſaria, quæ magni æſtimantur,

& Jeroſolymitana appellantur, conficiuntur. Per amnem Cedron Jeroſolymam redicre, ut cultum Divinum hebdomadæ ſanctæ ſpectarent, qui a Guardiano Pontificali ſolenni ritu eſt celebratus.

Feria 2 paſchatis pia turba in Bethlehem pro more eſt peregrinata, pagum, hominibus frequentem, nec ultra duas horas Jeroſolyma diſtantem. In extremitate pagi ſpecus monſtratur, in qua Chriſtus natus & a Magis fuit adoratus. Cingitur crypta magnifico templo. Prope illud S. Hieronymus habitaſſe traditur. Monſtratur ejus ibidem ſepulchrum, uti etiam ſanctorum Innocentum, Euſtochium, Paulæ &c.

A Bethlehem reverſi ſunt Jeroſolymam, urbem hodie exilem, ſuper ruinas antiquæ erectam, in qua nihil viſu dignum præter loca, Chriſti myſteriis inſignita, pluraque hinc inde variæ formæ templa, ſacri horroris & devotionis plena, quorum unum ſepulchro B. V. Mariæ ſuperſtructum eſt. Relinquunt Turcæ hæc Chriſtianæ pietatis monumenta ſalva, tum propter interceſſionem Chriſtianorum Principum, tum maxime ob immenſam pecuniam, quam Chriſtiani accedentes important.

Cum Sidonem redirent peregrini, P. Neret excurrit in Nazaret, diei itinere Ptolomaide diſtantem vicum, in quo templum viſitur eo loco, quo ſteterat alma domus, in Dalmatiam primum, Lauretum dein translata. Patres Franciſcani etiam hic habent hoſpitium, & peregrinos magna cum benevolentia excipiunt.

Luſtrata dein alia Galilææ loca, Chriſti veſtigiis, miraculis, & prædicatione ſacrata, mare Galilæum, ſeu mare Tiberiadis, aut lacus Geneſaret: Capharnaum, urbs olim famoſa, hodie ne pagus quidem: Tiberias urbs, quæ pariter in cineres aut pulverem ſubſidit: Cana Galileæ, ubi templum Chriſtianum in fanum Turcicum fuit mutatum: mons *Thabor*, duabus horis Nazaretho diſtans: mons *Carmelus* ſeptem horis inde recedens, Eliæ quondam receptaculum, cum Achabum & Jezabelem fugeret. Patres Carmelitæ hic Monaſterium habent; in quo ſacellum elegans, Divinæ Matri ſacratum.

*Antiochia*, cathedra S. Petri, prima Chriſtianorum nomenclatione, pluribus Conciliis, S. Chryſoſtomi Homiliis, Patriarchatu, & Principatu, a Latinis quondam erecto, memorabilis civitas, ad inſtar aliarum Syriæ magnarum urbium, in buſtum & triſtem ſaxorum congeriem ſub Turcarum tyrannide abiit.

CA-

# CAPUT XVIII.

## *Imperium Mogoriæ & introductio Religionis in illud.*

Inter omnes Indiarum Reges divitiis & provinciarum amplitudine eminet Imperator Mogoriæ, qui *Magnus Mogol* appellari conſuevit. Illius Imperium, quod etiam *Indoſtan* dicitur, ab occaſu Perſiam, ab oriente Sinas, a ſeptentrione Tartariam Magnam, a meridie Sinum Gangeticum & mare Indicum attingit, hinc ultra Indum, ultra Gangem inde excurrens, 32 provincias complexum.

Ab antiquis temporibus ſuos Reges habuit. Ab anno vero 1404, quo Tamerlanes illud occupavit, ejus hæredes continua ſerie id poſſident. Nam ille moriens vaſtiſſimas ſuas provincias inter quatuor ſuos filios ita diviſit, ut uni eorum Indoſtanum obtingeret.

Solum fertile omne genus frugum, aurum, argentum, gemmas, ſericum, ſacharum, byſſinum, & varia aromata progignit, ut adeo Aſiani, & Europæi opulentum ibidem commercium exerceant.

Religio dominans eſt Mahometana, quamvis innumeri ſint immixti Ethnici, Judæi, Neſtoriani, Græci Schismatici, nec pauci Catholici ibi verſentur, ab Europæis ſacerdotibus converſi, prout mox breviter referetur.

## Articulus I.

### *Echebari in Miſſionarios Favor.*

Echebarus Mogolum Imperator anno 1579. Patres Societatis Goa evocavit, miſſis cum legato ad Prætorem Luſitanum & Goanos Patres, quibus eos invitavit, litteris. Miſſi Rudolphus Aquaviva, Ant. Monſerratus, & Franc. Henriquez, qui, confutatis Mahometanis deliriis, & expoſita Chriſtiana lege, Imperatorem permoverunt, ut amplectendæ fidei poteſtatem faceret ſuis, & e filiis unum Patribus inſtituendum daret.

Probavit is quidem Patrum doctrinam, Matremque Dei magnifica pietate eſt proſecutus, propoſita ad publicam venerationem ejus imagine; ſed fidei negotium in longum trahebat, multumque pollicitus, nihil præſtitit. Receſſere proin Patres, in tanta Miſſionariorum paucitate alibi utilius operam collocaturi. Ægre illos dimiſit,

alios-

alioſque petiit. Miſſi Leitanus & Vega, qui eandem ſortem experti ſunt; difficilius quippe multo eſt, Mahometanos voluptarios, quam ethnicos, convertere.

Improbavit Roma properum ex Mogoria diſceſſum Patrum, datusque Imperatori petenti Hieronymus Xaverius, S. Franciſci Xaverii ex fratre nepos, Domus Profeſſæ tunc Goæ Præpoſitus. Iter is promptus iniit cum P. Pinierio & Fratre laico. Lahorem urbem Regiam cum anno 1594 perveniſſent, excepit eos Imperator amantiſſime, ædes ad habitandum conceſſit ampliſſimas: cohortem militum ad cuſtodiam addidit: locum ædificando templo attribuit; poteſtatem initiandi ſacris myſteriis populi fecit.

Mirabantur, nec ſine livore, Proceres, ſingulares omnino honores, hominibus iſtis Europæis a Rege deferri, quos nec Regibus, quorum multos habebat vectigales, concederet. Mirum, quo eos, dum clientelam profitentur, contemptu acciperet. Cum primum in aulæ limine conſtiterunt, Imperatorem toto corpore proſtrati adorant, idque tertio quoque paſſu factitantes, ſenſim ad ſolium prorepunt. Tum ſtipatores hominem excutiunt, num quid armorum geſtaret. Inde progreſſus pedem Imperatoris leniter ſuprema tangit manu. Ille faſtu barbaro jacentem deſpectans, dextram cervici ejus imponit. Quo tanquam inſigni beneficio accepto, erigit ſe, & inter Reges & Dynaſtas adſtantes locum capit. Mox grandia auri gemmarumque offert numera. Vix dies abit, qui non ſimili Regis cujuſpiam aut Dynaſtæ obſequio doniſque ſignetur.

Majoris multo pretii gazas ei offerebant legis Evangelicæ præcones. Et æſtimabat ille; nec precibus, quæ in æde noſtra fiebant, adeſſe dubitavit, ſubmiſſis diu genibus. Chriſtianum Principem diceres. Trepidabat Mahometis ſuperſtitio. Patres aperiebant ſcholam. Hanc Regum & Principum frequentabant filii. Multi de populo ſacris undis tincti. Cum gaudio hæc ſpectavit Imperator, & diplomate Cambajæ regno, quod nuper ſibi ſubjecerat, ampliſſimam poteſtatem fecit, Chriſtiana ſacra ſuſcipiendi: eoque ſocii aliqui ſunt deſtinati.

Sed viam ſalutis, quam aperiebat aliis, ſibi obſtruxit, cunctatione & ſuperba ſuperſtitione, qua Divinos honores ambiebat. Solem Perſarum more adoravit, ſimul tamen etiam Chriſtum, & catena aurea ſuſpenſam Deiparæ imaginem geſtabat; quaſi vero Dagon cum arca poſſet conſiſtere.

Ve-

Verum, quam in Principe nutante ſalutem operari non poterant Patres, plurimis aliis attulerunt, non Ethnicis modo, ſed etiam Mahometanis. Surgebant ſacrata Deo templa, Divinæ reſonabant laudes, concertationes cum Mahometanis coram Imperatore habitæ, qui horum reſponſa riſu excepit. Edita præclara a Chriſtianis, præſertim juvenibus, conſtantiæ exempla, erecta Agræ quoque, altera civitate Regia, ſacra ædes (*anno* 1602.).

Imperatoris poſt Dei gratiam benevolentiæ ac protectioni hæc debebantur; quamvis ipſe ad fidem, quam veram agnoſcebat, ac publice dilaudabat, permoveri non poſſet, magnis propterea calamitatibus afflictus; nam & filius, quem primo genuerat, in patrem rebellis, inſurrexit, & regni Decani Princeps, jugo excuſſo, grave ipſi bellum movit, in quo filium alterum amiſit: tandemque anno 1606 veneno, incaute hauſto, periit, 50mo Imperii.

Fuit Echebarus ſummus Princeps, præclaris dotibus a natura inſtructus, ingenio, conſilio, memoria, judicii perſpicacia, regni tam vaſti cura, pacis bellique artibus præcellens. Tintinnabulum conclavi appenderat, quod pulſare foris cuilibet fas eſſet. Si cui irrogaſſet mortis ſupplicium, procraſtinari voluit, donec ter triſtem ſententiam pronuntiaſſet. Regebat ipſe, & per omnes provincias ingentem animum partitus, atque in omnes miniſtrorum partes intendens, univerſam molem funiculis velut rotisque ciebat. Equis ſuis & Elephantis, quorum incredibilis multitudo, ſingulis nomina impoſuit, & probe meminit. Converſatione cum exteris delectabatur, & quaſi aliud agens omnium regnorum ſtatum explorabat.

Unum illi deerat, recta Dei cognitio, aut potius illius cultus & obſequium. Creditum, quod, cum in omnes religiones inquireret, id ei fuiſſe conſtitutum, ex omnibus unam conflare, illamque præſcribere: quo deliramento cum ex omnibus aliquid decerperet, nullam habuit. Scribitur etiam de eo, quod 30 infantes in loco abſcondito concluſerit, addito gravi interdicto nutricibus, ne vel verbum coram illis loquantur, idque eo factum ab ipſo animo, ut cujus gentis linguam natura illos doceret, ejus religionem præ reliquis probaret; verum nullum ex illis, cum ad ætatem maturam perveniſſent, vocem articulatam protuliſſe, ſed ſono confuſo, geſtu & nutu fuiſſe locutos.

# Articulus II.

## *Selimi Inconſtantia.*

Echebaro ſucceſſit *Selymus*, qui Proceribus promittere debuit, ſe Mahometismum contra omnes exteras ſectas tuiturum. Quare, ut iſtis placeret, alienum a Sacerdotibus noſtris & Religione oſtendit animum. Sed poſtquam filius ejus, patris exemplo, perduellis, bellum illi moverat, victusque, erutis oculis ad æternas tenebras fuerat damnatus, Imperator Patres, ſibi a victoria redeunti, obviam procedentes, humaniter excepit, atque deinceps fovere perrexit. Sicut enim perſpicacis erat ingenii, facile intellexit, Mahometismum ſcatere fabulis; quapropter ſæpius publicis concertationibus indictis, Miſſionarios cum Mahometanis Popis commiſit, ridebatque, cum illi Alcorani fabulas egregie confutarent. Incurrebant autem propterea magnum Mahometanorum odium, quibus alias Chriſtiana lex eſt ſummopere inviſa.

Quia vero Selymi fatevore erant protecti, eo freti Patres, conſueta Societatis noſtræ munia Laboriæ, atque Agræ, urbibus Regiis peragebant; haud ſecus ac ſi in media Roma verſarentur. Inſtitutæ publicæ per urbes ſupplicationes, prælata cruce, puerisque pium carmen concinentibus: in ædibus ſacris omni, quo fieri poterat, apparatu ornatuque officia Divina celebrata, Mahometanis & Ethnicis partim ſtupentibus, partim frementibus.

Res acta eſt alia, mira quidem, ſed præſente Imperatore, & corona Procerum, Poparumque, quæ, ceu a Divina providentia profecta, non parum ad æſtimationem Chriſtianæ legis contulit. Juſſit Imperator, in 12 ſchedis ſcribi 12 præcipuorum legislatorum, Moyſis, Chriſti, Mahometis, Brummæ, & aliorum, quos India colit, hasque ſchedas, inter ſe permixtas, urnæ injici: habebat autem Simium admirandæ ſagacitatis in detegendis rebus occultis. Huic datum negotium, ut ejus nomen ex urna extraheret, cujus vera eſſet religio: Simius nihil cunctatus, Chriſti nomen eduxit. Nomina iterum conſcribi juſſit Imperator, ſed inſolitis & arcanis characteribus. Simius iterum Chriſti nomen extulit. Obſtupuit totus cœtus, ſed multo magis, cum Princeps nomen Chriſti clam exemptum urna tradidit aulico abſcondendum, relictis 11 reliquis, innuitque iterum Simio, ut veri legislatoris nomen rurſus extraheret, acceſſit, & ſingula contemptim attrectans, atque rejiciens, nullum exprompſit, ſed

progreſſus ad aulicum, Chriſti nomen ei extorſit. Clamorem ſuſtulit Imperator, magisque adhuc Chriſti prædicatoribus favere cœpit, ejusque imaginem conclavibus palatii ſui affigi, & ſigillis imprimi voluit. Deiparam quoque cultu ſingulari venerabatur.

Prorex Lahoriæ, cum Imperator Agram diſceſſiſſet, crudeliter Chriſtianos perſecutus, exilio eos damnaverat. At ſubito gratia Imperatoris excidens, in carcerem conjectus eſt; Patres vero reſtituti.

Imperaror Selymus, licet Chriſtianæ fidei eximie faveret, eamque veram agnoſceret, & publice prædicaret, atque ardenti ejus deſiderio teneretur, impetrare tamen a ſe ipſo non poterat, ut pellices dimitteret. Tres tamen, quos adoptaverat, e fratre nepotes, adoleſcentes lectiſſimos, P. Hieronymo Xaverio inſtituendos & baptizandos tradidit. Cum autem Mahometani eum ab hoc conſilio abſterrere niterentur, quæſivit: quid fiet igitur, cum me quoque Chriſtianum India videbit? cui Proceres aliquot Chriſtiani: nihil reſtabit aliud, quam ut ad Principis exemplum populus ſe componat.

Poſtquam tres Principes diligenter fuerant eruditi, anno 1610 ſolenni baptiſmo deſtinatur dies. Nullus Mogolum Imperio illuxit pulchrior. Luſitani, Veneti, Poloni, Angli, Armeni, auro nitentes & purpura, equis magnifice inſtratis vecti; ſubibant adoleſcentes Principes, albis inſidentes Elephantis. Pendebat e collo ſingulis aurea crux: circum plurima Nobilitas: tota civitas obſidebat vias. Progreſſos ad ſacram Societatis ædem Xaverius, Sacerdotali indutus trabea excepit; tubis organisque concinentibus datum initium, reſpondentibus baptizanti ipſis Principibus. Reduces Imperator lætus amplexus eſt, eosque large donavit. Exemplum tam illuſtre paucos intra dies plures e regia familia proceres ſunt ſecuti. Quantum autem decus, quantaque æſtimatio Chriſtianæ Religioni acceſſerit, haud difficile fuerit conjicere.

Sed proh inſtabiles mortalium mentes! Selymus a ſe ipſo deſciſcens, anno 1616 perſequi cœpit Religionem, quam toties probatam amplexurum ſe ſpoponderat, ejusque ſacros miniſtros, clauſo templo, Lahoria expulit, Principes, nepotes ſuos, nuper cum tanta ſolennitate baptizatos, repetiit, & ad Alcorani deliria reduxit. Cauſam tantæ mutationis in Luſitanos retulit, qui Mogolicam navim interceperant. Xaverii, quo jam per tot annos familiariſſime fuerat uſus, præſentiam non amplius ferens, velut legatum Goam miſit, ut litem componeret, ſed in Cambaya perfide eum detineri juſſit. Jamque armabatur utrinque miles, claſſium antennæ explicabantur,

cum Patrum noſtrorum, jam ad Imperatorem, jam ad Indiæ Proregem accurrentium, induſtria erumpens belli flamma ſopita eſt. Conſcriptæ pacis leges. Reſtituti Patres ſuis ædibus.

Sed reſtitutus non eſt priſtinus Selymi in legem Chriſtianam ejusque ſacros Interpretes animus; jam illos averſari, jam nullum de Chriſto verbum pati, jam ſanctam Religionem habere poſtremam. Nihil optatius eſſe Mahometanis poterat; cumque ad Principis exemplum fingere ſe populus ſoleat, deliberarunt Miſſionarii, an non expediret, contumax ſolum omnino deſerere, & alibi utilius operam ponere. Vicit ſententia, perſiſtendum in loco, ne Chriſtiani, quorum 500 circiter erant, omni carerent ſacrorum miniſterio, quæ etiam erat P. Mutii Generalis ſententia.

## Articulus III.

### *Iulecarnetes & Juliana Religionem ſuſtentant.*

Spem aliquantum erexit Mizræus, quem alii *Tulcarnetem* appellant, Nobilis Armenus, apprime Catholicus, qui apud Selymum præcipua pollens gratia, Sambalenſi provinciæ fuit præfectus. Conſilium is inierat, fundandi Agræ Societati Collegium, cum tenuis duntaxat hactenus fuiſſet Reſidentia: difficultatem injecit conditio Mogoriæ; nam præter ædes ſubditi nihil immobile transmittere poſſunt ad hæredes, ſed bona ſtabilia poſt mortem ad Principem redeunt, qui dein illa vel hæredibus, vel aliis pro arbitrio confert; bona igitur ſtabilia aut cenſus annuos pro collegio emere non poterat Mizræus. Igitur P. Caſtium, quo conſcientiæ arbitro utebatur, Goam mittit cum pecunia, ut in ſolo Luſitano fundos emat, ex quorum proventu Collegium Agranum ſuſtentari queat; atque ſic opus confectum eſt anno 1620. Si autem contingeret, Societatem Mogoria expelli, P. Generalis arbitrio fundator hos fundos reliquit, in quos uſus ad majorem Dei gloriam & ſalutem animarum impendi velit.

Stationem aliam paulo poſt in Patanenſi ad Bengalæ fines Mogolici Imperii provincia erexit loci Gubernator, qui Goæ olim fuerat baptizatus. Miſſus eo P. Figueredus, qui locum vulneribus & ſanguine initiavit, a Mahometano Juvene percuſſus, interprete illius omnino interempto. Cum autem ſterile Mogoriæ ſolum, quamvis tanto labore cultum, fructum optatum non redderet, plures ex

Miſ-

Miſſionariis in vicinum Regnum Thibet conceſſere. Rex eos perhumaniter excepit, atque de ſalutis via differentes una cum Regina attente audivit, ut adeo ſpem propinquam converſionis faceret. Verum a vicino barbaro Rege bello invaſus, victus, regnoque exutus, ſpem omnem deſtituit. Miſſionariis in illis turbis regno excedendum fuit.

De Mizræo ſeu *Tulcarnete* Nobili Armeno, qui collegium Agræ fundavit, cujus ſupra memini, hoc adhuc addendum venit. Cum juvenis adhuc eſſet, Imperator eum urgebat, ut abjecta Chriſti fide ad Mahometem tranſiret; id ni faceret, ex turri præalta, quam digito ei monſtrabat, præcipitandum fore. Juvenis heros, ab aula ſe ſubtrahens, turrim illam conſcendit; cumque ibi inventus eſſet, Imperator eum ad ſe accitum interrogavit, cur fugiſſet? reſpondit adoleſcens: *ut eo celerius ad cælum pertingam, ſi Majeſtas ſua imperet, me de turri præcipitari. An ergo mortem non times?* inſtat Imperator: *nullo modo*, reponit Tulcarnetes, *nam qui pro Deo moritur, in æternum vivet in cælo.* Quod reſponſum tantopere placuit Selymo, ut filii loco eum deinceps haberet, ſummisque muneribus præficeret; qua authoritate ille ad Chriſtianæ Religionis tutelam imperterrite uſus eſt.

Accidit aliquando, ut Imperator Jeſuitam, quod acrius contra Mahometanos certaſſet, relegaret; quod ubi Tulcarnetes intellexit, columnam throni Regii concutiens dixit: *quo denique hic thronus Salomonis deveniet?* Majeſtatis reum proclamarunt Mahometis aſſeclæ. At Imperator illico Miſſionarium revocari juſſit. Et ſane, quamdiu Tulcarnetes ſtetit, quo fidum magis Miniſtrum Imperator non habuit, tamdiu ſtetit Religio; eo vero mortuo cœpit perſecutio.

Verum Deus Mogoricæ ſuæ Eccleſiæ poſt mortem Tulcarnetis aliud præſidium providit, &, quod mireris, per fœminam Chriſtianam. Eſt illa *Juliana Dias*, ex Luſitano parente Agræ in Mogoria nata, & apprime Catholica. Conjuge viduata *Baſurzæ* Principi, quem pater Imperator *Orenzebus* carceri incluſerat, ſervire juſſa eſt. Quod tanta ſedulitate, innocentia, & vitæ probitate per 12 omnino annos præſtitit, ut non modo apud filium captivum, ſed etiam Imperatorem ſingularem iniret gratiam.

Baſurza, mortuo patre, e carcere ad thronum ductus, Julianam ceu matrem colebat & amabat, atque in ipſius gratiam Miſſionarios fidemque Chriſtianam protexit, ut non modo *Agra*, centro Miſſionum, ubi ſocietas noſtra collegium, a Tulcarnete fundatum, adhuc

poſſidet, ſed *Beli* quoque, urbe ampliſſima, multi converterentur, & ſocietas duas ſedes, quas *Reſidentias* vocamus, ſit ſortita.

*Labore* eſt plerumque collectus flos Imperatoris exercitus, Chriſtiani potiſſimum conſtans, qui in labaris ſuis & vexillis libere ſignum crucis præferunt, & quotidie Chriſtianæ devotionis officia publice exercent. Bis in annos ſingulos Patres eo veniunt, & milites aliosque Fideles expiant, atque in ulteriores provincias, Multanam, Bucoranam, Cabulenſem &c. Religionem propagant: imo Miſſionarii Mogorenſes Guzaratam usque, aliaque Regna, in Peninſula cis Gangem Magno Mogoli ſubjecta, ſolent excurrere.

Quæ de immenſis Magni Mogolis divitiis narrari ſolent, in eo ſolum a veritate aberrant, quod oratio magnitudinem opum non aſſequatur. Ex 32 amplis, quas poſſidet, provinciis, a multis Regibus, ſibi vectigalibus, a theſauris totius Indiæ, ex nationum omnium commerciis, tantum auri colligit, ut fidem ſuperet. Vel ſola Bengala multos milliones quot annis importat.

Palatium Imperatoris, quod Delli habet, nullum in orbe ſuperba magnificentia ſimile habere dicitur. Omnes parietes auro gemmisque ſplendent. Thronus, in auguſta ampliſſimaque aula poſitus, duodecim prægrandibus columnis, ex ſolido auro conflatis, gemmisque undique diſtinctis conſtat. Conopæum pavonem refert, Mahometanæ ſectæ inſigne. Cauda ejus, adamantibus, rubinis, ſmaragdis intertexta, thronum tegit, qui mundi miraculis accenſetur. Hunc Schach Nadir, ſeu Kulicanus Rex Perſiæ cum ingenti auri, gemmarum, rerumque aliarum pretioſarum vi, poſtquam Mogoriæ Imperium ſubegit, Iſpahanum in Perſiam transtulit. Quod qua ratione contigerit, mox dicetur.

## Articulus IV.

### *Irruptio Kulicani in Mogoriam.*

Nunquam Mogoria, prout totus propemodum orbis, majoribus motibus eſt quaſſata, quam præſenti, quod vivimus ſæculo. Solus annus 1720 quinque Imperatores habuit, parricidali ferro cognatum ſanguinem hauriente. Diuturnius ſed non felicius fuit Mahumadæ Imperium. Nam anno 1727 *Surata*, in Magni Mogolis Imperio aquis

aquis eſt abſorpta, ingenti Franciæ, Angliæ & Hollandiæ mercatorum detrimento, qui hic officinas, mercibus onuſtas, collocaverant.

Sed anno 1738 gravior multo tempeſtas Mogoriæ incubuit; Kulicanus etenim, Esreffio, & Miriveiſi filio debellatis, depoſito Thama Sophyo, Turcis victis & Moſcis, recuperatis ad Occidentem provinciis, Orienti infuſus, Magni Mogolis Imperio ſigna victricia intulit, filio interim in Perſia remanente, & regiones ad Caſpium mare ſub jugum mittente, quod in turbis Perſicis excuſſerant.

Belli autem Mogorici hæc erat origo. Mogor Perſici belli tempore quadam loca decerpſerat; ut igitur Kulicanus regnum in integrum penitus reſtitueret, & Perſicam pubem, quæ ſub Sophyorum ultimorum molli & enervi regimine in ſegnitiem & inertiam defluxerat, perpetuo armorum uſu in Martiam ſobolem efformaret, belli occaſionem quæſiiſſe videtur, repetens inſuper ſumptus, quos ante 200 annos feciſſet Perſia, dum Mogori miſiſſet auxilia. Sed Imperator, potentiæ ſuæ confiſus, Perſam ne quidem reſponſo eſt dignatus.

Quare is, ſe deſpectum ratus, licet aditus omnes multo milite eſſent cuſtoditi, in Mogoriam penetravit, cæſoque hoſtili exercitu, Cabulum expugnavit aliasque urbes, quin provincias & regna integra. Trajecto dein Indo commiſſum eſt prælium decretorium. Kulicanus cum paucis, ſi cum Mogoribus comparentur, innumerabilem turbam profligavit. Dixiſſes, Perſas tranſiſſe in Macedones, & Mogores in Perſas; & illic Alexandrum pugnaſſe, hic Darium. Captus eſt ipſe Imperator, filius in acie cecidit. Tanti intereſt, qua diſciplina imbuatur miles, & quem Ducem ſequatur. Pater Saines ſcribit, nullum commiſſum eſſe juſtum prælium, ſed a Kulicano Mogoribus cibaria fuiſſe intercluſa, atque fame acciſo exercitu Imperatorem coronam eidem ſubjeciſſe.

Victor captivum Imperatorem, tot Indorum Regum Regem, Elephanti impoſitum, abduxit *Dellium*, ubi theſauros Imperii, quorum pretium fidem ſuperat, collectos invenit, orientis & occidentis domitor appellatus; cum autem conjurationem ibidem inſidiasque detexiſſet, urbem illam principem igne & ferro prope delevit, paucis crudelitati ſubtractis. Mitius ſævitum in Imperatorem; nam Kulicanus eum throno reſtituit, ſed conditionibus haud parum aſperis. Detraxit enim ejus Imperio duo regna, Cabulenſe & Patanum, cum pluribus locis munitis, & regionibus, Perſiæ vicinis ad Indi usque oſtium. Juſſus præterea miſer, grande tributum Perſiæ annuatim ſolvere, & Imperatoris nomine retento, *Azefia* Duci ſuo (quo Kulicanus

canus familiariter uſus fuerat) adminiſtrationem relinquere. Conſtrictus vinculis infelix Imperator in omnia conſenſit, beneficii loco habere coactus, quidquid victoris clementia feciſſet reliquum.

His *Agra*, Imperii capite, conſtitutis, Kulicanus, relicto in urbibus & provinciis adquiſitis valido præſidio, cum reliquis copiis in Perſiam rediit, atque Iſpahanum triumphans ingreſſus eſt, ſpoliis & trophæis dives; cum Indiæ theſauros ditiſſimi paulo ante Imperatoris, cum ingenti auri, argenti, gemmarumque vi, ac multis nobilibus obſidibus, ſecum adduceret (*anno* 1739.)

Mirum pluribus viſum, quod Kulicanus, capto Imperatore, exercitu ejus cæſo aut diſſipato, nemineque reſiſtere amplius auſo, non omnem ſibi Mogoriam penitus ſubjecerit, victoriasque ſuas non ad Sinas usque & Indicum mare ſit proſecutus. Verum novi motus, tum in ipſis Perſiæ viſceribus, tum maxime a Turcis, de tantis Perſiæ incrementis ſibi timentibus, concitati, invitum e mediis palmis retraxerant.

Vixit deinceps, ſucciſis alis, quietius Imperator *Mahumada*, donec anno 1749. obiit. *Magni* nomen mereri potuiſſet, niſi in Kulicanum incurriſſet. Succeſſit filius Ametcha, qui Bottanos, Candaharicæ provinciæ populos, in Mogoriam irruentes, ſtrenue repreſſit, intentusque eſt reſtaurandis laceri Imperii ſui reliquiis.

Complectitur hoc, quod dictum plura regna, quorum præcipua ſunt. 1. *Agranum*, in quo *Agra* totius Imperii metropolis ac Imperatoris ſedes (prout etiam Dellium, & Lahora) cujus ambitus 12 milliaria Germanica complecti dicitur, ſuperba prorſus omnique opulentia plena. 2. Regnum *Guzarat* ad Indi oſtia, in quo urbs princeps *Surata*, undis, quod dixi, hauſta, cum ingenti mercaturæ detrimento. *Cambaya*, propter magnitudinem appellata eſt Cairum Indicum, emporium Luſitanis commerciis frequens. *Amadabat*, Londinum in Anglia, ut ferunt, amplitudine æquans, regni Guzarati caput a quibusdam habita. 3. Regnum *Bengalæ* ad Tropicum cancri, & Gangis oſtia, cujus caput *Ugelium*.

## CAPUT XIX.

### *Indiarum Hiſtoria.*

Ante Alexandri M. tempora nemo legitur penetraſſe in Indias, niſi Bachus, forte & Hercules. Quod tamen fabulis potius accen-

ſen-

ſendum videtur. Alexander vero, cum ambitione tumens totum orbem ſubjugare deſtinatum haberet, cum exercitu e Perſia in terras illas delatus, Regem Porum devicit, ſibique Indiam vectigalem fecit. Eo mortuo Indi non diu Græcis paruerunt, ſed in priſtinam libertatem aſſerti, Reges ſuos indigenas rurſus habuere, eosque pro terrarum amplitudine varios & fortuna, prout res humanæ ferunt, varia.

## Articulus I.

### *Synoptica Indiæ Adumbratio.*

Præter Regna complura, quæ Magni Mogolis Imperium complectitur, India cis & ultra Gangem, ſeu potius Sinum magnum Gangeticum, in duas grandes peninſulas, duo velut femora diviſa, ingenti terrarum tractu in mare Indicum excurrit. In iis multa ſunt regna & provinciæ, Mogoriæ partim Imperatori ſubjecta, a propriis partim Regibus gubernata.

Et in Inſula quidem cis Sinum eſt 1. Regnum *Decanum*, cujus caput *Viſapor*, ad quod etiam *Goa* Inſula olim pertinuerat, ad Luſitanos dein devoluta, & ab illis hodiedum poſſeſſa. Portu omnino inſigni eſt inſtructa; a barbaris ſæpius tentata, ſed ab incolis fortiter ſemper defenſa.

2. In ora *Malabarica* eſt regnum *Calecuti*, ubi piper gignitur, cum urbe cognomine, habetque proprium Regem. Regnum item *Cananoranum* & *Cocinenſe*, quæ Batavi Luſitanis eripuerunt.

3. In ora *Coromandelis* ad Sinum Regnum *Bisnagar* ſeu *Narſinga*, cujus Metropolis *Meliapor*.

4. In ora *Golcondæ* regnum Golcondæ & *Orixæ*. Omnia hæc loca gemmarum & aromatum ſunt feracia, ac propterea magnum cum Europæis tractant commercium, maxime cum Hollandis, qui varia in iis loca occuparunt. Accedit regnum *Maduræ* prope Calecutum ſitum.

In Peninſula trans-Gangetica, Chinam verſus, adhuc majore, plura pariter extant regna, uti 1. *Aracanum* & *Avanum*, quæ proprio Regi parent.

2. *Peguanum*, quod aliqui Ophir, aurifodinam Salomonis, fuiſſe exiſtimant.

3. Regnum *Siamenſe*, cujus metropolis *Odia* Venetiarum inſtar undis inædificata dicitur. Hoc regnum magnum habuit cum Gallia ſuperiore ſæculo commercium, quo etiam legatum miſit, & recepit; qua occaſione multi ad Chriſtianam fidem a Societatis Jeſu Miſſionariis converſi ſunt, ſed Regum ſucceſſorum inconſtantia negotium tam ſalubre intercidit.

Ad Siami regnum ſpectaverat etiam Peninſula *Malacca*, eidem a parte Boreali cohærens. Urbem ejus primariam Malaccam Luſitani occupaverant, ſed his anno 1641 ab Hollandis erepta eſt, quibus pro commerciis in Chinam & Japoniam eſt accommoda. Degunt in ea multi Sinenſes & Mauri, Hollandis vectigales.

4. Regnum *Cochinchinæ* proprium Regem habet, qui tamen Sinenſi Imperatori tributum pendit.

5. Regnum *Tunchinum* ſuo ſimiliter Regi paret, nec modicæ eſt potentiæ.

Præter regna iſta, quæ continenti adhærent, per mare Indicum plurimæ diſperſæ jacent Inſulæ, propter fertilitatem ſuam magni momenti, prout Hollandi ubertim experiuntur. Nam

1. Ex parte occidentali haud procul a Malabaria eſt Inſula *Ceylon*, quæ propter amœnitatem & fertilitatem pro Paradiſo & Indiarum ocello habetur. Proprium habet Regem, ſed penes Hollandos, pulſis Luſitanis, eſt commercium.

2. Infra Siam & Malaccam ſub æquatore eſt Inſula *Summatra* in longum protenſa. Plures in ea ſunt Reguli, qui Hollandis parent. Ignivomus ibidem inſtar Veſuvii mons eſſe dicitur.

3. Fretum, quo tranſeunt naves in Chinam & Japoniam, a Summatra ſeparat Inſulam *Javam*, quam celebrem fecerunt Batavi, dum novam ibi urbem condiderunt, ſuper *Jacatræ* rudera, quam *Novam Bataviam* appellant, omnium, quas Hollandi habent in India, principem. Hic enim ſunt Magiſtratus Societatis orientalis, quibus parere debent Inſulæ reliquæ. Exercentur judicia, ſub generali vicario, cui omnes rationem debent reddere. Innumeras circum naves habent, in totum Orientem expeditas. Sed opperiri oportet ventum ſecundum; nam venti ſtatas accurate obſervant vices, ita, ut per 6 menſes ſpiret Boreas, & per 6 alios Auſter.

4. Supra Javam ſub ipſa æquinoctiali linea eſt Inſula *Borneo*, omnium maxima, diverſis Regibus ſubjecta, qui Hollandis non aliud, quam commerciorum libertatem indulgent.

5. Fre-

5. Freto magno interjecto ad Orientem jacet *Celebes* Inſula. Duos habet regulos, ſed Hollandi ferme illis dominantur.

6. Inſulæ *Moluccenſes* ſunt quinque, a Magellane detectæ; præcipua earum eſt *Ternate*. Diſputabatur Hiſpanos inter & Luſitanos, an hæ Inſulæ ad Orientalem, an vero ad Occidentalem Indiam pertinerent; ſed intervenere Hollandi, & utrisque eas rapuerunt.

7. Circa æquatorem ſunt Inſulæ plurimæ, admodum exiles, quæ *Maldivæ* appellantur, & omnes ab uno Rege gubernantur, qui naves naufragas ſibi attribuit; & in hoc potiſſimi ejus proventus conſiſtere æſtimantur. Hollandi & hic ſua tractant commercia. Gens hæc negotioſa belli cum Hiſpanis tempore multa in India orientali Luſitanis eripuit, & ex Indicis theſauris, tractis ad ſe opimis commerciis, in immenſum ſe locupletavit. Societas præſertim mercatoria Indiæ orientalis magna ibidem potentia & ingentibus divitiis eſt aucta. Quamvis enim etiam Luſitani, Galli, Angli, Dani, aliæque Nationes Europeæ negotientur illic, monopolium tamen Batavi fixiſſe videntur.

Olim quidem merces Indicæ ex mari Indico per Erythræum ſeu mare Rubrum in Ægyptum devehebantur; inde vero, a Venetis potiſſimum, in Italiam & alias Europæ provincias deferebantur. At vero, poſtquam Luſitani, circumvecta Africa, novam in Indiam viam aperuerunt, mutatus eſt commerciorum alveus, ſolique ferme Luſitani eundem ad ſe derivarunt. Unde Belgæ merces Indicas ex Portugallia in Belgium, & Antverpiam maxime, reliquamque Europam, deportarunt. At vero cum Rex Hiſpaniæ, Luſitaniam nactus, ſeditioſis Belgis, grandi ſtatus errore, facultatem merces ex Luſitania evehendi interdixit, Batavi, comparatis claſſibus, circumnavigata per Oceanum Æthiopicum Africa & Promontorio Bonæ Spei, eandem, quam Luſitani detexerant, viam emenſi, merces Indicas a prima, ut loquimur, manu receptas, in Europam deportarunt. Inde origo divitiarum & potentiæ, Luſitaniæ vero damnum multo maximum.

8. Ad Orientem extremæ ſunt *Inſulæ Philippinæ*, ſic dictæ in honorem *Philippi II*, Hiſpaniarum Regis, ſub quo Hiſpani per mare *Delzur* navigantes ex America Occidentem verſus illas detexerunt. Multæ ſunt, præcipuæ tres, Manila, Luconia, & Mindanao. Dubitatum fuit, an Aſiæ, an vero Americæ ſint accenſendæ; nam Hiſpani verſus Occidentem & Luſitani verſus Orientem navigantes, circa iſtas Inſulas ſibi occurriſſe dicuntur; unde utraque natio ſibi illas

vendicabat. Sed Hiſpani manſerunt in poſſeſſione, quamvis ab Hollandis poſtea ſæpius invaſi.

9. Inſula *Formoſa*, a venuſtate ſic dicta, Sinis finitima, nullum proprium ſibi Regem habet, ſed Ariſtocratico vel potius Democratico regimini ſubjacet. Occupaverant illam Angli, ſed hi expulſi ſunt ab Hollandis, Hollandi a Sinenſibus.

# CAPUT XX.

## *Expeditio Luſitanorum in Indiam.*

Quamvis de expeditione iſta ſparſim aliqua ſint delibata ſupra, operæ tamen pretium, & eruditionis intereſſe exiſtimo, ſtupendam hanc navigationem, apertasque per illam Europæ Indias uberiori aliquantum calamo recenſere.

Nemo hac de re accuratius elegantiusque ſcripſit ac Joannes Petrus Maffejus Bergómas S. J. in 16 ſuis *Hiſtoriarum Indicarum* libris, ex quibus aliqua pro inſtituto meo excerptum eo.

## Articulus I.

### *Navigationis Initia.*

Primus, qui barbaris gentibus ſacrum crucis trophæum intulit, fuit *Joannes I.* Rex Luſitaniæ, qui transmiſſo in Africam exercitu Septam Mauris eripuit (*ſub initium ſæculi XV.*)

Ex filiis, quos Joannes I. anno 1433. moriens reliquit, celebrem nominis famam conſecutus eſt *Henricus*, tertio genitus, Heros incomparabilis, omnigena virtute & illibato virginitatis flore clarus. Is miſeratus tot mortalium, in gentilitatis tenebris palpitantium, ſortem, altius quiddam animo præferens, revolvensque, cum audiſſet, ultra Atlantem, qui navigationum terminus erat, continuas ſe ſe Africæ regiones extendere, Oceanum cum aliquot navibus ingreſſus, ad æquatorem ferme usque pervenit, detectis cum Madera variis aliis inſulis, & fixis in promontoriis columnis ſacrisque ædibus erectis. (*circa medium ſæc. XV.*)

Alphon-

*Alphonſus V*, Joannis I nepos, ad Guineæ & Congi regnum ultra æquatorem navigationes promovit, & commerciis erecta pluribus in locis caſtella, ſparſa, ubi ubi ſe dabat occaſio, Evangelii ſemente. Traducta in Luſitaniam mancipia, quæ libertatem filiorum Dei ibidem ſunt conſecuta.

*Joannes II*, Alphonſi filius, miſſo *Cano* Legato, cum tribus e ſacra S. Dominici familia ſacerdotibus; virtute & doctrina præſtantibus viris, primum Congi Regis patruum tum ipſum Regem ac Reginam, cum multis Proceribus convertit, ac ſolenni ritu baptizari curavit. Deſtructa paſſim idola, conſtructa Deo templa, nobiles Juvenes in Luſitaniam miſſi, contracta intima amicitia, commercia ad florem perducta, navigatio plus ultra verſus Cafres permota.

Inter eos, qui baptizati ſunt, fuit Congorum Regis filius, natu major, cui *Alphonſi* nomen impoſitum. Hujus præcipue virtutis & Religionis aſſumptæ zelus enituit, *Panſo* natu minore pertinaciter ſuperſtitioni inhærente, quin & patre, veterum recordatione voluptatum & vivendi licentiæ in teporem defluente. Nam ita comparati erant hi Barbari, ut fidei Orthodoxæ myſteria avida aure exciperent, iisque facile adquieſcerent. At vero, cum de morum doctrina, coercendisque cupiditatibus ſermo inciderat, nauſeante ſtomacho illum rejecerunt.

Mortuo nutante patre Panſus fratrem Alphonſum, coronam prærepturus, infeſtis armis petiit; ſed, licet numero decuplo fortior, a pauciſſimis Chriſtianis Divino prodigio victus, perire maluit, quam fratri ſubjici. Alphonſus porro, regno 50 omnino annis præfuit, illudque totum ad Chriſtum adductum Chriſtiana virtute imbuit, mira contra omnes hoſtes felicitate. (*Obiit ſub finem ſæculi XV.*)

Cum eo tempore *Chriſtophorus Columbus*, Ligur, rejectus a Luſitanis, ad Ferdinandum Catholicum, Hiſpaniæ Regem, ſe contuliſſet, atque ab eo tres tandem majoris formæ naves impetraſſet, ad detegendas novas terras in Occidentem ſolvit, pluresque Inſulas occupavit. Verum Joannes Rex Luſitaniæ jus navigationum per Oceanum ſibi vendicabat: jamque bellum res ſpectare videbatur; cum, controverſia ad Alexandrum VI Pontificem delata, is eam transactionem propoſuit, ut ducta per utrumque polum Linea, velut meridiana, Luſitanis navigationibus 180 gradus in Orientem, Hiſpanis vero totidem gradus in Occidentem concederentur, atqur ſic orbis terrarum globum in duas æquales partes dividerent.

Ab eo tempore in perveſtigandis ignotis regionibus Luſitani & Caſtellani mira virtute certarunt. Et Joannes quidem Rex, miſſo *Diazio*, Cani columnas longo intervallo transgreſſus, Cafreriæ littora occidua prope emenſus eſt: ad Promontorium, quod Rex *Bonæ Spei* nominavit.

## Articulus II.

### Gamma in Indiam penetrat.

Verum hujus Boſphori ſuperati & Indiæ apertæ gloria Emmanueli Regi reſervabatur, Joannis II patrueli & ſucceſſori. Is quippe miſſo cum quatuor navibus *Vaſco Gamma*, ſingulari prudentia & invicti animi viro, atque, quod caput eſt, probo & ad Infidelium ſalutem anhelante.

Is igitur anno 1497 pelago commiſſus, ultraque Diazii terminos progreſſus, Promontorium Bonæ Spei prætervectus eſt. Zanguebaricam oram legens, Mozambicum, Mahometanam urbem, ductoris Æthyopis perfidia delatus, vi hoſtili prope circumventus, atque inde ereptus, Quiloam, & Mombazam, infidas pariter urbes, pervenit, donec tandem Melindem delatus, æquiorem ſibi ibidem Regem invenit. Aſſumptoque ductore per mare Arabicum felicibus ventis Malabariam attigit, ad Calecuti littora appulſus, poſtquam undecim menſes, ex quo Oliſſipone diſceſſerat, navigationi impendit.

Malabariæ Rex *Zamorinus* ſeu Imperator appellatur, quia plures reges vectigales habet. Dynaſtæ *Caimales* appellantur, Milites nobiles *Naires*, ſacrorum gentilium antiſtites *Brachmanes*. Horum quidam duriſſimo vitæ genere, inedia, vigilia, frigoris æſtusque patientia magnam ſibi accerſunt æſtimationem auctoritatemque, qua populum, mendaciis & fraudibus miſere deceptum, obnoxiumque ſibi fatuis ſuperſtitionibus dementant. Præter homines etiam bruta animantia ut Numina colunt, templaque magnifica ipſis conſtruunt, antiquiſſimum vero Deorum *Parabrammam* quendam eſſe delirant. Circumvagantur impoſtores iſti per varias provincias, ut infelices mortales in ſuperſtitionibus ſuis conſervent, obicemque Evangelio ponant. Multos ſectæ ſuæ libros conſcripſere, nugis aut fabulis refertas, quas Brachmanes converſus Chriſtianis prodidit.

Gamma porro Calecutum ad Zamorinum delatus, & cum honore ab eadem exceptus, tanquam legatus Emmanuelis Regis Luſitaniæ amicitiam & commerciorum fœdus expetiit. Nec abnuit ille. At tota vi ſe oppoſuerunt mercatores Arabes, Ægyptii, Perſæ, qui pretioſas hactenus Indiæ gazas aſportaverant, ademptum ſibi rati, quidquid Luſitanis accederet.

Juncto igitur ore Gammam ejusque ſocios apud Regem criminationibus proſcindunt: exploratores eſſe & piratas, qui quacunque iter habuiſſent, maria omnia infeſta reddidiſſent latrociniis, emporia cædibus & rapinis compleſſent: conſiderandum Zamorimo etiam atque etiam, an e re ſua & ſecuritate ſit, gentem infidam, ambitioſamque ſinu ſuo fovere, & nationibus vicinis, uſu probatis, qui Malabariam opibus tantopere auxiſſent, præponere.

Corrupti quoque pecunia aulici, Zamorinum facile eo adduxerunt, ut Gammæ inſidias ſtrueret; quibus ille exploratis, ocius cum ſuis in naves ſe recepit, & barbaro perfidiam per litteras exprobravit, atque ad legationis & hoſpitii jura, omnibus gentibus ſancta, appellavit: nec omiſit docere, ex Luſitanis commerciis plus emolumenti opumque conſecuturum Regem, quam ex omni Mahometanorum colluvie. Negavit Rex inſidias, callidaque ſimulatione amicitiam fingens commerciorum tractatum obtulit. Advertit Gammam perfidia; relictaque Calecuti ora, Anchedivam Inſulam petiit, indeque cum navibus, mercibus onuſtis, eadem, qua venerat, via Luſitaniam, ubi a Rege populoque, apertæ Indiæ nuntius & teſtis oculatus, magno cum applauſu publice exceptus eſt, altero ab eo, quo diſceſſerat, anno, Chriſti 1499.

## Articulus III.

### *Capralis Expeditio.*

Emmanuel Rex, certiore jam ſpe commerciis Indicis potiundi illectus, inſtruxit majori apparatu claſſem 13 navigiorum, quibus præter ſacerdotes e Divi Franciſci Familia, & vectores, 1500 milites impoſuit. Toti vero expeditioni, Gammæ interim conceſſa requie, ſuprema cum poteſtate præfecit *Alvarum Capralem*, notæ virtutis virum, cui Chriſtianæ Religionis propagationem comprimis, dein amicitiam & fœdus cum Indiarum Regibus commendavit, cum poteſta-

te

te tamen injurias Miſſionariis aut Luſitanis illatas armata etiam, ſi res poſtulet, vindicandi manu.

Bonis igitur auſpiciis Olyſſipone ſolvit anno 1500. Ad Heſperides fœda tempeſtate disjecta claſſis, unaque navis in Luſitaniam rejecta, reliquæ ab Africæ littoribus in occidentem propulſæ continentem offendere, quam poſtea a ligno rubro Braſilio *Braſiliam* dixere, ab Americo *Veſpucio*, ejusdem Emmanuelis auſpiciis magis deinceps exploratam.

Cum autem dein Capralis ab ora Braſiliæ Promontorium Bonæ Spei verſus vela expanderet, Aquilonis turbo ingens ſubito impetu in adverſas naves irruens, antequam vela contrahi poſſent, quatuor earum ita invertit obruitque, ut e tanto hominum numero nemo prorſus evaſerit. Inter eos *Bartholomæus Diazius* quoque, quem expeditionis tertiæ Ducem fuiſſe diximus, miſere interiit. Saluti reliquis fuere raptim dmiſſæ antennæ, aut vela ipſa vento diſrupta. Borea dein pertinaciter furente, pelagus identidem intumeſcere, fluctus modo ad aſtra ferri, modo ad tartara pene ima ſubſidere, naves cum ſupremo ſalutis diſcrimine inter ſe collidi. Adhæc atra caligo, rudentium ſtridor, diſſonus clamor, diſcurrentium gemitus non oculorum modo, ſed & aurium uſum abſtulerant. 20 ipſos dies procella hæc atrox miſeros prope enecaverat. Una navium in Luſitaniam rediit, altera neſcio quo propulſa eſt, aut naufragium ſubiit; ut adeo Capralis cum 6 tantummodo de 13 navibus laceris Promontorium Bonæ Spei prætervectus, in orientali Africæ littore ſe ad Mozambicum collegerit.

Inde Quiloam, & illius Regis *Abrahemi* Mahometani amicitia nequicquam tentata, Melindem eſt ventum. Calecuto tum naves applicitæ; præter ſpem multa humanitatis ſignificatione a Zamorino exceptæ ſunt: itum quoque in commerciale fœdus. At væſana plebs, Mahometanorum inſtitutorum facibus accenſa, repente in Luſitanorum diverſorium irruit, & eorum 50 barbare trucidavit.

Capralis tormentorum in urbem diſploſione, & combuſtis Barbarorum navibus, injuriam egregie ultus, ad *Trimumparam* Cocini Regem ſe contulit, qui amiciſſime Luſitanos excepit, eorumque naves onerarias mercibus Indicis complevit, cum quibus Capralis in Luſitaniam rediit, propter tot amiſſas naves hominesque mixto cum dolore gaudio acceptus.

Interea autem Rex *Callæcum* Oliſſipone cum 4 navibus miſerat Caprali ſubſidio. At is nusquam viſo Caprali in Malabariam delatus, intra Cananorem & Cocinum urbes a numeroſo Zamorini exer-

citu

citu invaſus, cum paucis Luſitanis grandem victoriam retulit, oneratisque Cocini navibus in Luſitaniam regreſſus eſt, detectis duabus, reficiendis navibus hominibusque opportunis Inſulis, quarum alteri Conceptionis B. V. M. alteri S. Helenæ nomen impoſuit.

## Articulus III.

### *Altera Gammæ profectio. Bella cum Zamorino.*

Emmanuel Rex, difficultate nulla deterritus, majorem ac unquam hactenus 20 navium claſſem inſtruxit, eique rurſus *Vaſcum Gammam* præfecit, cum ſummo Arabici, Perſici, & Indici maris Imperio; ut eſſet amicis præſidio, hoſtibus terrori. In itinere Abrahemum Quiloæ Regem, tanto apparatu perterritum, ſtipendiarium fecit. In Malabariam provectus, primum Cananorem urbem, tum Cocinum adiit, ad ſalutandum Emmanuelis nomine utrumque amicum Regem, quibus larga dona obtulit.

Dum Cocini Gamma verſabatur, convenerunt eum Chriſtianorum legati, qui ex illis, quos S. Thomas in India convertit, ſe deſcendere dicebant, Chriſtiana tamen inter Ethnicorum & Mahometanorum perſecutiones ſemper per traditionem fide retenta, quæ tamen, cum ſubeſſent Patriarchæ Armeniæ Neſtoriano, variis erroribus fuit obfuſcata. Apoſtolicas Ceremonias magna ex parte obierunt, altaris myſteria religioſe venerati; eoque viatico e vita decedentes muniti. Adventus Domini & 40 dierum jejunium ſevere obſervarunt, uti & Chriſti ſanctorumque feſta, præſertim octavam Paſchæ, Evangelica S. Thomæ memoria celebrem: imo & quotidianis pſalmodiis ſacrisque inſtitere, ex S. Thomæ, ut ajebant, inſtitutione & perpetua traditione.

S. hic Apoſtolus in diviſione orbis Indiam ſortitus provinciam, per mare Arabicum delatus in Malabariam, *Cranganora* (hanc urbem potiſſimum incolunt illi Chriſtiani) multos ad fidem Chriſti convertiſſe dicitur, Colani, Meliapore, reliquisque Indiæ urbibus, quin & in Sinis Evangelium prædicaſſe, multaque miracula patraſſe, ut dum ingentem truncum, quem multi homines & elephantes loco movere non poterant, cingulo ſuo facile traxiſſet, & de cæde pueri accuſatus, eum ex ſepulchro extractum tribunali ſiſteret, atque in nomine Chriſti juſſum, occiſorem ſuum nominare, clara voce edixiſſe, parentem ſuum Brachmanem hoc ſcelus perpatraſſe, ut poſſit illud

Apoſtolo per calumniam impingere. Porro Sagamum Regem hoc prodigio converſum, a S. Thoma fuiſſe baptizatum, virum Dei vero a Brachmannis trucidatum. Hæc Indi illi Chriſtiani Luſitanis narrab..., tanquam traditione a majoribus ſuis accepta, & annalibus etiam conſignata: pueris ipſis laudes Martyris patrio carmine decantare ſolenne eſſe.

Cæterum iſti Chriſtiani ſe ſuaque omnia ſubjiciebant Gammæ, qui bono eos animo eſſe juſſit; nunc quidem tempus inſtare, ut in Europam redeat, ſed, ſi quid eis gravius incideret, ad Vincentiu a *Sodreum*, quem cum ſex navibus ſui loco Præfectum in India reli..queret, confugerent.

Cum dein Gamma, vela ad diſceſſum explicaſſet, Zamorinus, exiſtimans, ejus naves, mercibus oneratas, ad pugnandum eſſe inhabiles, cum prævalida claſſe eum aggreſſus eſt; ſed grandi clade ſe ſpe & imaginatione ſua deceptum ſenſit. Quare Gamma inſigni parta victoria multaque præda capta, felicem in Luſitaniam curſum habuit, Regulis per viam non auſis eundem infeſtare. Unde etiam Abrahemus Quiloæ Rex ſtipulatum tributum absque tergiverſatione tranſeunti perſolvit. Emmanuel autem Rex eam pecuniam ſacros in uſus expendit, in ædem præſertim Bethleemiticam, quam Olyſſipone jam Princeps Henricus pro Neophytis conſtruere cœperat.

Interea vero, cum majores Luſitanorum vires ex India receſſiſſent, Zamorinus, ut ruinas ſuas repararet, tempore utendum ratus, *Trimumparæ* Cocinenſium Regi præciſe denuntiat, aut Luſitanos, in ipſius urbe commorantes ſibi traderet, aut bellum haberet. Reſpondit cordate Trimumpara, nefas eſſe, ſacroſancta naturæ & Gentium jura violare. Actus in furorem reſponſo Barbarus, ferrum & ignes minitatus, collecto 50000 exercitu, ne ſuccurrere facile Luſitani Trimumparæ valerent, terreſtri bello eum invadit, ac bis vincit. Imploratus *Sodreus*, quem a Gamma Luſitanis præfectum diximus, reſpondit, maris imperium ſibi commiſſum non telluris: videret Trimumpara, quomodo ſibi conſuleret. Quo reſponſo dato, deſtitutoque tam amico Rege, cum navibus ſuis ſe ſubtraxit, & adverſus Arabes progreſſus, naufragio periit, violatæ amicitiæ pœnas perſolvens; quamvis non deſint, qui eundem excuſent.

Sed neque hoc adverſo caſu fracta fuit Trimumparæ in Luſitanos fides atque conſtantia, neque, cum plerique Duces ab eo ad Zamorinum deficerent; verum cum paucis Luſitanis, eorumque mercibus, deſerto Cocino (quod Calecutani deinde incenderunt) in vicinam arcem, a natura & arte munitam ſe recepit, Divinæ providentiæ ſe ſuaque permittens.

Et

Et adfuit illa tempore opportuno; nam advenere cum Luſitanic ſupplementis primum *Franciſcus*, dein etiam ejus patruelis *Alphonſus Albuquercius*, qui ejectis Cocino Calecutanis, Regem Trimumparam reduxerunt, & Zamorinum, direptionibus pluribusque minutis præliis fractum, ad pacem petendam adegerunt. Quæ illi data, contractaque commercialis ſocietas.

Luſitani dein ut firmum pedem in India figerent, a Trimumpara petierunt, ut arcem Cocini ſibi conſtruere liceat; annuit ille, & fundum, atque materiam liberaliter ſuppeditavit. Exſtructa ſimul ſacra ædes, & Chriſtianis religionibus adaptata. Dici non poteſt, quanta cum ſolennitate in caſtellum illud & Eccleſiam ſit immigratum anno 1503. Atque hæc eſt epocha captæ a Luſitanis poſſeſſionis Indicæ, & Religionis ibidem ſtabilitæ. Prima Eccleſia & Arx. Cocini.

Cum ſecundo curſu res Luſitanæ ita in Malabaria fluerent, unius hominis cupiditas eundem prope intervertit. Cocinenſi apothecæ is præpoſitus, cum navem Calecutanam, pipere onuſtam prætervehi cerneret, illam invaſit & vi captam Cocino invexit. Queſtus injuriam Zamorinus apud Franciſcum Albuquercium, cum nullum reſponſum accepiſſet, graviter irritatus, omnia cum Luſitanis fœdera abrupit, bellumque, quantis viribus poterat, apparavit: illud tamende induſtria diſtulit, donec Luſitani cum mercibus ex India ſolviſſent. Rogavit igitur Trimumpara Franciſcum Albaquercium, qui ſummæ rei præerat, ut firmum præſidium in India relinqueret; ſed impetrare plus tres naves cum 150 militibus non potuit, quibus Eduardum *Paciecum* præfecit. Uterque autem Albuquercius cum navibus onerariis in Luſitaniam rediit, ſed diſpari exitu; nam Franciſcus cum ſociis in itinere, neſcio quo fato, periit, Alphonſus vero, vehementibus licet agitatus maris procellis, Olyſſiponem ſalvus attigit.

Zamorinus poſt diſceſſum Luſitanorum metu ſolutus, palam terra marique bellum ciebat. Ducenta amplius navigia, magnam tormentorum copiam, Elephantes plurimos, & 60000 militum contraxerat. Octo inſuper naves turritas conſtruxerat, duabus videlicet prægrandibus navigiis tigno junctis, quibus turres prææltas ſuperſtruxit, atque in iis certam victoriam reponebat. Trimumparæ, quem Zamorinus invaſit, vix decem erant armatorum millia, nec illi ſatis fidi, ſed deſertionibus attenuati. Fit pugna. Mirum! ingens ille Zamorini exercitus & apparatus a paucis vincitur, & prope deletur. Poſt Divinam opem adſcripta eſt tanta victoria *Pacieco* Duci, cujus virtus, ars, ac provida cura comprimis enituit. Zamorinus cladem in Brachmanes, belli incentores, hi in neglecta auſpicia referebant.

Quare ille æger animi, ac mœrore confectus, regni adminiſtratione Vicariis tradita, ad placandos Deos in ſolitudinem ſe abdidit.

Indé revocatus a ſuis & ad bellum reparandum concitatus, fretusque paucitate Luſitanorum, & regum, ſibi adhuc obſequentium auxiliis, illud inſtaurat, ſed fortuna non magis propitia; nam opportune *Soarius Alvarenga* cum 12 navibus ſubſidio venerat. Qui Zamorinum denuo vicit, & abſciſſis commerciis Calecutanis, in anguſtias redegit, atque Arabicas inſuper 17 onerarias, mercibus graves diripuit: cumque naves ſuas Indicis opibus impleſſet, cum *Pacieco* in Luſitaniam rediit, relicto ad tuendum Cocinum amicosque reges *Emmanuele Vaſconcello.*

## Articulus IV.

*Luſitanorum progreſſus. Albuquercii Victoriæ. Goa, Malaca, Ormus, &c. captæ. Fœdus cum Perſa.*

Zamorinus, cum Luſitanis ſe imparem, & res ſuas in dies magis acciſas videret, Arabum, Ægyptiorumque mercatorum, quorum res non minus agebatur, conſilio, a *Campſone*, Ægypti, Syriæ, & Arabiæ præpotente Rege, quem Sultanum vocant, homine ex aſſe Mahometano, auxilia petiit. Prollxe addixit. Sed diſtantia locorum & magnitudine periculi penitius conſiderata, terroribus agendum ratus, ad Alexandrum VI. ſummum Pontificem dat litteras, quibus & ſacrum Chriſti in Palæſtina ſepulchrum, & omne Chriſtianum nomen in Oriente everſurum minatur, niſi efficiat, ut Luſitaniæ Reges Africanis & Aſiaticis navigationibus abſtineant. Pontifex Monachum montis Sinai, qui Campſonis litteras attulerat, ad Emmanuelem Regem ablegavit, qui minis Barbari minime territus, ſatis perſpectum habebat, ſacra Chriſtianorum in Oriente monumenta, quæ tantum tributi Sultanis quot annis importarent, nunquam everſum iri.

Igitur Rex Emmanuel, ut cœptis inſiſteret, duplo pene majorem, quam ſuperioribus annis, claſſem inſtruxit, eique præpoſuit Franciſcum *Almeidam*, virum fortiſſimum, ſanguine ac bello clarum. Huic præcepit, ut plures arces in Africæ Aſiæque oris exſtrueret, ut Luſitanis navigantibus tutum receptum præſtent. Cum navibus itaque majoribus 22 Almeida ſolvit Oliſſipone anno 1505, Sacri Seraphici ordinis aliquot Patribus, aliisque Clericis ſecum aſſumptis.

Qui-

*Quiloam* ubi pervenit, Abrahemum, tributum ſolvere recuſantem, depoſuit, aliumque coronavit, & arcem conſtruxit, S. Jacobo dicatam. *Mombazam* vi expugnavit. *Anchediva* ſimiliter in Inſula, *Cananore*, aliisque locis *caſtella* erexit. Trimumpara, ætate gravis, tranſlato in ſororis filium regno (qui mos eſt in Malabaria) in ſolitudinem receſſit, ſuperſtitionibus Brachmanicis ut indulgeret. Urbes occiſæ patæ. Conſtructæ Arces.

Interea cum *Laurentius Almeida*, Franciſci Ducis filius, cum parte navium adverſus Ægyptios & Arabes mercatores, ne Calecutum penetrare poſſent, excubaret, Zamorinus, ægerrime ferens, ſuum cum illis commercium intercipi, cum magno navium militumque apparatu eundem aggreſſus eſt; ſed virtute plane Divina pauci multos fortiter vicerunt. Paulo poſt vero idem Laurentius detexit Inſulam *Ceilanam*, omnium rerum ubertate plenam, in oram *Piſcariam* deſinentem. Ceilanum.

Omitto leviora certamina, quæ, dum Luſitani Arabico, Perſico, & Indico mari dominari deſtinaſſent, & excluſis Mahometanorum commerciis omnem negotiationem ad ſe trahere, deeſſe non poterant; nec ſemper adeo integre ſunt verſati, ut nullus ultra æquitatis amuſſim ſit progreſſus; quæ res Indorum, etiam amicorum, animos alienavit. Exemplo ſit occupatio navis Cananoricæ, quæ Regis animum tantopere irritavit, ut verſa amicitia in odium, numeroſis Zamorini munitus auxiliis, Luſitanos bello ſit aggreſſus, arcemque Cananorenſem oppugnare cœperit; ſed Britus 4 menſium ſpatio, ad extremam licet prope famem adactus, fortiſſime eam cum paucis præſidiariis defendit. Victus Cananoræ Rex pacem petiit, & amneſtia impetrata priſtinam renovavit amicitiam, frendente Zamorino, qui bellum proſecutus, inſignes clades retulit.

Interea autem, dum hæc in Malabaria gerebantur, *Alphonſus Albuquercius Armuziam* oppugnavit, prævalidam in Sinu Perſico urbem, ad arcendos a commercio Indico Perſas opportunam, quæ Zeifadino Regi, Iſmaeli Sopho Perſiæ Domino vectigali, parebat. Cruenta fuit hæc obſidio, pervicit tamen Alphonſi conſtantia virtusque, ut Zeifadinus pacem rogaret, & in clientelam Emmanuelis Luſitaniæ Regis concederet, promiſſo tributo annuo, & data Luſitanis copia, ea in urbe arcem erigendi; verum, dum operi moliendo admovendæ erant manus, Navarchi & Claſſiarii, ſeditione adverſus Alphonſum mota, diſcedentes inſignem victoriam fœdarunt, relicta urbe, quam jam prope occupaverant.

Zamorinus, perpetuus Luſitanorum hoſtis, tracto in ſocietatem armorum Cambayæ Rege, receptisque a Campſone Ægyptiis & Syris auxiliis Claſſiariis, Mamalucis potiſſimum, bellum Luſitanis rurſus

ſus intulit. Claſſem exilem ducebat *Laurentius Almeida*, Prætoris Indiarum filius: hunc aggreſſi Barbari, multitudine obrutum, fortiter tamen pugnantem, occiderunt. Reliqui vero, amiſſo Duce, Cocinum fugerunt.

Sed filii necem egregie ultus eſt Franciſcus pater; nam collecta claſſe, adverſus hoſtem progreſſus, Mamalucos delevit, & Jazium Sarmatam *Dii* Inſulæ tyrannum, priori victoria ferocem ita contrivit, ut pacem ſupplex rogaret. Data illi ſub conditione tributi & damni reparandi. Ademptæ naves, ne porro poſſet inſurgere.

Hac memorabili parta victoria Franciſcus *Almeida*, Indiarum Prætor, traditis *Alphonſo Albuquercio* faſcibus ex Regis Emmanuelis voluntate, cum in Europam rediret, ad Bonæ Spei promontorium conſcenſa terra a Cafris fuit trucidatus. Idem fatum cum multis Luſitanis ſubiit *Cotinius*, qui 15 naves ex Luſitania adduxerat; cum enim Regis ſui imperio Calecutum, toties rebelle, exciſum iret, incautius in urbem irrumpens, Barbarorum inſidiis periit.

Idem contigiſſet propemodum *Sequeriæ* Duci, qui primus ex Luſitanis *Sumatram* Inſulam & *Malacam* acceſſit. Nam Mamudius Rex, ſimulata amicitia, inſtigantibus Arabibus & Saracenis aliis negotiatoribus, qui maritimas oras incolebant, ſubito in hoſpites irruit: plures trucidavit, aliis vincula injecit, Sequeria cum reliquis evadente.

Felicior erat *Albuquercius* Prætor, qui admota ad *Goam* claſſe, urbem illam in Decano regno præcipuam, deditione accepit, & propter ſitum, elegantiam, & agri ubertatem, jam tum Luſitani in India caput Imperii deſtinabat. Erectum crucis trophæum, gratesque Deo pro tanta victoria, ſine cruore parta, perſolutæ. *Idalcan* Rex Goa tunc aberat. Re igitur nuntiata, cum numeroſo exercitu accurrens Luſitanos, famem extremam paſſos, urbeque ejectos Cananorem fugere coegit. Cum autem novæ venirent ex Luſitania ſuppetiæ, Albuquercius, ad eluendum fugæ dedecus, Goam rurſus adortus, eandem denuo expugnavit, atque Ethnicorum & Sacracenorum fana in Chriſtianas Eccleſias convertit. Inventa muro incluſa Chriſti in cruce pendentis imago, luculentum antiquitatis, cultusque ab Apoſtolica traditione deſcendentis teſtimonium. Crux illa dein Regi Emmanueli in Luſitaniam transmiſſa eſt.

Rebus Goæ compoſitis Albuquercius ad vindicandam *Malacenſem* perfidiam cladem que converſus, victo Mamudio Rege, urbem omni opulentia plenam expugnavit. Tanta quippe erat præda, ut præter ea, quæ a mercatoribus fuerant avecta, & a militibus direpta, quinta reſidui pars, quæ Ærario Regis ceſſit, ducenta Aureorum millia

conficeret. Malacam reducta commercia, &, ut in officio contineretur, arce impoſita fuit munita.

Tantis Albuquercii victoriis atque progreſſibus crevit in immenſum Luſitanorum nomen, ut adeo vicini Reges, aut metu perterriti, aut ex eorum ſocietate lucrum ſperantes, legationibus miſſis offerrent fœdera, commerciorumque communicationem expeterent, aut etiam vectigales ſe profeſſi in clientelam Regis Emmanuelis concederent. Eos inter erat Rex Siam, Maldivarum, ipſeque Idalcan, & Zamorinus, qui tandem poſita contumacia Calecuti locum erigendi caſtellum Luſitanis indulſit. *David* quoque Æthiopum ſeu Abaſſinorum Imperator, tanta fama commotus, oratores ad Emmanuelem & Albuquercium ablegavit; *Alphonſus* vero Congi Rex, inſignis Religionis cultor, Henricum filium non modo ad Regem Luſitaniæ, ſed etiam Romam ad ſummum Eccleſiæ Antiſtitem miſit.

Albuquercius, propagato late quaqua verſum per Indias Luſitano Imperio, famaque rerum geſtarum per orbem univerſum perſonante, ne qua nomini ſuo labes hæreret, *Armuziam* adhuc in Sinu Perſico urbem, a qua, prout ſupra memini, recedere coactus fuerat, ſubigere deliberatum habuit, ut, clauſo velut Mahometanis navibus mari, in gentem ſuam unam commercia transferret.

Suſcepta igitur magno, quo erat, animo, expeditio, promptiorem exſpectatione ſortita eſt exitum, diſcordia quippe in urbe graſſante, urbs ſui deditionem fecit. Arx ædificata; Toro ſub ſtipendio & clientela Regis Luſitaniæ relictum Regis nomen, rei ſumma ad Luſitanos translata. Ismael Sophus Rex Perſiæ, cui Armuzia fuerat vectigalis, tantum aberat, ut damnum bello perſequeretur, ut ingenti Luſitanorum fama attonitus, honorifica legatione cum amplis muneribus, ad Albuquercium miſſa, gratularetur, & amicitiam Regis Emmanuelis, atque fœdus commerciale expeteret. Excepti magnifice tanti Regis Legati, ictisque fœderibus, cum donis & oratore Luſitano ad Ismaelem remiſſi.

Suprema in terris Albuquercii hæc erat expeditio; nam, dum Goam rediret, majorem ſuſcepit in orbem alterum, morbo extinctus anno ætatis 63. Heros ingenti animo, & fortitudine incomparabili, adverſus hoſtes externos, & ſuorum criminationes glorioſe triumphans.

Ar-

## Articulus V.

*Soarii infelix Prætura. Luſitanorum calamitates. Defectio Regulorum. Lis cum Hiſpanis propter Molucas Galvani virtus.*

Albuquercio ſuffectus a Rege Indiarum Prætor *Lupus Soarius*, renovata cum finitimis Regibus amicitia, *Andradam* cum octo navibus miſit in Sinas ad inſtituendum cum ea natione commercium, *Petrejum* vero cum litteris & donis Regis Emmanuelis nomine Oratorem ad Sinarum Imperatorem. Sed infelix fuit legatio Petrejus tanquam explorator captus in carcere Cantonienſi contabuit: Andrada a Sinis invaſus, beneficio procelloſæ tempeſtatis evaſit, & Malacam, unde ſolverat, rediit. Nulla eorum culpa hæc acciderunt, ſed mercatorum quorundam Malacenſium, qui Cantonem appulſi, ne quidem ſolutato Sinenſi Magiſtratu arcem moliti ſunt, plura per vim attentarunt, ac propterea Luſitanos exoſos reddiderunt.

Plures alias expeditiones ſuſcepit Soarius Prætor, ſed non minus infelices, patuitque, quantum interſit inter Anteceſſorem & Succeſſorem. Voluerat Rex, ut ſicut Armuzia ſinum Perſicum, ita Adenum clauderet Arabicum, ne Mahometani turbare poſſint. Luſitanorum in Indiis mercimonia. Solvit itaque Soarius Goa cum 36 majoris formæ navibus, quot antea nunquam collectas Luſitania in Indiis habuerat, adverſus Arabes, & Campſonis, Ægypti Syriæque Sultani exercitum. *Adenum*, urbs in Ærythræo princeps, tantæ claſſis apparatu perterrita, dedere ſe voluit; ſed Soarius, confiſus Reguli barbari fidei, præſidio firmare eandem neglexit. Poſtquam autem otioſe maria percurriſſet, occluſas Adeni portas invenit, urbemque interea ita munitam, ut eam expugnare deſperaret; quare, re nulla memorabili geſta, cum lacera & acciſa claſſe inglorius rediit Goam, quæ interea Procerum factionibus propemodum periit.

Nec melior Malacæ conditio; quæ Præfectorum diffidiis, ambitione & avaritia dominante, in manus hoſtium haud dubie recidiſſet, niſi Soarius Prætor ſuccurriſſet. Triennio is geſtam Præturam Regis voluntate in *Didacum Sequeriam*, quem primum Malacam adiiſſe diximus, tranſtulit, poſtquam *Ceilanum* Regulum in fidem adegit. Sed is poſtea fracta, quam dederat, fide, Luſitanos ejicere omnibus viribus contendebat, at irrita ad extremum opera.

Se-

Sequeria inito Magiſtratu Antonium Corream in regnum *Pegu*, ultra Gangem ſitum, miſit, ut cum Rege amicitiam & fœdus commerciale contrahat. Res confecta feliciter. Legati ultro citroque cum muneribus miſſi. Renovata quoque cum Davide Abiſſiniæ Rege amicitia.

Cum autem Brittus claſſem novem navium in Indiam adduceret, navis una prægrandis in medio curſu, velut equus fræno adducto, ita repente ſubſtitit, magno cum aquæ motu & ſonitu, ut nulla vi propelli poſſet. Metu percuſſi nautæ, demiſſa bolide profundum mare comperiunt. Admotis luminibus (nam nox erat) cum horrore conſpiciunt implexam navi ingentem belluam: cauda gubernaculum illigarat, alis immanibus latera ad ſummum uſque cingebat, caput dolii vaſti magnitudine cum horrifico exerto rictu ex undis extulit. Deſperata videbatur navigantium ſalus: nam vim adhibere conſultum non erat, ne beſtia vulneribus irritata navem everteret. Igitur ad preces & Deum propitiandum per pœnitentiam converſi, ſalubrem mox effectum experti ſunt. Sacerdos cum linteo & ſtola, & ſigno crucis in medium prodiit. Ab eo ſacris carminibus & exorcismis delinita balæna, nulla cujusquam noxa, relicto navigio, cum e portentoſis narium fiſtulis ingentem reflaſſet aquæ vim, ſe ſe admodum placido lapſu in mare demiſit.

Prætereo multas alias calamitates, quæ Luſitanis in ſtabiliendis ſuis in India commerciis ſufferendæ fuerunt; quot naufragia paſſi! quot naves demerſæ! quot bella gerenda! quantum ſecundis etiam præliis ſanguinis fuſum! quanta amicorum etiam Indiæ Regum inconſtantia! quantæ ab Arabibus, Turcis, Perſis, & Mahometanis univerſim, Ethnicis multo pejoribus, inſidiæ, violentiæ, cædes! volebant Luſitani paſſim arces ad ſuam & mercaturæ ſecuritatem exſtruere: has velut compedes Indi intuebantur; unde, quantis viribus poterant, ſe opponebant. Quantum inde difficultatis, laboris, bellorum! acceſſit Luſitanæ gentis ſecum ipſa contentio. Mercatores, futurorum improvidi, ſtimulante avaritia, a bellis ſe ſubtrahebant, lucro ſuo privato magis quam cauſæ communi intenti: quanta inde rerum gerendarum obſtacula! quanta virium diminutio! quanta inde Prætorum tædia! quantæ injectæ remoræ!

Hæc omnia nimium quantum expertus *Sequeria*, qui geſto per triennium Magiſtratu, faſces *Eduardo Meneſio* tradidit, ea re maxime memorandus, quod primus Goæ S. Franciſco templum, & adjunctum templo Monaſterium Patribus Franciſcanis exſtruxit.

*Torus* ſubin Armuziæ Rex rebellis, arcem adortus, Luſitanos prope deleverat, cum Soſa & Vega ad defenſionem accurrentibus, Barbari victi ad pacem compulſi ſunt. Auxit lætitiam inventum corpus S. Thomæ Apoſtoli.

Meneſio ſucceſſit Indiarum Prætor Vaſcus Gamma, qui iter in Indias Luſitanis aperuerat. Sed dum rebus adverſis occurrere nititur, morti ſuccubuit. Suffectus Regiis litteris (quibus obſignatis plurium ex ordine ſucceſſio continetur) Henricus *Meneſius* Cocini Præfectus. Luſitanam is gloriam reparavit, circumlatis per Indias victoriis; eo magis arduis, quo magis copiæ per diverſa loca erant diſperſæ, & quo pluribus Inſulis oppidisque potiebantur, eo plus belli ab idololatris & Mahometanis imminebat.

Meneſio anno Præturæ altero morbo ſublato, apertus eſt codiculus tertius, quo a Rege Joanne III (is enim Emmanueli ſucceſſerat) deſignatus fuit Indiæ Prætor *Maſcarenia*, Malacæ Præfectus. (*Anno* 1526.) Verum cum is intra annum Goam venire non poſſet, Vaſæus eſt ſubſtitutus, quæ res, diviſis Luſitanorum ſtudiis, magnam concitavit diſcordiam, communemque cauſam prope in exitium dedit.

Acunio Magiſtratum adepto, non tantum cum Barbaris, ſed cum Hiſpanis quoque bellum gerebatur, qui in Molucenſibus Inſulis mercaturam faciebant, quod Luſitani tolerare nolebant. Quin imo propter quorundam Luſitanorum exceſſus plerique Indiarum Reguli populique, rupta amicitia & pace, arma in Luſitanos verterunt. Solus Joannes (quod nomen in baptismo receperat) Momojæ Rex, fidus permanſit; is, occiſis per errorem, ne a fide Chriſtiana deficerent, uxore & liberis, nec mortis quidem, a Mahometanis intentatæ, metu a fide, quam in Baptiſmo Chriſto dederat, abſtrahi potuit. Bellorum autem motus, *Ternate* & undique in Molucis incumbentes, *Galvanus* Præfectus, eximia virtute, fide, fortitudine, humanitate in Barbaros, compoſuit, ſparſo etiam tum Ternate comprimis, tum, ubi ubi ſe dabat occaſio, Evangelii ſemente: atque ut in uberes fructus excreſceret, Seminarium pro pueris neophytis fundavit, qui dein reverſi in patriam, Religionis deſiderium popularibus ſuis afferrent. Miſſus quoque in Indias Epiſcopus Fernandus, e ſacra Divi Franciſci Familia, qui confirmationis & ordinis ſacramenta impertiretur.

## Articulus VI.

### *S. Xaverii in Indias adventus. Ejus ſacri labores. Celebris oppugnatio Dii.*

Luſitani ad hæc usque tempora conſtituendis emporiis, commerciis tractandis, arcibus exſtruendis, aſſerendo ſibi maris imperio, propulſandis finitimorum armis, bellisque contra Arabes, Ægyptios, Turcas, Perſas, Mogores, & Indiarum Reges gerendis intenti, humanæ magis quam Divinæ rei operam dederant. Franciſcani aliique ſacerdotes pauci erant pro tanta populorum multitudine. Igitur Joannes III, Rex Luſitaniæ, Princeps Religioſiſſimus, non minori ardens deſiderio proferendi regnum Chriſti, quam terreni fines Imperii, omni in id ſtudio ſibi incumbendum putavit, ut Chriſtianam in Indiis Religionem quam latiſſime propagaret, probe gnarus, quod ex Pontificiis Decretis, & Jure communi, non niſi tuendi augendique Divini cultus, & promulgandi Evangelii nomine, ſi promulgationem impedirent Infideles, bellum iis inferre, & injurias vindicare liceat: in tanto autem aliarum artium ſtudio, tantisque divitiis & copia rerum, Chriſtianam languere induſtriam, & adeo paucos eſſe, qui rectum tot mortalibus monſtrarent iter, haud immerito nefas arbitrabatur.

Sed quo pacto tantum opus confici poſſet, dies noctesque animo volutabat. Docti laborumque patientes Magiſtri requirebantur, quorum per id tempus in Luſitania erat penuria. Liberalium artium ſtudioſi Complutum ferme aut Salmanticam adibant. Nonnulli etiam Regis ſumptibus Pariſiis alebantur. Unicum erat totius regni Oliſſipone Gymnaſium, illudque infrequens, a Dionyſio Rege inchoatum: ibi pars juventutis Juri maxime Civili operam dabat. Joannes III illud nuper Conimbricam tranſtulerat, atque doctiſſimos viros ex Hiſpania, Gallia, Italia, Germania magnis præmiis invitarat, ſcholisque ex Pariſienſi formula & diſciplina inſtitutis, aliquot inſuper adoleſcentum collegia in eadem urbe fundaverat.

Sed necdum ad maturitatem ea pervenerat ſoboles, & Indicæ neceſſitates præſentem efflagitabant opem: & domeſticis hiſce præſidiis ad excolendam Luſitaniam ipſam, tuenda ſacerdotia, & ſupplendos Magiſtratus egebat Rex. Externa proin circumſpectans auxilia, Petro Maſcareniæ, ſuo apud Paulum III. ſummum Pontificem Oratori mandat, etiam atque etiam agat cum Ignatio, cujus Inſtitutum nove-

verat, ut diſciplinæ ſuæ Alumnos minimum ſex ad ſe mitteret, non defuturas in Aſia atque Africa ſcaturigines, quibus ſitim animarum ſatient.

Ignatius auctoritate ſummi Pontificis, quod aliis quoque regionibus pro parte ſua conſultum vellet, duos tantum conceſſit, Simonem Rodericium, Luſitanum (quem Joannes ipſe Rex Lutetiæ in ſtudio litterarum aluerat) & Franciscum *Aſpilcotam* Navarrum, claro inter ſuos genere natum, cognomento *Xaverium*. Simon cum Paulo Camerte Italo, qui per eos dies Ignatio ſe adjunxerat, prævertit. Xaverius autem, confirmata necdum ſocietate, cum nihil adhuc in cæteros juris eſſet Ignatio, intellecta ejusdem voluntate, altera mox die, ſolo Breviario & humili tunica inſtructus, cum Maſcarenia navem conſcendit, anno 1540.

Superſedeo ea referre virtutum & charitatis infractæ exempla, quæ in ea Oliſſiponem navigatione Xaverius præbuit, quoniam ea multorum litteris ſunt conſignata; certe Joannes Rex, jam ante a Maſcarenia de ejus virtute inſtructus, ſingulari cum benevolentiæ ſignificatione, jam tum velut Indiarum Apoſtolum excepit. At ille in noſocomium cum Simone, & Paulo Camerte ſe ocius recepit, ibique inter varia charitatis opera, dum vernum tempus ad navigationem exſpectabat, ſe ſe exercuit.

Prætorianam navim juſſus a Rege eſt Xaverius conſcendere ut omnibus auxilio eſſe poſſet. Dimittuntur autem ex Oliſſiponenſi portu quot annis quinque minimum naves onerariæ in Indiam Orientalem, magnitudinis adeo vaſtæ, ut inflatis aura ſecunda velis, volitantis oppidi ſpeciem præferant. Harum ſingulis complures hominum ordines vehuntur. Primus eſt nauticæ multitudinis: alter Præfectorum ac Magiſtratuum, qui ad arces ac maria tutanda, vel ad jus dicendum, aut negotia publica curanda mittuntur. Tertius eſt militum: quartus mercatorum. Populus unius onerariæ jam 600, jam 800, interdum etiam plus mille capitibus conſtat.

Unde facili conjectura aſſequi poſſumus, quanta laborum materia vel in ipſa navigatione Xaverio fuerit, ut omnibus omnia fieret. Certe omnes tanquam communem ſalutis præſidem venerabantur, & jam tunc non alio ac *Patris* ac *Sancti* nomine compellabatur. Præcipue vero *Soſa* deſtinatus Indiæ Prætor, cujus navi vehebatur, magnam de virtute & zelo Xaverii æſtimationem concepit; eique in reformanda gentis navalis diſciplina præſidio fuit & auxilio.

An-

Anno demum 1542. Goam perventum eſt, ubi Xaverius cum Paulo & Manſilia, nuper in ſocietatem aſſumpto, recta in valetudinarium publicum conceſſit, indeque progreſſus labores Apoſtolicos eſt auſpicatus, ſalutato tamen prius Joanne *Albuquercio*, Goanæ Eccleſiæ Epiſcopo, cui ſignificavit, ſe a Paulo III ſummo Pontifice & Joanne Rege in Indias miſſum ad Evangelium Gentibus prædicandum, animasque a ſempiterno exitio vindicandas, ſimulque Pontificias exhibuit litteras, quibus Nuntius Apoſtolicus fuerat declaratus; addidit tamen, ſe communis rei nihil omnino, niſi ex auctoritate & ſententia Epiſcopi geſturum. Singulari ſolatio & gaudii atque benevolentiæ ſignificatione Xaverium excepit Præſul, ac deinceps ſemper amiciſſimum habuit.

Goa dein egreſſus per multas Inſulas, regna & provincias Evangelium Jeſu Chriſti circumtulit, inſtituto Catechiſmi ritu, reformatis moribus, adminiſtrato innumeris mortalibus ſacro ſalutis fonte, proventuque animarum tam admirando, ut nomen *Indiarum Apoſtoli* jure optimo ſit promeritus. Acceſſerunt ei ſubin plures e Societate Jeſu in tam ampla vinea Domini operarii, Joannes Beira Hiſpanus, Nicolaus Lancilotus, & Antonius *Criminalis,* Itali, a Joanne *Caſtrio*, qui Soſæ in Indiæ Prætura ſucceſſit, ex Europa adducti.

Sub horum adventum Michael Vaſæus, eximia virtute ſacerdos, deque Eccleſia Indica præclare meritus, conſiliis cum Xaverio communicatis, navigavit in Luſitaniam, Indiæ vitia demonſtraturus Regi, atque ut ea tollerentur, ſupplicaturus. Dedit Rex ad Prætorem Caſtrium litteras, Chriſtiana probitate & Religionis zelo plenas, quibus prolixe ſignificavit, nihil ſibi gratius poſſe accidere, quam ſi excîſis idolis, & Mahometis ſuperſtitione everſa, quam plurimi ad verum Dei cultum adducantur; multaque in favorem Neophitorum diſponit, depromptis etiam liberalibus ex ærario Regio ſubſidiis. Sed non omnia Regum mandata, in longinquis præſertim regionibus executioni mandantur, avaritia aliisque humanis rationibus non raro prævalentibus obſequio.

Interea vero, dum Xaverius cum ſociis, Vaſæus, & Rex ipſe, regnum Chriſti protendere omni ope adlaborarant, periculoſum ac grave bellum, unde minime putabatur, exortum eſt. Concitator illius fuit *Sofar* turpis Chriſti deſertor, & ad Mahometem transfuga, Mamudii Regis Cambajæ primus Miniſter, qui & Regem & regnum habebat in poteſtate. Perfidus hic homo ſex admodum pacis annos apparando bello impendit, ſollicitatis clam Indiæ Regibus, ut omnes una inſurgerent, ad extirpandam inviſam gentem, quæ ab extremis or-

orbis partibus advecta, dejectis avita poſſeſſione priſtinis Dominis, terra marique ſuperbum dominatum exerceat, cunctosque, niſi junctis viribus reſiſtatur, ſub jugum ſit miſſura. Opportunum, ſi unquam, adeſſe tempus, quo terræ a prædonibus, & maria a piratis purgari poſſint. Luſitanos eſſe paucos, per diverſas atque longinquas Indiarum partes diſperſos, & abjecto per pacis otium armorum ſtudio ad mercaturæ quæſtum dilapſos, claſſem eorum vermibus exeſam, exhauſtum ærarium; facilem, modo velint, fore victoriam; ſibi certum eſſe, Dienſem arcem quamprimum invadere.

Eſt *Dium* præcipua Cambajæ civitas ac ſedes Regia, cui Luſitani arcem ad ſui tutelam impoſuerant cum 900 militum præſidio, quod ad 250 defluxerat. Atque hos ipſos Joannes *Maſcarenias* arcis Præfectus privata magis munificentia & comitate, quam auctoritate Imperii, aut ſacramenti religione continebat. Nec cibariis ac pulvere tormentario ultra menſem oppugnationis arci proviſum erat.

Nihil horum ignorabat Sofar, per amicitiæ ſimulationem perfidam omnia ab ipſis Luſitanis expiſcatus. Apparatum vero ſuum bellicum ad defenſionem adverſus Pantaninum Regem ſpectare fingebat. Tandem vero cum numeroſum exercitum collegiſſet, omniaque ad oppugnationem diligenter præparaſſet, detracta larva, ingenti vi ac furore arcem undique invaſit. Prolixum nimium pro inſtituto meo foret, cruentiſſimam hanc, ultra 4 menſes extenſam, oppugnationem deſcribere. Actum propter multitudinem oppugnantium & paucitatem propugnatorum fuiſſet de arce, niſi Caſtrius Indiæ Prætor primum miſiſſet ſubſidia, ac demum ipſe cum copiis veniſſet, atque eruptione facta plenam victoriam reportaſſet. Cecidit Sofar. Multi cæſi, multi capti, reliqui urbe relicta fugerunt. Magna Maſcareniæ Præfecti, magna *Caſtrii* Prætoris laus, quem omnium primum Joannes Rex *Indiæ Proregis* titulo honoravit. Sed non diu illo frui licuit, nam paulo poſt morbo conſumptus pientiſſime obiit, procurante animam Xaverio.

## Articulus VII.

### *Status Indiæ Recentior.*

Poſtquam Luſitani plures in India orientali provincias Inſulasque occupaverant, aut vectigales ſibi reddiderant, uti Cocinum, Cananorem, Dium, Daman, Malacam, Goam, Ormum &c., per centum

tum annos totum ſimul commercium, magnarum opum matrem, ſibi proprium fecerunt. At vero poſtquam anno 1580 Luſitania ad Reges Hiſpaniæ fuerat devoluta, Batavi, cum Hiſpanis 70 annorum bello commiſſi, ut rerum agendarum nervum ſibi compararent, & Hiſpaniæ eundem ſuccideret, eandem, quam Luſitani, transvecta Africa, in Indias viam tentarunt, ea quidem ſua felicitate, ut multas regiones, & præſertim Inſulas, Indicis mercibus opimas, Luſitanis eriperent, & commerciorum velut monopolium ſibi figerent. Cum autem anno 1640 Luſitania, creato Rege Bragantiæ Duce ab Hiſpaniæ corpore, cui unita fuerat, ſe abſtraxiſſet, ne omnia in India orientali, ob prævalentem Batavorum potentiam, amitteret, cum illis pacem iniit. Pax Luſitana cum Batavis.

Per hanc pacem retinent Luſitani *Soſalam* urbem ejusque aurifodinas, *Mozambicum*, *Melindem*, *Mombajam*, oſtium ſinus Perſici cum munimento *Maſcate* & vectigalibus, urbem *Dium* ad ſinum Cambajæ cum telonio, *Goam* ejusque fines ad promontorium usque Comorinum, *Cocinum*, *Baſſainam*, *Damanum*, *Chaulum*, maximam partem Inſulæ *Ceylan*, *Negapatanum* cum promontorio S. Thomæ, in Sinis urbem *Macaum*, cujus lucrum, ſi Japonia rurſus aperiretur, omnes Indicas opes ſuperaret.

Hollandi vero occupant urbem ſuam primariam *Bataviam* in Inſula *Java*, velut centrum ſuæ poteſtatis, *Malacam*, parum tamen utilem, quæ tanto ipſis pecuniæ, ſanguinis, & temporis (ultra ſex annos eam obſederant) impendio conſtiterat; promontorium inſuper Galæ in Inſula *Ceylan*, Inſulam *Bandam*, *Amboinum*, *Ternaten* in Molucis, quam Hiſpanis rapuerant, cum quibus bellum per ſeptem adhuc annos eſt continuatum, ad unum videlicet 1648, quibus reliquas Molucas & Philippinas Inſulas non raro infeſtarunt.

Poſt confectam cum Luſitanis pacem Hollandi in nova ſua Batavia noſtris hominibus familiariter uſi ſunt. Duo Patres, qui Sinas petebant, in Japoniam inde, ut laboranti Eccleſiæ ſuccurrerent, trajecturi, venti & navis defectu, longiori tempore Bataviæ ſubſiſtere cogebantur, quo omnem humanitatem ſunt experti: menſæ ſæpius a Gubernatore adhibiti, varias de religione quæſtiones, ſibi propoſitas, modeſte ſolvebant; celebrabant Miſſæ ſacrificium; Catholicis, quorum non pauci erant in ea urbe, ſacramenta miniſtrabant. Batavorum humanitas in noſtros.

Quamvis autem Luſitani anno 1642 pacem ſatis honeſtam retulerint a Batavis; novis tamen ortis deinceps in India bellis plura ſunt mutata, ut conſtat ex reſponſis, a P. Henrico Roth S. J. Miſſio-

na-

nario, ex provincia Germaniæ ſuperioris in Indias miſſo, ad plures quæſtiones, ſibi propoſitas, datis anno 1664. Quæſtiones autem iſtæ ex reſponſionibus facile colligi poſſunt.

Reſponſa ad quæſtiones de Indiis. Ad 1. igitur reſpondet, verum eſſe, quod Hollandi *Cocinum*, ditiſſimam Malabariæ urbem, occuparint, Miſſionesque noſtras diſturbarint, prout etiam in ora Travancoris, a S. Xaverio tam diligenter exculta. Miſſionarios vero Goam eſſe abactos.

Ad 2. Inſulam Formoſam a Batavis non fuiſſe captam. Fœdus vero, quod cum Sinarum Imperatore percutere voluiſſent, ab aula Pekinenſi fuiſſe rejectum.

Ad 3. Agram, Dellium, & Lahorem magnas eſſe Mogoriæ urbes. Multos in iis eſſe converſos, convertendos plures, ſi plures eſſent operarii. Imperatorem Religioni non favere. Tres fratres cum nepotibus ab eo interfectos; patre vero throno dejecto, & catenis ligato, Imperium invaſum.

Jactura Luſit. Ad 4. Hollandos totam Inſulam Zeylanum, ejectis Luſitanis, occupaſſe, prout etiam regna Cranganoris, Manariæ, Cananoris, Negapataniæ, aliaque plura, Luſitanis inde expulſis.

Ad 5. tres Epiſcopos Gallos cum 18 aliis Eccleſiaſticis a S. Congregatione de Propaganda, conſilio P. Alexandri Rhodes S. J. in Sinas eſſe miſſos, quorum plerique aut in itinere obierint, aut in regno Siam hæſerint.

Ad 6 P. Martinum Martinium S. J. celebrem illum Sinici Atlantis & Hiſtoriæ conditorem, poſt ſuum in Sinam reditum fuiſſe defunctum.

Ad 7. In urbe Regia Perſiæ degunt duo Carmelitæ Diſcalceati, tres Auguſtiniani, duo Cappucini, duo Jeſuitæ, ſed omnes ferme absque fructu, quia incolæ Mahometanæ ſectæ perdite adhærent.

Ad 8. Confectam eſſe pacem Mogores inter & Perſas, iſtosque ad oppugnandam Babylonem ſe accingere. Additque, mirari ſe, quod Europæi Turcam metuant; ſe bis percurriſſe totam propemodum Turciam, & experimento habere compertum, e centum millibus nec decimam virorum partem eſſe ad bellum aptam.

Ad 9. P. Onuphrium Berghes S. J. ſolum eſſe in Tunchinchina, reliquos omnes a Rege expulſos: prout etiam e regno Cambajæ, eo quod Imperator Japoniæ eam expulſionem a Rege petiiſſet.

Ad 10. In regno Pegu duos tantum eſſe Miſſionarios. In regione Tibet autem nullum, quamvis Rex eosdem expetiiſſet.

Ad

Ad 11. Tartaros quiete poſſidere Imperium Sinarum, nec eſſe reliquum ex ſtirpe priorum Imperatorum.

Ad 12. Claſſem numeroſam Sinici piratæ Zinzalii a Batavis penitus eſſe profligatam.

Ad 13. Imperatorem Sinarum defunctum, in gratiam P. Adami Schall, magnificam Chriſtianis conſtruxiſſe Eccleſiam: Andream vero Koffler ex provincia Auſtriaca, a Sinenſibus rebellibus fuiſſe occiſum.

Ad 14. In Mogoria non admodum multos eſſe Mahometanos, plurimos vero Ethnicos, qui Alcoranum non minus ac Chriſtiani deteſtentur. Brachmanorum magnam eſſe multitudinem, cum quibus diſputandum.

Ad 15. Annos ante octo Agræ mortuum eſſe P. Antonium Cesqui, cui miſſio Mogorica plurimum debeat.

Ad 16. Tartaros in Sinis magis favere Chriſtianis quam Sinenſes. In China centum octoginta Chriſtianorum millia numerari, eumque numerum annuatim novem vel decem millibus augeri: falſum autem eſſe, quod aliqui de Societate ab Imperatore juſſi fuerint interfici. Rogat demum, ſibi plures operarios mitti, præſertim Germanos & Belgas, quos aliis præfert. **China.**

Cum Hollandi Luſitanis in India pleraque eriperent, Ethnici Calecuto ſunt potiti; ſed non amplius erat Calecutum; nam majorem urbis partem mare demerſerat. Religio autem in Malabaria, Madura, Travancore, & ora Piſcaria maxime florebat; quamvis adhuc multi Ethnici & Mahometani eſſent permixti; & perſecutio non raro ſæviret, cujus atrocitas Joſephum Carvallium enecuit.

Poſtquam Miſſionarii ex regno Siam fuerant ejecti, *Ponticherium* in oram Coromandelis ſe receperunt; ſed inde quoque ab Hollandis, urbem expugnantibus pulſi, per pacem Riſvicenſem cum urbe ſunt reſtituti. Ponticherio vero velut ex centro ſacros operarios Galli emittebant, novasque, quas inter Carnatenſis, Miſſiones fundabant, in quibus ludibria, verbera, catenas & carceres ſunt perpeſſi. Ponticherii anno 1703 triginta hominum millia numerabantur, in quibus duo tantum millia erant Chriſtiana, ſed augebatur in dies fidelium numerus. **Ponticherium.**

Magni Mogolis Imperium poſterioribus temporibus late per utramque Indiæ Peninſulam fuit protenſum, ejusque officiales acerbo prorſus jugo Chriſtianos premebant.

*Tranquebarii* urbe ad Coromandelæ littora Rex Daniæ Seminarium fundavit, ut in eo juventus Ethnica Lutherana ſecta imbueretur; **Tranquebar.**

tur; quem in finem Rex duo thalerorum millia in annos ſingulos aſſignavit, ut Seminarium fundaret. Erectæ ſcholæ, Biblia in linguam Malabaricam verſa atque procuſa. Publicæ in Europa pagellæ varia de hac Miſſione Lutherana nuntiarunt; ſed plus eſt clamoris quam lanæ. Seminarii Præſes, poſtquam cum larga Eleemoſyna, ex Anglia, Hollandia & Germania collecta, in Indias redierat, ad convertendos Brachmanos animum adjecit. Sed cum ſub concione vini ampullam ſacco extraheret, & ad levandam ſitim biberet, Brachmani, qui a vino & omni liquore, qui inebriare poteſt, magnopere abhorrent, offenſi ſunt adeo, ut omnes cum riſu recederent, bonusque Apoſtolus in tantum contemptum devenit, ut cum uxore & liberis Tranquebariam fuerit coactus reverti.

Eſt autem *Tranquebar* inſigne munimentum in coſta Coromandelis, 30 leucis diſtans a *Ponticherio*, urbe munita Gallorum, in qua Capucini Monaſterium, Sacerdotes ſæculares & Jeſuitæ domum ac templum habent: ſub centeſimo gradu longitudinis & 12 latitudinis ſita eſt. Boream verſus habet urbem S. Thomæ, quæ *Meliapor* dicitur, in regno Golcondæ, primum a Luſitanis, tum a Gallis, demum a Mogore occupatam.

Horæ ſpatio a Meliapore diſtat *Madras*, urbs munita Anglorum, cum ſuburbiis, in quibus Indi & Armeni mercatores habitant: tribusque inde leucis *Paleacatta* Hollandorum munimentum, verſus meridiem viſitur *Negapatan*, præcipua Luſitanorum commercialis ſedes, quando Ceylanum & oram Piſcariam adhuc poſſidebant; florebatque cum Societatis noſtræ Collegio in ea Religio. At poſtquam a Batavis fuit occupata, unicum Catholicis templum fuit relictum ſub Patrum Franciſcanorum cura.

Hollandi, poſtquam Luſitanos a centenaria poſſeſſione plurium urbium, provinciarum, & Inſularum dejecerunt in India, atque commerciorum alveum ad ſe derivarunt, ita quidem, ut anno 1595 navigatione cœpta, ſeptem intra annos ultra decem armatas claſſes in Indias miſerint, mercibusque pretioſis onuſtas reduxerint.

Erecta ſubin jam anno 1602 Societas orientalis mercantium in eam potentiam, opes, viresque excrevit, quas hodiedum admiramur. Ut autem firmos commerciis portus ſtationesque figerent, Luſitanos Regi Hiſpaniæ tunc ſubjectos, aggreſſi, tanta eos fortitudine devicerunt, ut intra 60 annos, ab anno videlicet 1603 ad annum 1663 tot eis urbes & provincias eriperent, ut præter Goam, Dium, Chaulum, Damanem & Macaum vix quidquam in India relinquerent, &

com-

commercia ſua ſupra omnes Europæas Nationes, in Indias navigantes, attollerent.

Commercatur ſiquidem ſocietas Hollandica in omnibus celebrioribus Orientis emporiis: & quidem primo in Magni *Mogolis* Imperio Guzarate, Amadabathi, Cambajæ, Surate, Agræ urbe primaria &c., in quibus habent ſuas ſtationes, & commerciales officinas, tubernasque opulentas. 2. In *ora Malabariæ*, Culani, Caticulani, Porcæ, Aranzenoræ, Chedovæ, Cocini, quam urbem permunitam ſicut primam occupaverant, ſic ultimam anno 1662 amiſerunt. Negotiantur præterea Onore, Barcilli, Cranganore, Paliapatani, Calecuti, usque ad promontorium Comorinum.

3. In *ora Piſcaria*, ubi dives eſt gemmarum piſcatio, ex qua magnas opes hauriunt. Tutucurinum, princeps in ea ora civitas ad eos pertinet. 4. In ora *Coromandelis* poſſident Hollandi pariter multas urbes mercatorias, quas Luſitanis & Indis eripuerunt. 5. Per totam *Bengalam*, in qua aliquot habent munimenta, mercaturam exercent ditiſſimam: ſimiliter in regno *Aracano* & *Peguano*.

6. *Malaccam* Inſulam, ejusdemque nominis ſuperbam olim urbem, nunc humilem, per id tamen Hollandis opportunam, quod ejus fretum pandat navibus viam in Sinas & Japoniam, in quam ex Europæis ſolis Batavis aliqualis acceſſus patet. Malaca, ſæpius tentata, anno 1641 Luſitanis poſt longam obſidionem fuit erepta.

7. Avaritiam ſuam extendunt ad Regnum *Siam*, ex quo ſtannum, *Tunchinum*, ex quo ſericum, & *Cocincinum*, ex quo aurum magna copia educunt. Sinas raro adeunt, quia ibidem eorum potentia eſt ſuſpecta. Quia tamen aromata ſoli fere poſſident, Sinenſes mercatores in Bataviam veniunt, & ſericum, aurum, porcellanum, aliasque merces Sinenſes cum aromatibus commutant.

8. Inſulam *Ceilanam*, omni opulentia plenam, quam Luſitani anno 1506 detexerant, anno 1602 amiſerunt. Auro, ſerico, gemmis, ebeno, ſacharo, tabaco dives eſt, præcipue vero cinnamomo, quod in omnes mundi partes ingenti cum lucro Hollandi deferunt.

9. Inſulas *Molucas*, majores & minores, in quibus Amboinum, Banda, Ternate &c., varia pariter aromata pretioſa ſuppeditant. Etiam his Inſulis Hollandi Luſitanos & Hiſpanos ſpoliarunt, tribusque arcibus easdem firmarunt.

10. Sed omnia ſuperat Inſula Java; atque in ea *Nova Batavia*, urbs totius Indiæ multo pulcherrima, ſupra Jacatræ ruinis ab Hollandis, ſocietate nempe Indica, conſtructa: in qua Orientis & Occidentis theſauri videntur collecti. Operibus eſt permunita, pluribusque amplis ſuburbiis cincta, in quibus Indi potiſſimum & Sinenſes mercatores, atque opifices habitant: eſt ſupremi Indiarum Gubernatoris & ſenatus ſedes, ad quem ex tota India Hollandica conceditur appellatio.

Præterea fæcunda inde in Japoniam, Perſiam, Arabiam, Africam, totumque prope terrarum orbem protenſa commercia, atque comparatas ex iis immenſas opes. Id dolendum ſummopere, quod in tot urbibus & provinciis cum Luſitanorum Imperio interciderit prope ſancta religio, a S. Xaverio tanto ſudore plantata, & tot Martyrum ſanguine irrigata, quæ in iis terris pulcherrime quondam floruit.

Poſt Hollandos potentiſſimi in India orientali ſunt *Angli*, qui in omnes ſimiliter terras ſua diffundunt commercia. Tres autem præcipuas ſtationes commerciorum occupant, ſibi proprias, 1. Inſulam *Bombayam*, quam Catharina, Joannis IV Luſitaniæ Regis filia, Carolo II Angliæ Regi in dotem attulerat. Eam Angli munierunt, & mirifice perfecerunt: ſed ultimis temporibus duobus potentibus hoſtibus fuit expoſita, Angriæ piratæ, & Regi Marattæ barbaro.

Secundus locus eſt *Madras*, urbs egregie munita, Anglorum in Indiis primaria, in ora Coromandelis ſita: ubi omnes eorum naves onerariæ convenire ſolent, ſicut Hollandorum ad Bataviam. Tertius urbs *Gudulura*.

*Galli*, præter *Pontícherum*, munitam urbem, ſedemque commercii, inter Indiam & Madagaſcar poſſident duas Inſulas, Mauritianam & Maſcareniam, pluresque in aliis locis arces, ad augendum florem ſui commercii. Optime vero de Religione merentur, quod Miſſionarios Ponticherio in omnem partem dimittant, maxime vero in regnum Carnatenſe cum ampliſſimo animarum fructu. *Dani*, ut pariter venirent in partem lucri, *Tranquebari* ſedem mercaturæ figunt.

Inter omnes Europæas Nationes ſoli *Luſitani*, quod alias memini, per centum annos in India dominabantur, donec ab Hollandis ſpoliati ad hodiernam mediocritatem redacti, noviſſime a Barbaris rurſus ſunt invaſi, qui ſub Maratta Rege, duo eis munimenta, Tanam & Manoram eripuerunt, ipſamque Goam obſederunt. Retinent tamen adhuc præter urbem iſtam principem, portu totius Indiæ optimo proviſam, Inſulam Salſetam, Dium, Chaulum, Bazaimum, Daman, ſed præſidiis non ſatis inſtructas; quia Luſitani na-

vi-

vigationes ſuas ad Braſiliæ montes auriferos, & adamantes inſtituunt, unicamque navim annuatim in Indiam orientalem mittunt.

Hujus proviſionis non optimæ probe gnari Barbari, Peninſulam citra Gangem gravibus bellorum motibus concuſſerunt, provinciam maxime Goanam, quam hoſtes tergemini anno 1739 ſunt aggreſſi. Præcipuus eorum *Maratta*, Regulus potens, ſecta Ethnicus, qui primum *Salſetam* Inſulam, præſidiis pene vacuam, Luſitanis eripuit; tum vero poſt biennem oppugnationem *Bazaimum*, urbem munitam, ac regni Guzaretenſis caput, Anglo fruſtra mittente ſubſidia. *Murmugao* dein inſigni munimento admovit exercitum, ſed Luſitanorum & Clericorum etiam Religioſorum, qui arma capere & vigilias agere juſſi fuerant, virtute ab eo depulſus, per alias regiones arma, incendia, ac rapinas circumtulit, aſſumptoque in ſocietatem iniquitatis *Angria*, famoſo ac potente archi-pirata, mari naves, & in terras effuſus vicos, oppida, urbes, prædatus eſt.

Acceſſit tertius pirata, cui *Gima* nomen, qui in Goanam provinciam irruens, tantum Goanis terrorem incuſſit, ut multi cum ſua ſupellectili Murmugaum & Aquadam ea, qua poterant, celeritate profugerent. Juſſum quoque corpus S. Xaverii aſportari; ſed, res mira! loco moveri non potuit. Unde ſpes bonumque omen ſumptum de urbis tutela, votaque Sotero facta. Revocati Murmugao ad urbem defendendam voluntarii exules, diſpoſitæ per mœnia & munitiones excubiæ, ſacris quoque hominibus in tanta militum paucitate in partem militaris laboris venientibus, anno 1740.

Biennio poſt, anno videlicet 1742 Maratta in oram Piſcariam irrupit, ubi *Portum Novum*, celebre munimentum occupavit. Ponticherium quoque tentavit, ſed a Gallis æneis pilis ſalutatus, ſtrenue retuſus eſt. Regnum Maduræ poſtea, redactis in poteſtatem munitioribus locis, rapinis & incendiis obruit. Quocunque graſſatores iſti cum volatili ſuo exercitu pervenerant, ingens tremor, deſperatio, fuga.

Gens quædam Europæa, in Indiis potens, afflictæ rei Chriſtianæ ſuccurrere potuiſſet facile, niſi placuiſſet in turbido piſcari. Nam validam claſſem immiſerat pelago, imploratus Præfectus, ut adverſus barbaros raptores veniret auxilio, defectum mandati obtendit. Credebatur in eventum tantummodo belli obtutum defigere, ut, ſi penes barbaros ſtaret victoria, ſuperveniens ſpoliatores ſpoliaret, terraſque Luſitanas ſibi retineret.

Ne tamen fruſtra exercitus claſſesque armaſſet, regnum Travancoris invaſit. Rex illius, ſublato violente ſuo præceſſore cum tota illius familia, Travancore non ſatiatus, Ceulanum Regulum bello aggreſſus eſt. Mercatorum Societas Indica, Ceulano juncta, in regnum Travancoris irruptione facta, littorales tractus, pipere fœcundos, & commercio magis opportunos, occupavit, continentem vero incendiis & rapinis complevit.

Quæ in perturbato hoc rerum ſtatu, in tanta populorum colliſione, tot inter hoſtes, a vera fide alienos, tantos inter armorum fremitus ac bellicos furores, rei Catholicæ facies, facile quivis ſapiens æſtimarit. Sacra Dei templa in fumantia buſta converſa aut in profanos uſus, ſacra omnia concultata, Sacerdotes Domini, rebus omnibus ſpoliati, & in exilium cum Antonio Vaſconcello, ſanctiſſimo Cocinenſi Epiſcopo, ejecti, oves diſperſæ, captæ, mactatæ: piæ Miſſionariorum fundationes, quibus vita ſuſtentatur, per Ceulanum, oram Piſcariam, Malabariam, Maduram, Travancorem, atque Goanam provinciam, everſæ ac diſſipatæ.

Sed audiit tandem pios gemitus, cui humana ſunt curæ. Expedita in Luſitania claſſis anno 1740 commiſſa Oceano; anno ſequenti Goæ appulit. Claſſis tribus navibus (nam quarta naufragio perierat) conſtabat, quibus cum novo Prorege, Marchione *Lauricale* 912 milites vehebantur. Prorex, diſpoſitis in urbe rebus, luſtratisque copiis, Barbaros, & in iis *Boſul* Regulum, tanta felicitate eſt aggreſſus, ut præliis attritos, caſtris, pluribusque munimentis, urbibusque exutos ad pacem rogandam compulerit.

Data hæc illis eſt his legibus: 1. Rex Boſul Regi Luſitaniæ ſubjectus annuum tributum pendito, nunc vero 25 equos Arabicos tradito. 2. Extortas ex provincia Goana pecunias & erepta de templis vaſa ſacra reſtituito, omniaque damna illata compenſato. 3. Æneas machinas reddito, & pro deſtructis aurum dato. 4. Diſtrictum de ſua ditione pro oriza plantanda Luſitanis cedito. 5. Pacta, a prioribus Proregibus extorta, ſublata ſunto.

6. Luſitanis navibus liberum in portus ſuos ingreſſum concedito; hoſtiles vero naves excluduntor. 7. Omnes ad Luſitanos transfugæ venia donantor, & liberi pronuntiantor. 8. Contra vero omnes captivi Cafri & Mauri (iis exceptis, qui baptizari petunt) a Luſitanis liberi dimittuntor.

His conditionibus pax ſubſcripta eſt anno 1742, ex qua magnitudinem victoriæ colligas. Prorex vero, inito cum Rege Sundano fœdere bellum adverſus Marattam, ferocem piratam apparat. Religio,

gio, in illis partibus oppreſſa, & diſcerpta, revixit. Chriſtiani res tam proſpere geſtas poſt Deum S. ſuo Patrono Franciſco Xaverio Indiarum Apoſtolo, quem in vota ſupplices vocaverant, grati adſcripſerunt.

Anno 1746 bellum Anglo-Gallicum etiam in Indiam orientalem fuit propagatum. Venit eo cum claſſe Gallica *Burdonæus*, victoque Paytone Anglo, atque *Ponticherio* obſidione liberato, *Madras*, præcipuum Anglorum in ora Coromandelis monumentum, expugnavit; quod tamen corruptus, ut fama tulit, pecunia, eis reddidiſſe fertur, in quæſtionem tractus propterea.

Anno 1748 Angli munitam hanc ſuam urbem recuperaſſe non contenti, vices reddere conabantur, copiisque admotis Ponticherium terra marique oppugnabant; ſed ſtrenua Gallorum Indorumque defenſione inſigni cum jactura repulſi ſunt, licet architalaſſus Boſcaven eos duceret. Ultimo tamen bello feliciores fuere; nam Ponticherio potiti ſunt, ſed per pacem illud reddiderunt.

# CAPUT XXI.

## *Propagatio Religionis per Indias.*

Cum per S. Franciſcum Xaverium ejusque ſocios magna jam Indiarum pars ad fidem Chriſtianam fuiſſet adducta, eorum exemplo animati ſucceſſores, opus Evangelicum, ſanctæque Religionis negotium impigre ſunt proſecuti, graviſſimas licet perſecutiones, mortemque ipſam non raro paſſi.

## Articulus I.

### *Propagatio Religionis in Peninſula cis Gangem.*

P. Nicolaus Pimenta, Indiæ Auſtralis Viſitator, anno 1597. cum 18 ſociis Cocinum profectus, duos inde in Bengalam, duos alios in Regnum Peguanum ultra Gangem ablegavit, ut Domini vineam ibidem excolerent: ipſe vero reliquas provincias luſtravit, ordinavitque.

Malabaria. Zamorinus, Calecuti Rex, inter oræ Malabaricæ Regulos facile princeps, bello ab hoſte appetitus, fœdus cum Luſitanis expetiit, obtinuitque ea lege, ut Patres ſocietatis reciperet, quod illico præſtitit. Ad crucem erectam ictum fœdus. Templum in urbe Regia cum domicilio ædificatum. Multi de populo mox converſi. Hoſtes ope Luſitanorum fuſi. Verum Mahometani, quorum plurimi, ſicut in toto ferme Oriente, erant in Calecutano Regno, Patres rurſus exegerunt, donec anno 1698 novo percuſſo cum Luſitanis fœdere, a Rege ſunt revocati. Cautum Religionis libertati. Nepos Regis cum aliis ſalutis fonte ablutus.

P. Fenicius totus erat in confutandis Malabaricis Brachmanorum ineptiis, cum iis frequenti commiſſus certamine. Cum eorum quiſpiam diceret, mundum ex ovo fuiſſe prognatum, interrogavit feſtive Pater, quænam Gallina tam magnum ovum peperiſſet? Datus etiam *Thomæis*, per regnum Calecutanum magno numero ſparſis, Catholicus Epiſcopus, a Romano Pontifice approbatus.

Thomæi. *Thomæorum* Eccleſiam poſt S. Apoſtoli Thomæ, qui eam fundaverat mortem, Catholici Antiſtites gubernarunt. Iis vero per Ethnicos Principes expulſis, grex Catholicus diu ſacerdotibus orbatus manſit. A ſæculo V Neſtorii hæreſi late per Orientem ſparſa, Babylonius Pſeudo-Patriarcha Neſtorianum Epiſcopum Thomæis miſit in Indiam, a quo in hæreſin ſunt præcipitati. Cum Luſitani in Indiam veniſſent, pro ſuo in fidem Catholicam zelo per Patres Franciſcanos primum, poſtea per Jeſuitas, magnopere curabant, ut Eccleſiæ Romanæ rurſus unirentur. Sed tum miſſi Babylone Pſeudo Epiſcopi; tum gentis in errore pertinacia vehementer ſe oppoſuerant, ne ſaperent, donec Meneſius Archiepiſcopus Goanus, claritudine generis & ſanctimonia vitæ præcellens, cum aliquot ſocietatis Patribus ad eos profectus, doctrina, manſuetudine, auctoritate, unionem evicit.

Synodus. Ut autem firmius illa conſiſteret, *Synodum Diamperienſem* congregavit anno 1599, in qua Thomæi publicam profeſſionem fidei ex formula Tridentini emiſerunt, addito juramento, aliaque adhuc formula, qua peculiari expreſſione Neſtoriani errores damnabantur. Excuſſa dein in Concilio, quæ doctrinam de ſacramentis diſciplinamque ſpectabant: concepti Canones & Decreta. Turpi plerique Thomæi parochi ignorantia laborabant ita, ut ne quidem formam Baptiſmi noſſent. Unde plurimi ſalutis latice erant tingendi. Confirmationis ſacramentum omnino neſciebant, & ferme etiam pœnitentiæ. Abſoluto Concilio Archiepiſcopus, ſcripta ad P. Pimenta Viſitatorem epiſtola, felicem ſucceſſum, dilaudata Patrum opera, nuntiavit.

Archi-

Archiepiſcopus autem Catholicus erat eligendus. Expetierunt Thomæi ipſum Meneſium; quia autem is Goanæ Eccleſiæ præerat, P. Franciſcum *Rozum* S. J. petierunt a Clemente VIII Pontifice, qui eundem confirmavit. Per 23 omnino annos Angamalenſi is præfuit Eccleſiæ, aſcitis Patribus, itinerum & laborum ſociis. Invenit ſane ſilvam horridam; ſed induſtria & ſudore egregie excoluit. Inſtituit Synodos Diœceſanas, acceſſit loca abdita & aſpera, in quibus vix nomen Chriſtianum extabat: errantibus ovibus paſtores providit, ſacras ædes conſtruxit, quamvis Reguli & Dynaſtæ Ethnici & Mahometani vehementer ſe opponerent. Rozus Epiſc.

Coactus tandem eſt, ſedem Epiſcopalem Angamala *Cranganorem*, in qua Luſitani prævalidam arcem habebant, transferre, anno 1609. Reperit ibi in pervetuſto codice Chaldaico *Canonem concilii Nicæni I*, qui non extat in Latinis & Græcis editionibus. Dicitur in illo, quod *poteſtas Romani Patriarchæ ſit ſuper omnes Patriarchas, ſicut B. Petro ſuper orbem univerſum &c.* Verum negabunt fortaſſis critici, nomen Patriarchæ eo tempore fuiſſe in uſu.

Inter hæc in *Dio* Inſula, ad Cambajam ſita, ubi Indus in mare ſe evolvit, celeberrimo commerciorum emporio, quod magno Luſitanis labore & ſanguine conſtiterat, domicilium ſocietas recepit. Dium. Franciſcani autem & Dominicani Patres jam antea ſua in ea urbe cœnobia habuerant. Collaboratum egregie in excidium ſceleris, & triumphum virtutis: everſa Mahometanorum & Ethnicorum templa, erecta Chriſtiana: ſedatæ inimicitiæ: reſtitutum æs alienum: ſublatæ peccandi illecebræ; animorum vulnera nec pauca nec levia curata.

P. Soarius Dio in Cambajam tranſiens, ſæpius ante tentatam, Luſitanos & Armenios expiavit; ſed Goam revocatus, cum ſolatio intellexit, ſemina pietatis jacta in regnis, Porcano, Calecutano, Travancorenſi &c., lætiſſimas in fruges ſuccreviſſe. In altera parte Indicæ intra Gangem Peninſulæ verſus ortum regna ſunt *Biſnagarenum* ſeu *Narſingarum*, *Golcondanum*, & *Madurenſe.* Ad ea Luſtranda P. Pimenta, Indiæ Viſitator, egreſſus Cocino, in oppido Punicali amplexus eſt P. Henricum Henriquez, jam ab ipſo S. Xaverio huic *Henriquez.* ſtationi ante 50 annos præpoſitum. Magnam librorum copiam lingua Malabarica is conſcripſerat, quibus eas gentes præclare erudiit.

Sicut autem Miſſionarii animarum, ſic Indi, Batavis directoribus, in ora *Piſcaria* gemmarum piſcatum ſolennem exercebant. Confluxerunt hominum facile ſexaginta millia, qui caſtrorum more littus omne compleverunt. Urinatores, ſaxis corpori alligatis, per funem navi affixum merguntur in profundum, atque oſtrea, quorum in con- Piſcatio gemmarum.

chis latent margaritæ, a cautibus, quibus adhæreſcunt, abradunt, & in ſaccum, a collo dependentem, immittunt, & poſt quadrantem vel ſemihoram, aut quando ſpiritum præcludi ſentiunt, moto fune ſignum dant, in navim per funem extrahuntur, onuſti oſtreis. Hæc in ſcrobem conjecta moriuntur, atque putrefacta carne, diductisque conchis, uniones ultro ſe ſeparant, & in ſcrobem decidunt, atque inde educti a ſordibus repurgantur. Alii autem in capite oſtreorum, alii in muſculis, alii in aliis corporis partibus formantur, candidi ut plurimum, formaque varia. Batavi autem emunt has margaritas levi pretio, & magno vendunt; ſingulæ inſuper naviculæ, quorum 700 quandoque adhibentur, 60 minimum nummos eis pendere debent.

Biſnagar. In hoc tractu late dominatur Rex Narſingæ, ſeu Biſnagaris, qui olim multo potentiſſimus, ſe Regem Regum, Dominumque Orientis, Aquilonis, Auſtri, Occidentis & maris dicebat. At varii Vaſalli, jugo excuſſo, in libertatem ſe aſſeruerunt. Regia civitas eſt *Candegrium.* In ea Patres, a Rege comiter excepti, templum & domicilium anno 1600 ſtatuerunt, ut inde, velut ex centro, Evangelii doctrinam per totum regnum ſpargerent, cujus, frementibus Brachmanis, propagandæ plena ipſis facta eſt poteſtas. In ora quoque Piſcaria, ubi ſocietas ſeptem ſtationes occupabat, vel inter adverſa mire auctus eſt fidelium numerus.

Ceulanum. In *Ceylano*, Inſularum circa Peninſulam grandem maxima, eaque frugifera admodum, Luſitani dominabantur. Pars ejus borealis Patribus Societatis, pars Auſtralis vero Patribus Franciſcanis fuit ad ſacram culturam attributa ab Epiſcopo Coccinenſi. *Columbi*, ubi arx eſt præcipua Luſitanorum, initio conſederunt noſtri. Inde progreſſi in interiora, variis in locis ſtationes collocarunt, tantoque proventu fructus reſpondebat operæ, ut omnis brevi ſuperſtitio auferretur ex parte ipſis aſſignata. Verum non diu ſubſiſtere poterat quies; gens quædam vicina adhuc Ethnica, jugo excuſſo, rebellionem crudelem movit. Invaſa Chriſtiana terra, rapinis, incendiis, cædibus omnia mixta; Joannes Metellus, Matthæus Pelingotus, ſocietatis ſacerdotes, atrociter occiſi. Verum Luſitani, collectis copiis, numero licet multo inferiores, & jam in fugam effuſi, reverſi in prælium, victores vicerunt, ac ſubjugarunt.

Vix non gravior procella in Miſſionem Ceylanam anno 1620 effuſa eſt, & quidem ab iis, quos minime exiſtimares. Cotinius, Indiarum Prorex, cauſſatus, neminem Religioſorum poſſidere prædia Perſecutio. poſſe, negotium dedit Epiſcopo Coccinenſi, ut collegium Columbenſe in Ceylano ſpoliaret bonis. Nimium diligenter is mandatum exe-

cu-

cutus, in eas inopiæ anguſtias Patres redegit, ut tota cedendum fuiſſet Inſula, niſi incolæ ſubveniſſent. At Cotinii Succeſſor Albuquercius, abrogato Decreto omnia in integrum reſtituit. Verum Coccinenſis Antiſtes obſtitit, ſocietatem in Ceylano non eſſe neceſſariam dictitans. Sed venerationis officiis obſequiisque delinitus, non tantum eas terras, quas ante coluerant, ſed novas quoque eorum Zelo commendavit.

Verum diuturnus non fuit hic Epiſcopi animus; nam atrociora multo in *ora Piſcaria* & *Travancore* conſcivit. Adjacet illa ab oriente, hæc ab occidente promontorio Comorino, in quod magna intra Indum & Gangem Peninſula excurrit. Utramque poſt S. Xaverium perpetuo excoluerunt Patres ſocietatis, erectis plus 80 parochiis, quas adminiſtrabant, tanta cura, ut in iis provinciis vix ullæ ſupereſſent ſuperſtitionis reliquiæ, & ubique arderet Religionis fervor.

At Cocinenſis, quem dixi, Epiſcopus, Religioſum prius ordinem profeſſus, neſcio, quo ſtimulo agitatus, cum armata claſſe violente invaſit Diœceſanos ſuos, plane inſontes; collegium ſocietatis incendio delevit, omnesque Patres ex ora Piſcaria & Travancoris regno, occupatis per vim 80 parœciis; expulit, atque ut fucum aliquem armatæ ſuæ violentiæ allineret, libellum per Indias & Europam ſparſit, atrocibus in ſocietatem plenum calumniis. Cocinenſis Epiſcopi.

Cauſa ad Madritenſem aulam ab amicis ſocietatis delata, & examinata, mandavit Rex, ut Epiſcopus ſuas ſocietati parochias reſtituat, & ſacris operariis, ſuo munere probe fungentibus, nullum porro negotium faceſſat. Non adquievit Coccinenſis, ſed exceptionem poſſeſſionis obtendit: parœcias jam aliis eſſe conceſſas, qui ſpoliari non debeant: atque ſic per 6 annos Decretum eluſit.

Altero proin mandato, ad Indiæ Proregem miſſo, & ad ipſum etiam Coccinenſem Antiſtitem, graviſſimis verbis imperat, ut Patres ſocietatis in priſtinam poſſeſſionem reſtituantur, nulla cujusvis exceptionis ratione habita: ſibi, ut Magiſtro ſummo ac Rectori ordinis militaris, quem a Chriſto nominant, jus datum a ſede Apoſtolica conſtituendi in India Neophytorum parochos. Conſtitutos a ſe non potuiſſe Epiſcopum dejicere. Fruſtra vero implorare præſidium legum immiſſos per vim in poſſeſſionem rei alienæ. Paradoxum omnino eſſe, quod ſpoliatores violenti poſſeſſionis exceptionem opponant. Optimam hoc pacto furum & raptorum fore conditionem: ante omnia igitur ſpoliatos eſſe reſtituendos.

 Epiſco-

Epiſcopus, qua erat capitis duritie, cum tergiverſari non amplius poſſet, Epiſcopatum depoſuit. Succeſſor tandem, quamvis invitus, paruit. Invenerunt autem Patres, poſtliminio reſtituti, in ora Piſcaria & Regno Travancoris Eccleſiam, in triſtem ſtatum prolapſam. Dei templa aut diruta, aut ruinam minitantia, ſacri cultus ſqualorem, oblivionem Chriſtianæ doctrinæ, mores corruptos. Verum pro veteri in paſtores ſuos fiducia, eorum directioni plene ſe ſubjecerunt incolæ.

Carnate. Sub initium hujus ſæculi P. Mauduit, Gallus, novam in regno *Carnate* miſſionem inſtituit. Situm id eſt intra Malabariam, Maduram & Coromandelem, ubi deſignatione ecclipſis lunaris magnam ſibi æſtimationem comparavit, Brachmanos vero, in varios errores prolapſos pudore ſuffudit. Sacri ibidem operarii duriſſimam agentes vitam, innumeros homines, Evangelicis imbutos principiis, baptiſmi fonte expiarunt.

Salſete. Similiter in peninſula *Salſete*, in qua Eccleſiam fundavit Petrus Maſcarenia S. J. Sacerdos, ſanguine vero ſuo conſecravit Rudolphus Aquaviva cum quatuor aliis ex eadem Societate Miſſionariis, Religio ſancta ita eſt promulgata, ut hodiedum ad 50 millia Chriſtianorum ſuperſint. Utile ad tantum ſalutis proventum inſtrumentum ſunt litterarum diſciplinæ, quas humaniores & ſeveriores dicimus, quæ in Salſete traduntur: ex quo ſit, ut juventus optime educata, lucidiſſimos probitatis & doctrinæ radios inter populares ſuos diſpergat. Anno 1739 & ſequentibus hæc peninſula ab Ethnicis Regulis & piratis multum damni eſt paſſa, ſed anno 1742 Luſitanis reſtitui debuit, damnumque Eccleſiis illatum compenſari.

In Malabaria Hollandicus Cocini Prætor templum, Catholicis ereptum, ſchiſmaticis tradiderat. Verum Ethnicus Rex, ſuſcepta contra Hollandos & Schiſmaticos defenſione Catholicorum, his templum reſtituit: nec raro Catholici Ethnicos æquiores nacti ſunt, quam eos, qui Chriſtiano nomine gloriantur. Creſcit autem Hollandorum, alias jam prævalens potentia eo etiam ex capite, quod turbis belliſque Regulorum Indiæ ſe miſceant, &, prout Romani olim, infirmioribus adverſus potentiores aſſiſtant, ut utroſque deglutiant. In nova tamen Batavia multum damni ſunt paſſi grandi incendio & incolarum ſeditione.

Tametſi autem bella pene continua Malabariam perturbarent, Miſſionarii tamen, per multas ſtationes diſtributi, magnam hominum multitudinem convertere pergunt, quamvis millenæ difficultates ſe opponant, nec deſinit Deus etiam prodigiis Religionis veritatem demon-

monſtrare, & invictam Chriſtianorum fortitudinem firmare. Volupe ſane eſt legere miranda probitatis, integritatis & conſtantiæ exempla. Elucet quoque in his terris ſingularis devotio erga venerabilem Patrem Joannem de Brito, in odium fidei occiſum, ejusque interceſſionem ſalutarem ſibi Chriſtiani ſentiunt.

## Articulus II.

*Introductio Religionis in Regnum Madurenſe. Roberti de Nobilibus certamina.*

Regnum Maduræ in eadem Peninſula, verſus orientem ad mare auſtrum ad Promontorium Comorinum procurrens, anno 1595 adiit P. Gonſalvus *Fernandes*. Auditus a Rege, ejus venia ſacram ædem erexit, ſcholam pueris aperuit. Toto decennio incubuit, ut ſuperſtitiones, quibus ſcatebat, populo evelleret, labore improbo, fructu exiguo. Anno 1606 ſocium accepit *P. Robertum de Nobilibus*, Divina providentia miſſum gentium illarum Apoſtolum, qui fundator Miſſionis Madurenſis jure dici poteſt. Robertus de Nobilibus.

Clariſſima in Italia ortus erat ſtirpe, ſed Nobilitatem omnem virtute metiebatur. Ingreſſus Societatem, Indicam tandem Miſſionem precibus impetravit. Ad Madurenſes miſſus, vidit, gentem illam ſuperſtitioſis ſuis uſibus mordicus inhærere. Ignobiles a nobilibus adeo deſpici, ut ne quidem ad alloquium eos admittant, Brachmanes miram auſteritatem, ut facilius decipiant, præſeferre, e capite Brummæ ſummi Numinis ſe prognatos fabulari: quatuor inter eos eſſe claſſes; in prima Brachmanes, in altera Magiſtratus, in tertia milites, mercatores, artifices, in quarta vulgus, quod tanquam inquinatum & infame vitatur. Miſſionarii, cum hoc claſſium diſcrimen non obſervarent, ſed cum viliſſimis etiam hominibus familiariter converſarentur, tribus prioribus claſſibus erant deſpicatui, & tanquam homines viles & inquinati fugiebantur. Qua arte dæmon aditum Evangelio præcludebat. 4. Claſſes hominum.

Aliam igitur viam Robertus, re cum Cranganorenſi Archiepiſcopo & P. Provinciali deliberata, tentandam ratus, poſitis Europæis veſtibus, Brachmanorum habitum, vitæque aſperrimæ auſteritatem induit. Abſtinet carne, piſcibus, ovis, vino &c. oleribus veſcitur: abdit ſe in tugurium, e ceſpite erectum, more Brachmanorum: illorum linguas, inſtituta, ceremonias addiſcit. His aliisque inſtru- Nobilii ratio vivendi.

ctus præſidiis prodit in lucem Maduræ civitatis, Brachmanum ac primæ nobilitatis hominem profeſſus, Brachmanis & proceribus ſe inſinuavit, atque Chriſtianam Theologiam publice privatimque docere cœpit. Scholam præſertim Nobilium erexit, in qua attente & cum omnium admiratione audiebatur, de Phyſicis, Mathematicis, Theologicis quæſtionibus differens.

Fructus. Dici non poteſt, quanta ſecuta mox fuerit animorum converſio. Plurimi ex ipſis etiam Brachmanis, agnita veritate, ſacra Chriſtiana ſunt amplexi. Sed inimicus humani generis, tot animas ſibi abripi acerbe ferens, geminam procellam graviſſimam in P. Nobilium concivit: alteram per Brachmanes quoſdam obſtinatos, qui fraudes ſuas detegi indignati, varia ei vitio dabant, uti, quod non coleret Deos, qui irati meſſis ruinam immiſiſſent. Quod Deum unum & ſimul trinum adoraret: quod publice docendi ſibi jus arrogaret: quod Brachmanis ad miniſteria domeſtica uteretur. Quod eorum arcana cognoſcere tentaret. Ad quas querelas facile reſpondit; imo reſponderunt pro eo, cum magna Chriſtianæ legis commendatione, Brachmani ejus Diſcipuli.

Adverſa.

Etiam a fratribus. Sed major multo tempeſtas eidem incubuit a Chriſtianis, imo a fratribus etiam ſuis. Gonſalvus Fernandez, qui claſſi quartæ Madurenſium, ex infima plebe conflatæ, a decem jam annis operam ſuam dicaverat, fructu exiguo, crediderat, P. Nobilium nimis indulgere moribus Ethnicorum, & tractis in partes ſuas duobus aliis, acerbam ad Viſitatorem ſcripſit Epiſtolam. Conſuluit is Theologos, qui erant Goæ & Cocini, periti ſſimos, miſſo Fernandis libello, cui uni innixi Goani Nobilii modum procedendi improbarunt, Cocinenſes vero, audita etiam altera parte, rem melius examinandam reſponderunt. Viſitator monuit, ut uſitatum cæteris Miſſionariis morem ſectaretur.

At Crangarienſis Archiepiſcopus, quo probante Nobilius hanc viam inierat, Societatis Theologos admonuit, ne ſententiam præcipitarent; quidquid feciſſet Nobilius, approbatione ſua feciſſe; litem proin illi movere deſinerent. Adquieverunt illi; non item alii, quos in Europa procul rumor ſiniſter afflaverat, utque eſt ingenium famæ, quæ ſenſim eundo creſcit, & omnia in immenſum auget, narrabatur, Nobilium fabricaſſe monſtrum, e ritibus Ethnicorum & Chriſtianorum turpiter conflatum. Quin fidem ipſam ejuraſſe, thus adolere falſis Numinibus, & bellum Societati palam indicere.

In Europa traducitur.

His

His auditis ſocios Romanos ingens invaſit mœror, Bellarminum maxime, quem Nobilius propinqua cognatione attingebat. Scribit ad eum Epiſtolam, quam amor pariter & dolor dictabat. Exprobrat impietatem, inuſtam Religioni, Societati, familiæ maculam: obſecrat, ut reſipiſcat, & ſaluti ſuæ conſulat. Monuit quoque P. Aquaviva, ne ulla ſuperſtitionis nubecula Chriſtianam Religionem obſcurari patiatur. **Bellarmini Epiſtola.**

Hoc fulmine pene obtritus Nobilius, Epiſtola ad pedes Chriſti, e cruce pendentis, depoſita, obteſtatur, ut cauſæ tam triſtis patrocinium ſuſcipiat; nec ipſe ſibi defuit in tam arduo rerum articulo, pluribus litteris totam inſtituti ſui rationem expoſuit. Acceſſit ampla commendatio duorum Indiæ Primatum, Archiepiſcopi Goani & Crangorienſis, quorum præſtanti doctrina & auctoritate egregie vindicata eſt Nobilii innocentia.

Cæterum hæc ferme erant accuſationis in illum capita. 1. Quod negaret, ſe *Pranguum* eſſe: hoc autem nomine ſignari Europæos & Chriſtianos. *Reſponſum*, nomen hoc tribui Luſitanis, & infimæ vilium hominum claſſi; Nobilium autem nec Luſitanum eſſe, nec ad claſſem illam pertinere: imo aperte conteſtatum, ſe Romanum eſſe & Chriſtianum Catholicum. **Accuſationis Capita. Reſponſa.**

2. Quod appellari ſe pateretur *Saniaſſium*, *Gurvum*, & *Rajam*; quæ vocabula ſignificent cultores idolorum, aut magiſtros legis ſuperſtitioſos, aut Regiæ ſtirpis Principes. Verum oſtenſum ex Brachmanorum teſtimoniis, libriſque, non eam his vocibus ſubeſſe notionem, ſed denotari homines, virtuti addictos, & a terrenarum rerum cura ſemotos, magiſtros cujusque diſciplinæ, etiam profanæ, philoſophicæ ac mathematicæ. Apoſtolum omnibus omnia eſſe factum, ut omnes Chriſto lucraretur. Non eſſe reſpuendum nomen Doctoris ac Magiſtri, quamvis ethnici & hæretici illud uſurpent.

3. Quod verba quædam ſacra, a ſancta Inquiſitione approbata, mutaverit. *Reſpondit* Robertus, ſe prima doctrinæ Chriſtianæ elementa, e rudi & plebejo ſermone Malabarico correctis barbariſmis in cultiorem paulo & perfectiorem tranſtuliſſe ad uſum doctiorum & Nobilium. Sacræ Inquiſitionis tribunal priſcam illam ac rudem doctrinæ Chriſtianæ in ora Piſcaria exponendæ formulam ita approbaſſe, ut meliorem & convenientiorem, ſi qua ſuppeditaretur, non improbaret, imo laudandam ab eo, quivis prudens judicaret.

4. Quod Neophytos, a ſe inſtitutos, ab aliis Chriſtianis per alios Patres S. J. converſis, ſeparaverit, & quidem non loco tantum, ſed in multis rebus, ritibus & ceremoniis, ut non una ſed gemina

mina Madurenſium Eccleſia, precum formulis, loco & ritu diſtincta, eſſe videatur. *Reſpondit*, nullum ſe ritum aut ceremoniam introduxiſſe aut toleraſſe, ſuperſtitione imbutam. Crebras lotiones, antequam rei Divinæ interſint, civilem duntaxat morem eſſe, Indis omnibus uſitatum. Quod Europæis familiare ſit, ut mane præſertim abluant manus, vultum, os, id maxima corporis parte factitari ſæpius per diem ab Indis. Pertinere hoc ad reverentiam, ſacræ ædi Diviniſque myſteriis debitam, decoremque veteres Chriſtianos exiſtimaſſe: id quod exemplis demonſtrat. Cæterum ita a ſe eſſe inſtitutos Neophytos, ut perſuaſum habeant, ejusmodi lotiones non eſſe neceſſarias, illasque interdum conſulto omitti.

Separationem autem illam Chriſtianorum claſſis infimæ a ſuperioribus ita fuiſſe neceſſariam, ut non aliter Chriſtiana Religio potuiſſet introduci, ita enim Madurenſes a Pranguis Chriſtianis (qui in ultima ſunt claſſe) abhorrere, ut nec occurſum nec aſpectum eorum ferant. Nec eſſe ullum in religione diſſidium, aut differentiam, ſed totam ſeparationem eſſe quoad locum tantummodo, etiam in Europa non raram, in qua clerus in æde ſacra diſtinguatur habitu & loco a laicis, Magiſtratus a privatis, Proceres a plebejis, ſine ullo in Religione diſcrimine, aut periculo Schiſmatis: idem evenire in aliis Indiæ locis inter Chriſtianos, uti in Travancoride & apud Thomæos, qui plebem infimam extra limen templi contineant, ſine ullo Ethnicorum aut Chriſtianorum ſcandalo, cum utrique probe intelligant, morem hunc conſuetum mere eſſe civilem & politicum, ac ſtatus conditioniſque notare diſcrimen, non autem religionis.

Sed neque ſandalo, quo frontem perlinunt, aut ornamentis funiculorum quidquam ineſſe ſuperſtitionis, quam parum apud Europæos, dum aliqui crinibus fictitiis utuntur, alii crines pulvere inſpergunt, aut diverſa veſtimenta geſtant. Primos Chriſtianos Imperatores ad Gratianum uſque adhuc appellationem Pontificis Maximi, & profanæ Romæ inſignia retinuiſſe: nec victoribus laurum, aut fecialibus oleam fuiſſe prohibitam, licet illa Marti, hæc Palladi ab Ethnicis fuiſſet dicata. Si abſtinendum omnibus rebus, quas ſuperſtitioſa prece vel ceremonia Gentiles inquinare ſolent, abſtinendum fore cibo, potu, veſtitu, inceſſu, balneo, matrimonio, omnique actione, vitæ vel maxime neceſſaria. Neque ornamenta aut ceremonias, quæ permittantur, ullo modo eſſe ſigna profeſſiva ſectæ ſuperſtitioſæ, ſed ex fine ſuo ad civiles uſus deſtinata, licet aliqui Ethnici iis abutantur, præſertim cum Chriſtiani expreſſim doceantur,

Chri-

Chriſtianam fidem, omnesque ejus articulos publice profiteri, atque ſuperſtitiones Ethnicorum omni cura vitare.

Malacia tum quidem aliqua eſt ſubſecuta, ſed anno 1618 nova majorque tempeſtas P Robertum de Nobilibus pene obruit. Meneſio Archiepiſcopo Goano, viro pientiſſimo ac ſapientiſſimo, ex ordine S. Auguſtini, qui rationes Nobilii approbaverat, & pro authoritate protexerat, a Philippo III. Hiſpaniæ ac Luſitaniæ Rege in Europam revocato, ſucceſſor datus eſt ex alio Religioſo ordine, qui a Societate noſtra & Antiſtite Cranganorenſi alienior, Nobilium per P. Viſitatorem ex Miſſione Madurenſi Goam accivit, de modo ſuo, quo Evangelium prædicaret, in conventu Theologorum rationem redditurum. Nova tempeſtas.

Comparet ille Goæ cum Franciſco Rozo, Archiepiſcopo Cranganorienſi, cujus tanquam Præſulis ſui auctoritate omnia egerat. Edit libellum, quo lecto multi, etiam e Societate, ſiniſtram, quam de illo opinionem, non niſi ex imperitorum relatione hauſtam depoſuerunt, illiusque defenſionem ſuſcepere. Solus flecti non potuit Archiepiſcopus Goanus, qui authoritate & ſui veneratione multos traxit. Citatur Goam

Indixit conventum Doctorum & Theologorum, partim ex diverſis Religioſis ordinibus, partim ex ſæculari clero. Controverſia tunc erat admodum ſimplex: necdum enim in tot, tamque varia capita excreverat, quæ poſt 80 dein annos ab Apoſtolico Viſitatore Turnonio, & Benedicto XIV ſunt improbata. Illud tantum in quæſtionem veniebat, an uſurpari poſſent quædam inſignia, moresque Brachmanorum, & ſaniaſſiorum, quorum illi præcipuæ Nobilitatis ſunt apud Madurenſes, iſti ſtudium pietatis peculiare profitentur. Nam ea inſignia Nobilius non ſolum permittebat Neophytis, ſed ipſe quoque iisdem utebatur; ut auctoritatem miniſterio Evangelico conciliaret, apud eam gentem, cui Nobilitas & auſteritas vitæ præcipuo eſt in pretio. Concilium Doctorum.

Prodiit ergo in conſeſſum Nobilius, atque inſtituti ſui rationem explicuit, cum quidam Theologus aſſurgens, quid opus erat, inquit, novum iſtud vivendi genus, & Brachmanicum cultum aſſumere? ſatis utique fuiſſet, argumenta, quibus veritas Religionis oſtenditur, Ethnicis proponere, & docere illos verbo & exemplo. Reſpondit Nobilius, ita comparatos eſſe Indos in regno Maduræ, ut ſolis Nobilibus poteſtatem docendi concedant, Europæos vero, niſi ad hanc nobilitatis rationem ſe componant, ne quidem ad alloquium & aſpectum admittant, ſed velut infame abjectumque hominum ge- Nobilii reſponſa.

nus aſpernentur, imo contaminatos ſe crederent, ſi eos audirent. Perpetuo igitur Evangelio aditum fore occluſum, niſi Prædicatores nobilitatem & civiles gentis mores aſſumerent. Omnibus omnia factum Paulum, ut omnes ſalvos faceret. Non legimus, inquit alius Religioſi Ordinis Theologus, Chriſtum ea veſte uſum, quam tu geſtas. Neque legimus, intulit Nobilius, ea veſte indutum, quam tu geris. Mutare veſtem nihil vetat, ubi Dei gloria & ſalus animarum exigit. Quod autem is ornatus nihil ſuperſtitioſi redoleat, ſed mere nobilitatem ſignet, multis teſtimoniis comprobavit.

Archiepiſcopi averſus animus.

Goanus Præſul, Primas Indiæ, his ultro citroque ventilatis, collegit ſuffragia, eaque diſcordantia Romam miſit, poſtquam acri oratione in Nobilium fuerat invectus, Chriſti crucem, non Ethnicæ nobilitatis inſignia viro Apoſtolico convenire, non lineis, funiculis, aut faſciis, vel capillis ad Brachmanicæ ſuperbiæ normam intortis, ſed Prædicatorum ſanguine propagari Chriſtianam fidem: quorſum tot honorum phaleras, titulos, & oſtentatam nobilitatem, niſi ut ambitioni ſerviant? quæ & ſimilia locutus diſceſſit, atque ut præveniret, nuntium alium maritimo, alium terreſtri itinere ad Pontificem, Cardinales, & Mutium Generalem miſit, ut eos contra P. Robertum accenderet.

At vero ejus cauſam defendendam ſuſcepit Joannes Almeida, fidei quæſitor in India; is ſiquidem ſcriptis ad Cardinalem Bellarminum, Nobilii avunculum, & ad Maſcareniam, ſupremum in Luſitania Inquiſitorem, litteris, adductisque multis, etiam Brachmanorum, teſtimoniis, perhibuit, P. Robertum illuminaſſe totum orientem, & ex ipſis Brachmanorum libris aperte demonſtraſſe, ſigna illa, quæ in ſuſpicionem idololatriæ vocabantur, mera eſſe ſigna nobilitatis, & ad idololatriam nullo modo pertinere.

Nobilius Romæ abſolvitur.

Bellarminus hoc nuntio lætus Almeidæ & Antiſtiti Goano ſcripſit. Maſcarenia vero, Inquiſitionis Præſes, habito doctiſſimorum virorum conventu, cognitisque, quæ in utramque partem afferebantur, ſententiam cum unanimi conſenſu pro Nobilio tulit, atque Romam ad Gregorium XV ſummum Pontificem miſit, qui auditis, quos conſtituerat cenſoribus & Cardinalibus, 31 Januarii anno 1623 Apoſtolicam conſtitutionem edidit, qua Chriſtianis Madurenſibus, uſque ad aliam Apoſt. ſedis deliberationem, poteſtatem faciebat utendi ſuis inſignibus, linea & columba, itemque ſandalo & lavationibus (quibus in rebus tota illius temporis controverſia vertebatur) modo ne quid uſurparent, quod ſimplici uſui ſuperſtitio addidiſſet. Nonnullas proin conditiones, quibus in earum rerum uſu Neophyti ſubjicerent-

rentur, prudenter adjecit. Quo demum ſupremæ auctoritatis oraculo Neophytos in ſuſcepta fide confirmavit, Ethnicos vero ad eam ſuſcipiendam promptiores reddidit.

Floruit tum quidem Madurenſis ager, donec Batavi, in India prævalentes eundem vaſtarunt; nec levem Ethnici obicem Evangelio poſuere, eo uſque graſſati, ut Joannem de Brito S. J. nobilem Luſitanum, ac Veteranum Miſſionarium Madurenſem, anno 1693 in odium fidei occiderent. Operariorum nihilominus zelo conſervata eſt in Madura religio, multisque inter adverſa incrementis aucta, ut adeo hæc Miſſio inter omnes orientales cenſeatur fœcundiſſima, ſive multitudinem ſive fervorem converſorum ſpectes. Ampla ſeges.

Cum igitur meſſis eſſet ampliſſima, cui Patres Luſitani non ſufficiebant, Galli quoque Miſſionem circa initium hujus ſæculi adornarunt, Ponticherio (Gallorum in ora Coromandelis imo tota India urbe ac munimento præcipuo) illuc ſunt profecti. Hos inter fuit Petrus *Martin*, qui ſacras obeundo Miſſiones Perſiam luſtravit, inde in Mogoriam profectus a Mahometanis captus eſt. Suratem tum delatus, atque in Bengalam, & Orizam, ſemen ubique verbi Divini ſparſit. Ponticherium inde, quod Hollandi occupatum tunc poſſidebant, avocatus ad Miſſionem Madurenſem, in qua 150000 Chriſtianorum, qui in dies mirifice augebantur, omnibus votis aſpiravit, licet duriſſima ibidem vivenda eſſet vita, tandemque eo perveniens, fructum ſatorum centeſimum retulit. Solus P. *Bouchet* ultra viginti millia baptizavit; ſcribitque ad annum 1700, quo magis ſæviat perſecutio, eo majores Religionem vires ſumere. Id unum deplorat, quod non ſuppetant media ad plures alendos catechiſtas.

Idem teſtatur probatque multis exemplis, dæmonem in Indiis non loqui ex ore idolorum, ſed ex ore hominum, quos obſidet, & graviſſimis doloribus torquet: continuo autem obmuteſcere, cum Chriſtianorum aliquis eſt præſens. Ab iisdem Chriſtianis ſolo ſigno crucis fugari dæmonia, omnemque nocendi virtutem enervari. Augetur mirifice in hanc uſque diem Fidelium numerus, licet nunquam defuerint perſecutiones, præſertim in Marattana procella.

# Articulus III.

*Introductio Religionis in Peninſulam ultra Gangem, uti in Regnum Bengalæ, Pegu, Arracan, Malacam, Javam, Siam &c.*

Supra Maduram Boream verſus extenditur ora *Coromandelia.* Huic oppoſita eſt verſus orientem magna Peninſula extra Gangem, interjecto maris vaſto ſinu. Sita in ea ſunt Regna complura, uti Bengalanum, Peguanum, Arracanum, Siamenſe, Cambodianum. Regna iſta, prout in finitimis ſolet, frequentibus bellis inter ſe colliſa, diu Evangelio portam occluſerunt.

In Regnum *Bengalæ,* quo nullum ſuperſtitionum feracius, ad Gangis oſtium ſitum, anno 1598 profecti ſunt quatuor ſocietatis Patres. Gullum in eo, Luſitanæ ditionis urbem, excoluerunt, indeque Rex evocatos, ampliſſimo Diplomate vectigalibus & poteſtate prædicandi Evangelium donavit. Sed mox bello cum Luſitanis orto, mentem mutavit, atque veritatis Præcones innocuos perſequi cœpit. Cæſus Fernandius, reliqui ſolum vertere coacti ſunt. ( anno 1602)

Rex *Peguanus*, virtute bellica & prudentiæ laude clarus, circa annum 1598 Regem Siami aliosque vicinos domitos, vectigales reddiderat; ſed perdidit degener filius, crudelis & præceps, quod pater conquiſierat. Bellis proin perpetuis, cum Avano, Arracarno, & Siamenſi, Regibus geſtis; everſo propemodum regno, nullus fidei erat acceſſus, redeuntibus in Malabariam Miſſionariis, qui in Regnum Pegu ingreſſum tentaverant. Locata felicius opera in regno Gingiano.

Multa ibidem P. Sequeiræ fuit concertatio cum Doctoribus & ſacrificulis gentis, quos *Jogues* vocant, ac præſertim cum eorum uno, quem reliqui ceu doctiorem elegerant. Quæſivit ex eo Sequeira, quot Deos coleret? multos ille recitavit. Rogatus, ut omnium maximum ediceret, ſolem nominavit. Interrogatus, an ſol a ſe ipſo factus eſſet, an ab alio? ab alio reſpondit, ejusque patrem nominavit. Matrem dicere non potuit. Sunt ergo duo ſoles, ſubjecit Sequeira, ſol & ipſius pater: hominis enim pater homo eſt, equus equi, elephantis elephas. Tandem dixit, ſolem fuiſſe hominem ſanctum, qui in præmium ſuæ probitatis factus eſſet ſol. Sed quis hominem illum tanto donavit præmio, ut in ſolem converteretur, inſtabat Sacerdos: certe ſole ſuperior exiſtere debuit; qui enim alteri præ-

præmium tam magnum largitur, major ſit neceſſe eſt. Annuente turba concluſum eſt, jam alium Deum ſole majorem exiſtere, ac proin ſolem non eſſe Deorum primum & maximum. Cum nihil haberet bonus Doctor, quod reſponderet, Sequeira Dei unitatem, originem mundi, Angelorum & primi hominis explicuit.

Secutus fructus non exiguus. Erecta, Rege Gingiano favente, Deo templa, Evangelicis Prædicatoribus domicilia, plantata germina, ſed belli furor illa rurſus ſuffocavit; quippe Rex Aracanus, tractis in belli Societatem Luſitanis, hoſte eorum opera devicto, ſocios aggreſſus, perfide eos interemit. Quapropter Luſitani, ulturi crudelem perfidiam, anno 1604 Arracanum, ductore Philippo Brito, vicerunt bello, capto etiam ejus filio. Petiit Rex barbarus pacem. Obtinuit. Conceptæ ſalubres Luſitanis leges, quibus Religionis quoque libertati cautum. Sed Britus improvidus cum legatis filium ſuum miſit. Rex, comiter exceptos atque convivio adhibitos, omnes interfecit, reſtauratoque bello, Luſitanos & Religionem, quantum poterat, eſt perſecutus.

Felicius ſacra doctrina ſparſa eſt per Regnum *Cambodiæ*, unum ex octo Regnis præcipuis, quæ ſunt in Peninſula ultra Gangem: præcipue vero per Regnum *Siamenſe*, in quo ingens veritatis Prædicatoribus apertus eſt campus, poſtquam Rex plenam Evangelio libertatem conceſſerat. Nec Ethnicis tantum impertitum converſionis obſequium, ſed Chriſtianis quoque, quorum plurimi in illis terris negotiabantur, ſacramentorum, quibus diu caruerant, gratia.

Fanum aliquando ingreſſus ſacerdos, atque veſanæ molis idolum conſpicatus, quæſivit ex annoſo ſene, Regis patruo, ubinam Deum habitare crederet: in corde humano, reſpondit ſenecio. Interrogare pergit Miſſionarius, an ille, quem colerent, Deus ea eſſet magnitudine & forma corporis, quam in templo ſpectarent. Omnino, inquit ille. Qui autem fieri poteſt, ſubjecit Pater, ut tanta moles in tantillo corde humano poſſit exiſtere? perturbatus ſenex ſpatium ad reſpondendum petiit.

Circa annum 1616 in Bengalæ regno nihil Luſitanis, nihil Religioni manſit reliquum; præter arcem Siriam, & Sandivam Inſulam. Quæ tamen ipſæ etiam paulo poſt, a Peninſulæ Gangeticæ Regibus fuerunt expugnatæ, incolis cum Miſſionariis in ſervitutem abductis. Simile ferme fatum incubuit Molucenſibus Inſulis, quas, S. Xaverii aliorumque ſudoribus irrigatas, Batavi Hiſpanis eripuerunt: *Celebes* tamen Inſula, Moluccarum maxima, quam vulgo *Macaſſarem* appellant, proprium Regem retinuit, ad quem anno 1618 fruſtra legatus

Luſitanus cum fidei Prædicatoribus acceſſit, incolis nimium quantum in Mahometiſmo obduratis, & hinc etiam fœdus cum Luſitanis reſpuentibus. Rex vero ferox reſponſum dedit, ſibi nec Chriſto, nec Mahomete opus eſſe, cum neuter a morte liberet; cumque P. Ferreira inciperet de animæ immortalitate ſermonem injicere; tacere eum juſſit, & protinus e regno faceſſere.

Inſula *Java* proprium olim habuit Regem, quem per plura bella Hollandi ejecerunt, novamque ſuam *Bataviam*, urbem amplam & auguſtam, alterum velut Amſtelodamum, condiderunt, & munimentis firmarunt. Non aliud in Indiis emporium frequentius, aut mercimoniis opportunius. Incolæ olim erant Ethnici; ſed cum Miſſionarii Catholici, quos expetierant, tardius advenirent, in ſectam Mahometanam, tranſitu haud difficili, prolapſi ſunt. Jam vero fabularum dulcedine ineſcati difficillime ad veritatis ſeveritatem pertrahuntur, præſertim cum nulla hic Luſitanis aut Hiſpanis ſint commercia, Hollandos vero, quæſtui intentos, hæc cura parum ſollicitos habuit, ut adeo ipſorum Præcones nec unicum fecerint Proſelytum. Imo ne quidem captivis facile concedunt facultatem baptiſmum ſuſcipiendi.

Temporale autem Batavorum lucrum, quod ex commerciis, in omnem partem protenſis, reportant, eo uſque aſſurgit, ut cenſus annuus ſummam capitalem non raro multum ſuperet. Tanta autem mercaturæ emolumenta Luſitanis eripuerunt, ut dictum ſæpius.

## CAPUT XXII.

### *Inſulæ Philippinæ, & Carolinæ.*

Mille ac ducentæ circiter numerantur, infra Sinam, intra tropicum cancri & lineam æquinoctialem, majores 20, inter quas præcipuæ *Manilana*, *Luconia*, *Mindana*, & *Zebuana*, quam primam omnium Magellanes detexit, Adelantadus vero Contaber ad ulteriores Inſulas promovit victoriam circa annum 1566. Reliquæ minores exiguis inter ſe fretis ſunt diſcretæ. Primi hunc agrum excoluerunt Patres Auguſtiniani. Noſtra Societas eo devecta eſt anno 1580. Collegium Manilanum accepit 1593, biennio poſt Zebuanum, præter varias Reſidentias, & Miſſiones. Suberant P. Provinciali Mexicano; ſed propter diſtantiam anno 1594 in provinciam Philippinæ ſunt redactæ.

Mul-

Multi alii quoque Religioſi erant in Philippinis, qui incolarum converſioni magno ſtudio incumbebant, ut adeo ager ille, eximie cultus, uberrimos fructus proferret. Fervebat Divinum opus, triumphabat Religio. Mindana tamen Inſula, a Manilana facile prima, pectus obduraverat. Illam ut Deo & Regi ſubjiceret Figheroa Prætor, expeditione ſuſcepta, a latronibus fuit interemptus. Verum Mindanenſes iſti barbari non modo libertatem ſuæ Inſulæ mordicus defenderunt, ſed in Chriſtianas etiam Inſulas, Coloniasque effuſi, rapinis, incendiis, cædibus pro indole ſua immaniter graſſabantur, incolis, qui furori ſubtrahere ſe poterant, rerum omnium egenis cum Miſſionariis ſuis in montes & ſylvas dilapſis, atque in antris & cavernis terræ ſe abſcondentibus.

Mitius aliquantum ſæviebant circa annum 1606 Hollandi, qui, Amboino, & Molucis captis, templa, aras, cruces, ſacrasque imagines diruerunt, atque Luſitanis abſcedere juſſis, ſacerdotes naviculæ ſine navarcho, ſine remige impoſuerunt, qui tamen Deo ductore feliciter in Philippinas evaſerunt.

Inter Philippinas & Peruviam ſitæ ſunt Inſulæ Salomonis, in ducenteſimo longitudinis, & octavo latitudinis auſtralis gradu; in quas ſub initium ſæculi XVII Evangelium pariter eſt propagatum, prout etiam ad Xolanos, Itanos, Bantajanos, Biſajenſes, Dupitanos, Butuanos, Ternatenſes, Celebes, Tidorenſes, Ceramos, Gilolaos, alioſque Molucenſes, æquatori ſubjectos, infra Philippinas.

Jam anno 1616 Societas noſtra in Indiis habuit 11 Provincias, Goanam videlicet, Malabaricam, Japonenſem, Braſiliæ, Chilenſem, Peruanam, Mexicanam, novi Regni, Quitenſem, Paraquarienſem, Philippinarum, cum vice Provincia Sinenſi, & in iis ad 3000 operariorum: Provincia autem Philippinarum 165 Perſonas, majores Domos 6, Reſidentias ſtabiles 10, Miſſiones mobiles multas.

Anno 1617 Hollandi, Mindanenſibus barbaris juncti, aggreſſi ſunt cum 10 navibus bellicis Philippinas, ſed ab Hiſpanis parta victoria ſtrenue repulſi ſunt. Mindanenſes autem perſiſtebant in ſua pertinacia. Reliquarum autem Inſularum populi ſunt verſatiles; converſi, & in communitatem coagmentati, ſubito Miſſionarium deſerunt, & in montes aut ſylvas ad priſtinam vitæ licentiam fugiunt, aut etiam Mahometanis, Chriſtianam morum ſeveritatem averſati, ſe aſſociant.

*Manila*, urbs Philippinarum princeps, Archiepiſcopi, Gubernatoris, Academiæ, multorumque Monaſteriorum ſedes, pulchra & egregie munita, 900 circiter militum præſidio excubante. Suburbia ſunt ampla, & urbe ſeptuplo majora. Unum ex illis maximum a Catholicis Sinenſibus, Indis & Hiſpanis incolitur, ſub cura duorum ſacerdotum S. J. alterum Sinenſes mercatores & opifices infideles complectitur. Horum numerus ad 40000 olim aſcendebat, ſed poſt ultimam ſeditionem ita ſunt imminuti, ut octo millia non ſuperent, lucro non aliter, ac Judæi in Europa inhiantes.

Univerſale hic mundi commercium; nam ex remotiſſimis regionibus hic appellunt mercatores, ex tota India, Sina, Tartaria, Armenia, Perſia, Græcia, Luſitania, America &c.; qui copioſas pretioſasque merces regionum ſuarum afferunt, ut pro argento Mexicano vendant. Nam Hiſpani has merces quot annis e Philippinis Mexicum tranſportant, atque pro iis multo cum fœnore argentum reportant. Ante hac etiam Japones has frequentabant nundinas, ſed poſt motam ab illis atrocem in Chriſtianos perſecutionem, a commercio repulſi ſunt: veniunt tamen aliæ infideles nationes, quæ cum Japonibus commercantur. Hollandis quoque, Anglis & Danis omnis interclufus eſt aditus; quia, licet in Europa pax vigeat, in Indiis tamen perpetui ſunt Hiſpanorum hoſtes.

Hollandi jam ſæpius irruptionem in Inſulam iſtam (Manilanam) tentarunt, ſed magno ſemper ſuo damno. Contigit, ut una navis Manilana duodecim Hollandicas ſuperaret. Naves etenim ex certo ligno, adeo duro, ſunt confectæ, ut nulli globi tormentarii penetrare valeant.

Terra admodum eſt fœcunda, pecoribus plena. Mare piſces offert ad abundantiam. Nec deeſſent mineræ metalliferæ, ut adeo beatæ eſſent hæ Inſulæ, niſi inſignis incolarum ſegnities laborem fugeret & culturam. Ex corporibus ſimiarum & cervorum eruitur pretioſus lapis, quem *Bezoar* appellant. Apum incredibilis eſt copia; unde immenſa ceræ vis exportatur, natumque eſt proverbium, pauperes in Philippinis tribus frui privilegiis, 1. utendi candelis cereis. 2. Veſtibus ſericis. 3. Vaſis *Porcellaneis*; quæ nempe ex Sina copioſe afferuntur.

Anno 1697 multæ novæ Inſulæ detectæ ſunt, novi Apoſtolici zeli campus amplus & ſeges. Attente audiunt Evangelii Præcones; nihilque opponunt; ſed ubi ad converſionis negotium deveniendum, hærent, & tergiverſantur, aut, ſi manum jam dederunt, pro innata ſua inconſtantia eandem retrahunt.

Ni-

Nihilominus, quo dixi anno 1697 in novis & antiquis Inſulis Philippinis in ſalutem animarum collaborabant e ſocietate noſtra 90 Miſſionarii, qui 77000 converſos numerabant. Anno 1711 octingentæ ibidem florebant Parochiæ, cum inſigni in iisdem diſciplina, quæ debetur fervori Regum Hiſpaniæ, qui ea providentia ſunt uſi, ut, licet in Philippinis multi, tum ſæculares tum Religioſi ſint ſacerdotes, in qualibet tamen Inſula unius tantum ſint inſtituti, ne communiones, quod in Sinis, Japonia aliisque provinciis contigit, diſſenſione turbentur.

Hoſtes præcipui Philippinarum erant Rex Mindanaenſis & Jolanæ Inſulæ, qui perpetuis irruptionibus Hiſpanas provincias turbabant, ſparſisque incendiis & actis prædis, plura hominum millia in ſervitutem rapiebant. Quapropter Gubernator Manilanus utrique Inſulæ præſidium, quo earum licentia comprimeretur, impoſuit. Verum imminente Sinenſi pirata, ad tuitionem Manilæ illud deducere coactus, priſtinam prædandi licentiam utrique Inſulæ permittere debuit. Acceſſere Hollandi, qui Molucis ereptis, Hiſpanas Inſulas frequenter infeſtabant.

Anno 1719 Buſtamantius Gubernator, capta rurſus Samboanga, Mindanenſi munimento, excurſiones inhibuit; 1724 expugnata etiam Sabanilla; & 1731 adverſus Jolanum Regem ſuſcepta expeditio, qua plus damni Barbaris eſt illatum, quam Hiſpanis lucri importatum. Plura ſubin loca ex Mindanaenſi Inſula ſubacta Evangelio ſpatium dedere; quod ubique magno cum fervore & fructu eſt promulgatum, præfulgente zelo P. Leonardi Finck Germani.

Multi incolarum in iſtis Inſulis ſunt Ethnici, nullum agnoſcentes Deum, plurimi Catholici. Tres Inſulæ majores ſubjectæ ſunt Mahometanis, qui omnium difficillime convertuntur. Adſunt præterea ad 50000 Sinenſes, aut artifices aut mercatores. Non pauci perpetuo in navibus habitant. Mauri, in quibus vix aliquid hominis eſt cernere, montes incolunt, ſine domo, ſine tecto ferarum inſtar. Soli prope athei & idololatræ convertuntur, atque ex montibus & ſylvis in pagos deducuntur.

Converſionem impediunt abundantia rerum, malum exemplum quorundam Europæorum, denſi ſaltus, quos penetrare nequeunt Miſſionarii; fera licet natura, capaces tamen ſunt, & omnia facile diſcunt, ac imitantur. Jam pueri tota die arma geſtant, & noctu capiti ſupponunt. Inſulanis iſtis ad vitam ſuſtentandam tria tantummodo dicuntur eſſe neceſſaria: *Culter* ad leguminum radices exſcindendas, ad mel ſilveſtre, quod arbores exſudant, deradendum, ad

carnes ſecandas: *Lancea*, ad apros, cervos, ſimias configendas: *Rete*, ad piſces, quorum incredibilis copia, capiendos. Libra panis tritici carius venditur, quam 25 pondo ſachari.

Singulis Miſſionariis duo vel tres pagi ſunt commiſſi, aut etiam minores Inſulæ. Quot Dominicis populo in Eccleſia congregato prælegitur catalogus Chriſtianorum, ad parochiam ſpectantium, notanturque abſentes. Cantum de doctrina Chriſtiana ſequitur concio cum Miſſa, cæteraque peraguntur, quæ in Europa zeloſiſſimi ſolent parochi, cum eo ſolo diſcrimine, quod major barbarorum in Eccleſiis ſit modeſtia. Vix conſpicias Indum Catholicum, qui non corollam Marianam ex collo dependentem gerat. Dies paucos, ex diſpenſatione Romana, feſtos agunt, nec jejunant, niſi feria ſexta quadrageſimæ, qua tamen viri ſæpius in Eccleſia flagellis ſe cædunt.

In Inſula Mindanao, plurium Martyrum ferace, nullus Miſſionarius a Mahometanorum inſidiis tutus eſt. Terra marique rapinis intenti, Chriſtianisque ſunt maxime infeſti, quos vel in mortem vel diram ſervitutem abripiunt. Certe athei & idololatræ multo ſunt mitiores. In propria quoque pignora ſæviunt. Fœtum extinguere & abortum procurare nullum apud eos eſt crimen. Nec raro infantes vivos ſepeliunt. Sponſus ſponſam a parentibus hujus magno pretio emere debet; hinc rara apud eos legitima matrimonia. Mancipia pecorum inſtar tractantur & venduntur.

Cum zonæ torridæ ſubjaceant, diemque ac noctem toto anno habeant ferme æqualem, perpetua æſtate fruuntur; unde gelu, nix, pruina, grando neſciuntur. Singulis menſibus uvæ maturæ ac recentes haberi poſſunt. Crocodili, portentoſæ magnitudinis, Inſulas has infeſtas reddunt. Devorant homines, equos, boves, porcos, cervos, canes, ſimias, quas in arboribus ab uno ramo ad alterum ſaltitantes, cauda arborem valide ſuccutiendo, præcipitant & vivas deglutiunt. Cum Indi in littore fluminis Crocodilum dormientem oppreſſiſſent, in ejus ſtomacho porcum, canem, & piſcatorem, adhuc veſtitum, cum corolla Mariana, ex collo pendula, invenerunt. Veſpertiliones, magnitudine anatem ſuperantes, poſt ſolis occaſum nubium inſtar circumvolant. Nutriuntur arborum fructibus. Indi iis ceu dapſili eſca veſcuntur. Hollandi ex eorum ſordibus vitrum conficiunt; quod tamen minorem vim habet, quam Europæum.

Æſtus eſſet intolerabilis, niſi frequenti pluvia & ventorum flatu aura tepeſceret. Terræ motibus, fulguribus, tonitribus, horrendisque tempeſtatibus regio eſt obnoxia. Ædes, ligneis columnis ſuffultæ, unam contignationem plerumque non ſuperant.

Tan-

Tandem anno 1731 infra Marianas prope æquatorem novæ Inſulæ fuerunt inventæ, quas Inſulas *Palaos*, aut etiam *Carolinas*, vel *novas Philippinas* appellant; alii vero Marianis accenſent. Superiore jam ſæculo ex quibusdam Palaenſibus, ventorum turbine ad Philippinas projectis, notitia earum fuit hauſta. Exarſit illico noſtrorum zelus, illas adeundi, & Evangelio imbuendi; ſed tum Patrum paucitas, tum alia obſtacula expeditionem difficillimam intercluſerant.

Ineunte hoc ſæculo XVIII licet bellum Europam, & præſertim Hiſpaniam, cujus res agebatur, miſceret, Philippus V nihilominus pro ſuo Religionem propagandi ardore conſenſit in novam illam conquiſitionem, & ſubſidia aſſignavit. Igitur anno 1708 Joſephus Bobadilla S. J. verſus Inſulas illas navigavit, ſed vento abreptus Manilam rediit. Sequentibus 1709 & 1710 eandem aleam tentavit, ſed infelix ſemper fuit navigatio, Abſterriti necdum Patres Philippini anno 1711 quartam expeditionem ſacram adornarunt, ſed omnes naufragio abſorpti ſunt.

Octodecim dein annis ab eo negotio ceſſatum, donec anno 1729 P. Antonius *Cantova*, Mediolanenſis, in Philippinis Miſſionarius, illud reſumpſit; ſed infauſta rurſus fuit navigatio; quam tamen anno 1731 P. Cantova inſtauravit cum P. Victore Walter, Brixinenſi ex Germaniæ ſuperioris provincia, qui anno 1722 cum P. Xaverio Urfahrer Oſtenda Gades, in novam Hiſpaniam, indeque ex portu *Acapulcho* in Inſulas Marianas profectus eſt, ibique ſocius additus P. Cantovæ ad Miſſionem Carolinam. Navarchum egit ipſe P. Cantova, & quidem felicius. Nam optatas Inſulas ſecundo curſu attigit, & conſcendit.

Prima cura fuit, cruces erigere, parvulos baptizare, adultis, novitate rei attonitis, Chriſtianam doctrinam explicare: adoleſcentes catecheſi inſtruere, inſtructosque ceu minorum gentium Apoſtolos ad alios erudiendos dimittere: & fuit ſua labori merces. Inſulani turmatim ad ſignum crucis convolabant, & ſalutis unda tingi expetebant.

In Molucis quoque ſemen verbi Divini ſparſum feliciter; nam Gilolæ Rex Inca, Hiſpaniæ vectigalis cum duobus filiis regenerationis lavacrum accepit.

# CAPUT XXIII.

## *Inſulæ Marianæ.*

In extremo oriente poſt Philippinas una ſerie a borea in auſtrum ſitæ ſunt tredecim Marianæ, ſic dictæ a Maria Anna Auſtriaca Caroli II. Regis Hiſpaniarum matre, Miſſionis illius fundatrice: *Inſulæ Latronum* olim appellatæ, Hiſpanis ſubjectæ; per quas ex Peruvia in Philippinas fit navigatio: ſolum eſt ſterile, in quo nihil ferme niſi animarum ſalus quæri poteſt. Incolæ ſunt barbari ac feroces, non tamen humanitatis omnis expertes, ſed, more Orientalium, tecti, callidi, aſtuti, mutabiles: hinc Religionem Chriſtianam quam facile aſſumunt, tam facile abjiciunt, & in ſeditiones prorumpunt.

Societatis noſtræ Miſſionarii horridam hanc ſylvam ingreſſi, circa annum 1667 colere eandem cœperunt magno proventu, dum plura hominum millia brevi tempore ad ſinum Eccleſiæ adduxerunt. Creſcente igitur meſſe plures ex eadem ſocietate operarii anno 1682 acceſſerunt. Omnes jam prope Inſulæ maxima ex parte fuerant converſæ, cum, incentoribus quibuſdam infidelibus barbaris, horrenda & quaſi univerſalis omnium Inſularum erupit rebellio. Mortis victimæ deſtinabantur Prætor, Miſſionarii, omneſque Hiſpani, quorum tamen non erant ultra 60, iique per varias Inſulas diſperſi.

Oppidum princeps eſt *Agadna*, operibus munitum, Prætoris ubi ſedes, & ſocietatis domicilium (*Reſidentiam* appellamus) in Inſula præcipua, quæ *Guaban* dicitur, & recentius a S. Joanne nomen habet. Tecta perfidia, in oppidum irrepunt barbari, expediunt arma ſubito quæ abſconſa habuerant; magno numero irruunt, mactant, perdunt, miſerandamque ſtragem edunt. Sauciatus graviter, dum nihil ſuſpicatus, ſuique ſecurus foro inambularet, ipſe Prætor. Subjecti ignes ædibus, multæ in buſta converſæ; miſeranda ubique rerum facies, præſertim in Reſidentia noſtra, in quam irruentes, alios ex Miſſionariis, conſultationis gratia ibidem collectis, cum P. Vice-Provinciali fuſtibus impactis atrociter cæſos proſtrarunt, quinque ex illis anno 1684 pluresque alios temporibus aliis omnino trucidarunt.

Eadem feralis ſcena a barbaris, infidelibus & Chriſtianis, qui in rebellionis ſocietatem pertracti fuerant, in aliis quoque Inſulis, ad delendum Religionis nomen, ex condicto fuit inſtructa, præſertim Saypani, ubi vigiliarum Præfectus de *Quiroga* cum 20 non amplius militibus barbarorum incurſus ſtrenue retudit. Pluribus quoque ſalu-

ti

ti fuit Ignatius *Inetus*, heros Chriſtianus, qui cum pago ſuo fidelis manſit, & ubicunque Miſſionariis periculum imminuit, cum ſuis accurrit.

Poſtquam Joſephus de Quiroga Marianarum Præfecturam anno 1694 ſuſcepit, omnia in meliorem redacta ſunt ſtatum; nam Zaypan & Tinian, aliasque vicinas rebelles Inſulas expugnavit, & per Miſſionarios S. J. ad Chriſtum reduxit. Sed ecce incredibilem hominum iſtorum inconſtantiam. Nam anno 1702 novam rebellionem diſſeminarunt, idque tam occulte & callide, ut, niſi Cordatus Marianus eandem P. Provinciali, atque hic Prætori detexiſſet, ingens rurſus laniena in Hiſpanos & Miſſionarios fuiſſet graſſata.

Alias improviſo comparet turba ſeditioſa, vi armata in domicilium noſtrum irrumpit, illoque cum templo in cineres redacto, P. *Montroyum* trucidat, & non multo poſt etiam Carolum *Borangam*, ex Provincia Auſtriaca ſacerdotem, P. Auguſtinum *Strobach* ex provincia Bohemica, atque Franciſcum *Erquetram* Hiſpanum. Parricidæ a Præfecto Hiſpanæ arcis comprehenſi, atque ad terrorem inconſtantis, perfidæ, & truculentæ gentis, varie torti ſunt & interfecti.

Quamvis autem nulla videatur eſſe natio tam mobilis, perfida, atque crudelis, in rebelliones adverſus juratam Deo & Dominis ſuis Hiſpanis fidem pronior, nihilque in regione egena ac paupere humani exſpectandum fuerit ſolatii, vix tamen aliam Miſſionem deſiderio martyrii expetebant ardentius mentes vitæ prodigæ. Porro Societatis noſtræ Patres in Marianis Inſulis Vice-Provinciam conſtituunt ſub Provincia Philippinarum.

Fatendum tamen eſt, hanc Miſſionem initio tam florentem non parum ſucceſſu temporis decreviſſe; nam cum Ludovicus *San-Victores* anno 1665 a Philippo IV. Hiſpaniarum Rege mandatum ad Gubernatorem Manilanum impetraſſet, ut neceſſaria ad Miſſionem illam inchoandam providerentur, cum aliquot ſociis ab Inſulanis humaniſſime anno 1668 fuit exceptus Agadnæ, Guanæ maximæ Inſulæ urbe præcipua, ſocii vero per diverſas Inſulas diſpertiti, ex ſparſo Evangelii ſemine grandem meſſem reportarunt, pluribus mox hominum millibus inſtructis & baptizatis.

Nec parum ad converſionem valuit, cum Ludovicum adeo popularem familiaremque cernerent, ut omnibus omnia factus, pia carmina cum ipſis Indis concinens ſaltitaret. Ut vero eorum nuditatem tegeret, ex palmarum foliis veſtes contexuit, quibus etiam ſe ipſum induit. Detectæ plures pluresque novæ Inſulæ, erectæ Eccle-

ſiæ, domicilia pro Miſſionariis, Seminaria pro juventute, ſubminiſtrante ſumptus ex ærario Mexicano Maria Anna Auſtriaca, Regina Hiſpaniæ.

Quamvis autem vinea iſta ad omnem venuſtatem floreret, ita, ut ultra 50 hominum millia jam eſſent baptizata, pluraque in dies incrementa caperet, venit tamen inimicus homo, & ſuperſeminavit zizania; nam quævis Inſula Miſſionarios apud ſe retinere ſatagebat, unde propagatio fuit ſufflaminata. Dein Nobiles nolebant, ut baptiſmi gratia plebejis, quos contemnebant, communis fieret. Acceſſit impoſtor quidam Sinenſis idololatra, *Chocus* nomine, qui, cum eſſet verſutus ingenio & ore promptus, idolomaniæ tabem, quam ante neſciverant, Inſulanis afflavit.

Impiger hic orci miniſter, ut Patres contemptui & odio objiceret, in vulgus ſparſit, infima eos eſſe de fæce hominum, & tanquam impoſtores ab Hiſpanis pulſos in has Inſulas; aquam baptiſmi ea eſſe peſte infectam, ut, quibus fuerit aſperſa, maxime infantes, brevi conficiat, aut luem, qua lente contabeſcant, eisdem affricet, id quod Manilæ frequenter fuerit obſervatum. Fidem mendacio fecit, quod Patres multos infantes, morti proximos, baptizarint, qui brevi poſt deceſſere.

Incredibile dictu, quanta inde rerum converſio. Qui Miſſionarios ante ceu amantiſſimos patres colebant, in pagos ſuos invitaverant, in iisdem retinere contenderant, ad baptiſmum paſſim convolaverant, jam eosdem ceu impoſtores & latrones averſari, fugere, pro hoſtibus habere atque ex Inſulis ſuis tanquam hoſtes depellere.

Quin imo in tantum odium mutatus eſt amor, ut PP. *Victorem*, quem magnum velut Apoſtolum ſuum venerati fuerant, *Medinam*, *Eſquerram*, *Diazium*, *Baſilium*, *Monroyum*, pluresque alios crudeliter trucidarent: & ne Hiſpani, quos exoſos habebant, tot cædes vindicarent, in proditiones, & quæ ſupra dixi, bella ruebant. Quapropter coacti ſunt Patres pleraſque Inſulas deſerere, & in Guanam confugere, in qua tamen & ipſa ab invaſionibus tuti non fuerunt. Unde ad tollendas tot ſeditiones Hiſpani coacti ſunt, remotiorum Inſularum incolas in tres, Guanam videlicet, Zaypanum, & Rotam traducere. Quæ res Marianos tam ægre habuit, ut Hiſpanæ dominationis multi pertæſi, atque in montes & longinquas regiones dilapſi, adeo minuerentur, ut circa annum 1731 quatuor tantum millia explerent, quibus 9 Miſſionarii præerant.

CA-

# CAPUT XXIV.

## *De Tunchino & Cochinchina.*

Tunchinum, extrema in meridiem vergens regio, Sinici Imperii olim erat provincia, tum vero excuſſo jugo, electoque ſibi rege, in libertatem ſe ſe aſſeruit, ſic tamen, ut, bello per pacem finito, ſingulis trienniis Sinarum Imperatori munera offerre debeat, & per hoc homagium velut præſtare. Tunchini.

Ab eo tempore hæc provincia peculiarem ſuum regem habet; eſtque populis frequens, 8600 & ultra cum urbes tum oppida complectens; tellus frugifera, mores politi, eumque ferme in modum, quo in China, ad modeſtiam & virtutem compoſiti; ejusdemque propemodum religionis, quamvis pluribus ſuperſtitionibus confuſæ.

Cochinchina pars olim fuerat Tunchini, ſed & ipſa per arma in libertatem aſſerta, proprium ſibi regem aſcivit, a quo magna cum poteſtate regitur; Sinarum tamen Imperatori aliquo ſervitutis genere obnoxia. Partim idola & ipſa colit, partim aliis ſuperſtitionibus eſt infecta. Et Cocincinæ indoles.

Primus, qui ſalutis ſignum in Cochinchinam anno 1614 intulit, fuit Franciſcus Buzomi Italus S. J. & invenit agrum, culturæ capacem, qui centuplum reddidit, ut proin neceſſum eſſet, annuere ſociis, ut in partem laboris venirent. Stabat alba ad meſſem ampla ſeges, cum ſubita grando operarum ſpes decuſſit. Quippe Rex, ante benevolus, repente mutatus, omnes Miſſionarios ferali edicto proſcripſit, ſubditis vero ſuis ſub comminatione mortis ſevere præcepit, ut excuſſo Chriſto ad patrias ſectas redirent, ea deluſus a Popis falſa imagine, quod ſacerdotes Europæi ſint Luſitanorum emiſſarii, qui indigenarum turbam ad ſe pertrahant, ut Europæorum invaſioni viam ſternant. Perſecutio.

Sæviit illico (circa annum 1660) atrox perſecutio. Plus triginta Chriſtiana templa jam ſurrexerant, populi fidelis frequentia Divinoque cultu animata, vaſtata, everſa ſunt. Chriſtianorum multi crudeliter cæſi, aut omnibus bonis fortunæ exuti, & in exilium propulſi. Sed & hic ſe ſignavit omnipotens dextera per conſtantiam invictam tot teſtium veritatis.

Eadem ferme erat *Tunquini* regni conditio. Accepti circa annum 1627 Patres S. J. benevole a rege, multos converterunt: exſtructa Deo publica templa, pietas fervorque Neophytorum incredibilis, ſed alter-

alternabant hæ vices. Miſſionarii modo expulſi, modo iterum reſtituti, prout nempe commerciorum cum Luſitanis ratio ferebat; nam cum ſpes mercatoriæ Luſitanæ navis ingruebat, benevolum admodum erga Chriſtianam legem ejusque prædicatores ſe exhibebat; poſtquam ſpes illa fuerat elapſa, inimicorum ſuggeſtionibus irritatus, ſæpius eosdem rurſus ejecit.

Chriſtianorum fortitudo.

Enituit tamen Chriſtianorum virtus atque conſtantia, ad carceres, tormenta, mortemque adeo ipſam demonſtrata. Certe multi cum P. Bucharelli S. J. in odium fidei occiſi ſunt, eſſloreſcente, velut roſa inter perſecutionum frequentium ſpinas Tunchinenſi Eccleſia. Nec minora hic, ac in Japonia, in tenera etiam ætate & ſexu infirmiore generoſa fortitudinis invincibilis exempla. Quæ pia mens non ſine lachrymis legat, tum ad ſolatium & ſanctam lætitiam, quod Chriſtus in remotiſſimis etiam gentibus frequentes habeat adoratores, & ferventes in ſpiritu & veritate, tum ad confuſionem teporis, qui multorum in Europa veterum Chriſtianorum corda obſidet.

Siam.

Faventem magis rei Chriſtianæ ſe exhibuit Rex *Siam*, poſtquam Miſſionarii S. J. in hoc quoque Regno vexillum Chriſti explicaverant.

Camboya.

Eodem zelo gloriæ Divinæ Evangelium introductum eſt in regnum *Camboyæ* & *Macaſſar*, tametſi in iis non tantum Ethnicos & Mahometanos, ſed & Europæos quosdam, qui Chriſtiano nomine cenſeri volunt, obluctantes habeat, Hollandos inquam, qui commercii cauſa frequentes ea emporia ſubeunt. Memorabile eſt reſponſum, quod adoleſcens Camboyenſis Calviniſtæ dederat. Cum enim hic adoleſcentem interrogaſſet, quot ſint Dii, illeque reſpondiſſet, eſſe unicum, cæli terræque Dominum. Repoſuit Hollandus: vide ſis, quam male te inſtruxerint Jeſuitæ. In ſingulis hoſtiis eſt Chriſtus, qui eſt Deus, prout illi te erudierunt, ergo tot Deos eſſe oportet, quot ſunt hoſtiæ & ora, quæ eas ſumunt. Næ! tu malus es Arithmeticus, multumque aberras, excepit adoleſcens, ſol illuſtrat multas domos: an propterea tot ſunt ſoles, quot domus?

Adoleſcentis reſponſum Hollando datum.

Anno 1700 perſecutio in Cochinchina recruduit, eaque prorſus immanis. Ferali Edicto Regis, a Bonziis ob decuſſa idola in furorem actis, ſeveriſſime Chriſtiana Religio interdicitur, diruuntur templa, Miſſionarii in carceres & mortem abſtrahuntur: Chriſtiani, quorum multa erant millia, niſi fidem ejurent, crudeliſſime enecantur. Multorum conſtantia enituit, alii timori, alii tormentis ceſſere. Soli Antonio de Arnedo S. J. Hiſpano Miſſionario propter inſignem

Perſecutio recrudeſcit.

Ma-

Matheſeos peritiam parcebatur: qui datis Sinoa, urbe Cocincinæ Regia, litteris perſecutionem illam prolixe deſcribit.

Mitius aliquantum in Regno Tunchino tyrannis ſævijt. Fundarant Miſſionem illam, inter Orientales olim præclaram, P. Alexander Rhodes & Antonius Marquez, eo quidem operæ pretio, ut intra triennium 6000 baptizarint, & in iis tres celebres Bonzios, quibus uberius inſtructis ceu catechiſtis deinceps utebantur, eximio ſane cum animarum proventu. Nam, cum, quos dixi, ſacerdotes in exilium fuiſſent ejecti, catechiſtæ iſti non modo Chriſti gregem ſedulo cuſtodierunt, ſed intra annum quatuor animarum millibus auxerunt. Verum non diu tenuit ea perſecutio; nam Rex edoctus, falſis Bonziorum delationibus fuiſſe ſe circumventum, plenam Miſſionariis prædicandi Evangelium facultatem dedit; qua tanto animarum fructu uſi ſunt, ut in Tunchino ad ducenta Chriſtianorum millia numerarentur.

Verum hoc ipſum tam grande incrementum novam perſecutionem concivit; nam Proceres quidam cum Bonziis ſubverſionem ſtatus inde ominantes, Regem permoverunt, ut alterum Miſſionariis exilium indiceret. Ab eo tempore ad annum uſque 1700 clam latere coacti ſunt; providentia tamen Numinis non eſt imminutus fidelium numerus, ſed velut roſa inter ſpinas eſt conſervatus.

Miſſionarii autem de die in navi aliqua vel domo remota ſe abſcondunt, de nocte autem prodeunt, & fidelibus ſacramenta impertiuntur; catechiſtæ vero diurno tempore, quæ poſſunt, operantur, ſacram videlicet doctrinam explicant, præparant homines ad baptiſmum, confeſſionem & communionem, viſitant infirmos &c.

Anno 1696 aſperata eſt perſecutio, vetita, uti appellant, fide Luſitana, ejusque exercitio, Miſſionariis vero ad carceres damnatis, aut in exilium pulſis.

Anno 1721 orta eſt in *Tunchinenſi* regno nova perſecutio, eaque omnium maxima: ſancta Chriſti Religio damnata, templa Dei funditus everſa, percuſſo paſtore diſperſi greges, ſacerdotes cum oviculis truſi in carceres, onerati catenis, cataſtis ſuſpenſi, tormentis atrocibus trucidati, tota denique Religio e regno, in quo ſanctiſſime floruit, crudeli edicto proſcripta. Summa perſecutio.

Tanta calamitas a proſtituti pudoris fœmina, quæ baptiſmum, quem receperat, infandis ſceleribus polluit. Cum enim a Chriſtianis turpis ejus vita caſtigaretur, & publicæ peccatrici, ſentinæ ſuæ pertinaciter inhærenti, ſacramenta negarentur, ira exæſtuans, aſſumptis ejusdem furfuris viris qua apoſtatis, qua gentilibus, Chriſtianos, A fœmina concitata.

maximeque Miſſionarios apud Principem, qui regnum adminiſtrabat, accuſavit, quod extrita vetere religione patria, contemptis Numinibus, novam ac peregrinam toto regno contra Edicta Regia diſſeminarent, templa paſſim erigerent, multaque mortalium millia ad illa pertraherent; ni ocius graſſanti malo occurratur, ſtatum publicum everſum regnumque Europæis proditum iri.

Laniena. Hac face accenſus Princeps, Mandarinos cum ſatellitibus per regnum diſpergit, ut Chriſtianos inquirant, mactent & perdant. At ſtetit invicta multorum Chriſti confeſſorum conſtantia. P. *Meſſarius* S. J. cum aliis ſqualore & ærumnis carceris extinguitur. P. *Bucbarellus* cum decem Tunchinenſibus, cum fidem abjurare nollent, varie torti, capite plectuntur, multi exilio mortem redimunt. Quidam tormentis cedentes perſecutioni ſuccumbunt, quorum tamen plures, facti pœnitentes, in ſe reverſi tormentis ſe offerunt. Miſſionarii reliqui, ex ſpeluncis ſuis, in quibus latent, prorepentes, fideles ſolantur, & in fide ſuſcepta confirmant, alios vero multos, martyrum exemplo animatos, ad eandem adducunt.

Sicut autem Regnum Tunchinenſe & Sinenſe triſtis perſecutio graviſſime premit, ſic etiam *Cocincinam*, cujus Rex inſtinctu Anſati, ſupremi Mandarini, ferali Decreto fidem Chriſtianam omnibus interdixit, ejus vero confeſſores atrocibus pœnis ſubjecit. Gemebant ergaſtula, ſtridebant catenæ, flagra concrepabant, nobiles viri Elephantum ſervili obſequio ſunt mancipati. Nec Patres, qui matheſeos favore in aula verſabantur, obniti poterant.

Finis perſecutionis. Sed Deus avertit procellam, quam homines non poterant. Rex perſecutor anno 1725 ſubita morte interiit; filius vero ſucceſſor, cui mitiorem indolem dederat natura, patris vitia emendavit. Liberati captivi, reſtituta in integrum Eccleſia, Miſſionarii cum honore excepti, reſciſſa acta patris, nova conceſſa privilegia: morti addictus Anſatus, calamitatum origo & incentor: everſa fana, & idola: mater ipſa novi Regis, a qua filius indolem ſuam hauſerat, ſalutaribus undis abluta.

Martyres. In Tunchinenſi regno alia erat rerum facies. Perſecutio adhuc anno 1737 ſæviit, quo quatuor S. J. Patres, videlicet P. Bartholomæus *Alvarez*, P. Emmanuel de *Abreu*, P. *Chriſtoval*, Luſitani, & P. Caſparus *Craz* Juliacenſis Germanus, pro Chriſti fide poſt longas carceris ærumnas, ſunt interempti.

In

In Cocincina quoque jam novæ rurſus nubes atræ coiverant, in horridam perſecutionis tempeſtatem erupturæ; nam Mandarini proſcriptionem Miſſionariorum ex toto regno, & interdictum Religionis Chriſtianæ jam conceperant, a Rege confirmandum, exultabant Ethnici, trepidabant Chriſtiani; cum ecce! tota mox inverſa eſt rerum facies.

Nam cum anno 1739 in Cocincinam veniſſet P. Joannes *Siebert* S. J. Matheſeos diſciplinis apprime imbutus, ex provincia Bohemica, a Rege ſingulari cum honore fuit exceptus. Imminebat eclipſis lunæ in diem 20 Julii. Rex illam a P. Siebert ſeorſim & aſtronomis patriæ delineari voluit. Die, quam dixi, ſerenum erat cœlum. Pars utraque a Rege juſſa fuerat, delineationem ſuam cum Inſtrumentis & horologiis examinatis & probatis in Regiam deferre, ibique Eclipſin obſervare in præſentia Regis & aulæ.

Aſtronomi initium deſignabant horam nonam (utique veſpertinam) & 10 minuta. Cum autem hoc tempore elapſo obumbratio necdum appareret, erraſtis, Rex clamabat, converſusque ad P. Siebert, interrogavit, quanto adhuc tempore diſtet initium Eclipſis? 30 minutis, ſeu ſemihora, reſpondit Pater. Nam, ſicut ille prædixerat, prima immerſio lunæ in umbram terræ contigit poſt horam 9 & 40′ 3″, totalis eclipſatio poſt horam 10 51′ 4″, initium emerſionis poſt horam 11. 39′ 28″, finis eclipſis hora 12 49′ 29″. Poſt duas eclipſeos horas Rex ſuis aſtronomis dixit, cum juxta eorum calculum eclipſis jam ſit finita, poſſe eos jam domum concedere: ſibi & aſtronomo Europæo ſupereſſe adhuc horam & 7′. illi confuſi & in terram proſtrati errorem ſuum fatebantur.

P. Sieberti gratia apud Regem.

Magnum tunc apud Regem & Mandarinos P. Sieberti & Aſtronomiæ Europææ nomen; altum de proſcriptione Patrum, & interdicto, Chriſtianis intentato, ſilentium. Regis in Europæos benevolentia trahebat Miniſtros. P. Siebertus large donatus ſerico & flabello, Mathematicus Regius ac Mandarinus, honorabili Diplomate cum ſalario annuo eſt renuntiatus. Qui Regi erat a ſecretis, hoſtis ante Chriſtianorum implacabilis, hæc omnia expedire debuit, vel ſimulans amicitiam, vel ad Regis genium ſincere mutatus.

Tubis opticis P. Siebert optimis erat inſtructus, quos admirari non ſatis poterant Rex & Optimates; per eos oſtendit illis Jovis ſatellites, ipſis ante ferme ignotos, cum libero potiſſimum oculo ſyđera obſervarent, aut tubis uterentur minus aptis. Honorem quo-

que non exiguum retulit, cum proximum Jovis ſatellitem obſcuratum eisdem per tubum exhibuit. Rex, qui matheſi magnopere delectatur, dicere auditus eſt, ſe fore P. Sieberti diſcipulum, quando is linguam patriam melius apprehenderit.

Apparuit mox fructus matheſeos. Chriſtiani timore liberi mirifice multiplicabantur. Surgebant ſacrata Deo templa: cultus Divinus publice celebratus, Miſſionarii ubique ad majorem Dei gloriam intenti, tanto Eccleſiæ incremento, ut media pars regni cenſeatur Chriſtiana.

# CAPUT XXV.

## *De ſtatu Sinenſis Jmperii.*

### Articulus I.

#### *Mores Sinenſium.*

Vaſtiſſimum Sinarum ſeu Chinæ Imp. 15 Regna ſeu amplas provincias complectitur, urbes eximiæ magnitudinis 200, minoris quamplurimas, easque ut plurimum elegantes, præter oppida arcesque innumeras. Adverſus Scytharum & Tartarorum irruptiones Xius Imperator, ducentis ante Chriſtum natum annis ſtupendæ magnitudinis murum conſtruxit, 600 milliaribus longum, 60 pedes altum, 15 latum. Terra admodum fertilis omnis generis fruges profert ad abundantiam & voluptatem, ut adeo quidam terreſtrem paradiſum appellent. Incolis præterea frequentiſſima, ingenioſis & induſtriis. Crines capitis in vertice mares & fœminæ in nodum contorquent, & verſicolori vitta tegunt. Nobiles ac divites ſericis varii coloris veſtibus utuntur, talari ſuperinducta, ad pedes defluente, plebeji lineis aut goſſipinis. Fœminarum venuſtatem ex brevitate pedum metiuntur, unde ab infantia eos faſciis arcte conſtringunt, ut ſine ſtipatore vix poſſint incedere. Hinc rariſſime domo exeunt, nec niſi ſella geſtatoria. Adulterium in utroque ſexu capite plectunt. Nuptialem dotem non fœmina viro, ſed vir fœminæ affert.

Anno lunari utuntur, ſed ita, ut tertio quoque anno 12 lunæ periodis unam addant. Auſpicantur autem annum a novilunio menſis Martii. In conviviis ſua cuique hoſpiti apponitur menſa, colori-

bus

bus ornata, fœminis ſeparatim a viris. Ad ſingula fercula inſtrumenta mutantur. Singulari cum modeſtia aſſident, hauſtumque, ex herba Chia admodum ſalubri expreſſum, cum veneratione ſibi mutuo propinant. Ritus ſalutandi inter plebejos eſt hic: lævam, in pugnum contractam, obtegunt dextra, ambas dein ſæpius apprimunt pectori, ut oſtendant, amicum ſibi intimis hærere medullis: nobiles vero brachiis arcuatim extenſis, & digitis ad volam manus curvatis, identidem ad terram ſe demittunt, certantque verborum officiis.

Artificum & opificum magnus ubique numerus, & certus ordini cuique vicus eſt: ſculpendi & pingendi, fabrileſque artes apprime callent. Ænea tormenta conflare, litteras ſubjectis prælo typis excudere (quibus inventis Europa gloriatur) vetuſtiſſimo apud Sinas ſunt in uſu. Ad ſcribendum autem oblongas e tenui admodum & levi papyro adhibent pagellas, neque ab læva ad dextram, ut Græci, Latini, & Europææ nationes, neque ab dextra ad lævam, ut Hebræi, ſed a ſummo ad imum ſcribunt. Litteris utuntur velut ægyptiis hieroglyphicis; eæ ſingulæ ſingulis nominibus (quæ ſunt monoſyllaba) ſerviunt, atque integris etiam interdum ſenſibus, ita fit, ut dum Sinæ pro variis regionibus varia utantur lingua, tamen, quæ litteris ſunt conſignata, omnes intelligant. Suus præterea peculiaris eruditis eſt ſermo, quem Mandarinum appellant, prout apud nos Latinus, quo aulici, ſcribæ, Jurisconſulti, Judices, Magiſtratus utuntur.

Qui otioſus plateas oberret, aut mendicet, ferme eſt nemo. Manci, debiles, ægri, qui victum ſibi parare non poſſunt, a propinquis & affinibus ali debent: ſi & hi egeant, in valetudinaria regia deportantur; cauſa tamen prius cognita. Nullus inertiæ vel ignaviæ locus. Fœneratores non tolerant. Omnes mechanicæ & fabriles tabernæ, ædeſque diligenter viſitantur ab ædilibus. Vocales & geſticulatorias aves magna cura enutriunt, venduntque, præter nativos colores vario ornatu diſtinctas.

Navalium copia, & rei maritimæ apparatus pene incredibilis. Materiam cæduæ ſilvæ, & ferri optimi venæ, & lini goſſipiique frequentiſſimæ textrinæ large ſuppeditant. Bellicæ naves maximæ caſtellis, ad proram & puppim eminentibus, ſunt probe inſtructæ. Aliæ prægrandes cernuntur, animi cauſa auro argentoque cælatæ, cubiculis, reticulatis feneſtris, porticibus, hortis penſilibus ad maris pene contumeliam exornatæ. Navigiorum fluvialium ingens copia; in iisque magna pars hominum cum tota familia conſtanter degit, quorum aliqui vecturam exercent, alii pro cauponibus & inſtitoribus

ſtationem occupant, omniaque ad delicias uſque venalia proponunt: ſunt, qui putent, tantam eſſe in Sinis navium copiam, quantam in toto reliquo terrarum orbe.

Piſces propter abundantiam viliſſimo væneunt pretio. Inter modos autem piſcandi eſt quidam, alibi nuſpiam viſus. Prægrandes ac domeſticos habent corvos: horum colla nodo ita conſtringunt, ut reſpirare quidem poſſint, non tamen eſcas deglutire. Ita famelici e caveis dimiſſi, admirabili ſolertia ſe in aquas immergunt: piſces roſtro apprehenſos domum unde exierunt, reportant identidem, donec ſolutis faucibus & ipſi paſcantur. Ea inter Magiſtratuum oblectamenta præcipua.

Rei litterariæ, apud ipſos æſtimatiſſimæ, pars magna hominum vacat. Medica, Phyſica, & Aſtronomica attingunt pauci. Leges & jura habent, ante annos bis mille ſcripta, neque unquam (ut ferunt) mutata. His vero, cum ad honores & magiſtratum aditum patefaciant, plerique inſudant, deque politicis rebus & regnorum adminiſtratione & ipſi inter ſe diſſerunt, & e peregrinis avide ſciſcitantur. Gymnaſia cum egregiis Doctoribus ferme oppidatim ſuſtentat Rex. Ex iis convocata juventus doctrinæ ſpecimen præbere debet, & eminentiores præmiis donati & Doctores creati ad officia publica aſſumuntur. Ingens autem ubique Magiſtratuum numerus. Cuncti ex illis ad pectus geſtant inſigne regium, ſerpentem videlicet ex auro textili. Superiores Præfectos non niſi de genu alloqui fas eſt. Prætor a primo mane ad veſperum, meridiana hora excepta, pro tribunali ſedet, cum aſſeſſoribus jus dicit, & exacte juſtitiam omnibus extemplo adminiſtrat.

Incolarum porro numerus eſt incredibilis. P. Alvarus Semedus, qui e Sina Romam profectus, gentis illius anno 1640 deſcriptionem edidit, teſtatur, virorum, qui Imperatori annuum tributum penſitant, ad quinquaginta octo milliones excurrere, non computatis Popis, Magiſtratibus, Militibus, Doctoribus, Studioſis, Pueris, Fœminis, ut adeo Sinarum Imperium una continuata undantium populorum civitas eſſe videatur, nec deſunt, qui ſcribant, tot prope homines eſſe in navibus, quot in continentes. Ut autem perpetua cum Peckinenſi aula ſit communicatio, per totum Imperium veredarii equi certis ſtationum intervallis ſunt diſpoſiti.

Typographiam a Marco Veneto ex Sina in Europam traductam quidam referunt. Pulverem tormentarium, uſumque lingulæ magneticæ in navigationibus, dudum ante Europæam inventionem viguiſſe apud Sinas exiſtimat Poſſinus. In phyſicis & aſtronomicis diſciplinis in-

inferiores ſunt Europæis. Moralis doctrinæ cultorem & legislatorem præcipuum venerantur *Confucium*, qui 250 annis ante Chriſtum natum floruiſſe perhibetur; ex ſapientis hujus deſcendit inſtituto virtutum cultus, amictus modeſtia, ac fœminarum præſertim verecundia, liberorum in Parentes & Majores reverentia, ſingularis manſuetudo, & urbanitas.

## Articulus II.

### *Sinenſium Religio.*

Quod religionem ſpectat, Trigautius teſtatur, quod Sinæ ab antiquiſſimis temporibus unum verum Deum adoraverint, quem Deum cœli appellabant. Procedente dein tempore, ut apud Hebræos contingebat, ad idola etiam ſunt delapſi. Tres autem potiſſimum ſectæ invaluerunt. Prima eſt Doctorum, quam Confucius introduxit. Hæc, rejectis idolis, adorat unum Deum, Dominum ac rectorem cœli & terræ, hominisque perfectionem in exercitio virtutum conſtituit, quas ſibi ipſis ſufficiens præmium eſſe exiſtimat, quin animæ immortalitatem profiteatur, aut ejus æterna præmia vel pœnas. Duo autem præcipue venerantur templa: unum Pekini, alterum Nankini, in quibus ſoli Imperatori ſacrificare licet. Multa quoque ſunt templa, in Confucii memoriam dicata. Bis in menſe, novilunio videlicet & plenilunio convenit ibidem Magiſtratus cum Doctoribus, ut Confucio debitas, varias inter ceremonias, grates perſolvat.

Altera ſecta eſt idololatriæ dedita, creditque transmigrationem animarum ab uno corpore in aliud, præter multas alias fabulas: magnum tamen rigorem præſefert. Tertia ſecta eſt animalis & turpis, dum felicitatem hominis in voluptatibus corporis conſtituit. Omnes hæ tres ſectæ ſunt in Sina toleratæ; majora tamen Imperii officia, dignitates & præfecturas Imperator ſolis illis confert, qui primam profitentur.

Erga defunctos variis utuntur ceremoniis. Propinqui omnes albis induuntur veſtibus, quia hic color luctum indicat; unde etiam tumba eodem tegitur. Ad feretrum duos accendunt cereos & thus, inclinant ſe erga defunctum. Fœminæ intra ſiparium lugent. Cadaver ſandapilæ, bitumine & certo glutine probe obſtructæ, incluſum, per plures ſæpe annos liberi domi aſſervant, quin fœtor ali-

quis

quis ſentiatur: nec inſident tunc ſellis, ſed minutis ſcabellis: defuncto vero cibos apponunt, non, quod credant, eum his veſci poſſe, ſed ut venerationem ſuam erga parentem conteſtentur. Ad funeris conductum rurſus omnes propinqui conveniunt. Poparum pars preces aliquas immurmurat, pars cymbala, crepitacula, aut tympana pulſat, vel fiſtulas inflat. Certis dein anni diebus rurſus convenientes liberi, agnati, & affines, thus & alia dona offerunt, atque convivia funebria celebrant.

Chriſtianam legem a S. Thoma Apoſtolo Sinenſibus fuiſſe promulgatam, ex variis monumentis colligunt Camporius, Trigautius, Martinius, qui res Sinicas deſcripſerunt. Nihil autem fuit difficilius, quam in Sinas ad prædicandum Evangelium penetrare, quia omnes aditus cuſtodiis ſunt obſepti, ne quis abſque Imperatoris facultate ingrediatur. Cum enim tellus ſinica ſit fœcundiſſima, omniaque ferat, fruges videlicet omnis generis multo proventu, volucres, feras, piſces, ſalubres potus, adhæc ſericum, lanam, linum, & quidquid ad victum & veſtitum pertinet, artes quoque mechanicæ egregie floreant, omniaque indigenarum induſtria ſedulo excolantur, non indigent alterius gentis ſubſidiis, ſed ſibi ſolis ſufficiunt. Unde nihil emunt ab exteris, ſed pro argento, quod ipſis auro eſt pretioſius, vendunt margaritas, ſericum, goſſipium, vaſa fictilia, quæ vulgo *Porcelana* dicuntur, varii coloris volucres loquaces, telas, tapetes, ſacharum, rhabarbarum, minium, diverſa odoramenta, aliaque, quæ alibi ſunt rara & apud ipſos abundant. Neque hæc in China peregrinis vendunt, ſed Macaum aut alia vicina in loca vendenda exportant. Cum igitur nullum in ipſo Imperio cum exteris ſit commercium, facile colligi poteſt, quam arduum ſit, Chriſtianam legem ipſis afferre, præſertim cum ſibi ſolis ſapientes, reliquas gentes elato ſupercilio, ceu rudes, inertes, & barbaras deſpiciant.

## Articulus III.

### *Introductio S. Evangelii in Sinas.*

Sæpius equidem Luſitani acceſſum ad Sinas commercii cauſa tentaverant, ſed pro exploratoribus & piratis habiti cum ignominia rejecti ſunt, non ſine quorundam culpa, quam avaritia & libidine commiſerant.

Xaverius, totum orbem corde complexus, poſtquam ſemen fidei in Japonia ſparſerat, & ad meſſem operarios ampliorem reliquerat, Goam redux iter in Sinas apparavit, exorata a Prorege legatione: ſed cum Malacam difficili navigatione pervenit, Præfectum Inſulæ *Alvarum de Taydo* votis ſuis contumaciter obſiſtentem habuit. Quare a Xaverio, tanquam Nuntio Apoſtolico, adhibitis incaſſum precibus & monitionibus, anathemate percuſſus, ob crimina magiſtratu dejectus, catenisque onuſtus in Luſitaniam abductus eſt, ubi cauſa cognita bonis omnibus ſpoliatus, miſere contabuit.

Xaverius, legatione, quæ Pereiræ a Prorege commiſſa fuerat, a contumace Præfecto fruſtrata, cum uno e ſocietate Alexio *Ferreira*, & adoleſcente Sinenſi, cui nomen *Antonius*, quo interprete uteretur, anno 1552 Malaca ſolvit, paucisque diebus *Sancianum* Inſulam, in Sinarum finibus ſitam, attigit, ubi, cum nemo eum vellet Cantonem vehere, febri correptus ſanctiſſime obiit. Corpus incorruptum primum Malacam, dein Goam translatum. Sanciana autem Inſula erat deſerta ad annum usque 1523, quo Sinenſes pauperes aliquot tuguria ibidem conſtruxerunt. Idem egerunt Luſitani, ut qualecunque commercium cum Sinis obtinerent. Sepultus ibidem fuit anno 1552, S. Xaverius ſequenti anno corpus ejus incorruptum Malacam translatum eſt. Anno 1640 in loco ſepulchri lapis poſitus eſt a collegio Macaenſi. Cum autem veneratio S. loci creſceret, anno 1700 P. Caſparus Caſtner, Monacenſis Bojus, annitente P. Turcoto Viſitatore Sinenſi capellam decentem conſtruxit, cum conſenſu & auxilio Præfecti Cantonenſis aliorumque Mandarinorum, incolasque Sancianos, prius efferos piratas, ita cicuravit ut inſtituta ibidem Miſſione ad Evangelicam legem traducti, mirantibus Sinis penitus manſueſcerent.

Anno 1555 recluſa tandem eſt Luſitanis, ad commercium, utrique genti utile, facilius tractandum, porta Sinica, ſub pœna capitis hactenus oppeſſulata. Illico Melchior *Nunnius* S. J. *Cantonem* navigavit, provinciæ *Quantung* urbem principem. Auditus is quidem a Sinis eſt avidis auribus, cum adverſus idolorum cultores de uno Deo, cœli & terræ conditore diſputaret. Sed, quia prohibita erat externa religio, hoc ſemen brevi eſt ſuffocatum.

Anno 1567 *Petreſus*, *Ferreira*, & *Pintus*, S. J. Sacerdotes, cum Ægydio *Goes*, Luſitaniæ Regis ad Sinarum Imperatorem legato, *Macaum* appulerunt, inde Cantonem & Sinæ interiora progreſſuri. Macaum ſive Amacaum tunc necdum erat urbs, ſed portus tenuis, opportunus tamen Luſitanis & Sinis pro commerciis. Et hinc, licet

locus eſſet in finibus Sinenſium, non impedierunt, quo minus gens utraque erectis ædificiis domicilium ibidem mixtim figeret, atque oppidum in celeberrimam urbem commercialem erigeret. Inde legatus Cantonem ad Gubernatorem miſit Luſitanos, qui rogarent, ut adventus Imperatori nuntiaretur. Venit Mandarinus, qui munera offerenda inſpiceret; placuerunt; ſed tandem metu proditionis res tota effectu caruit.

Anno 1584 *Rogerius* Italus S. J. a P. Valignano, Indiarum viſitatore, ad tentandam eandem ſacram aleam miſſus eſt, qui vectus Luſitanis navibus, quibus bis in anno ſolennibus nundinis conceſſum fuerat, in Sinas ſolvere, in provinciam *Quanchei* pervenit; ſed necdum matura meſſi invenit ſemina, quæ ſparſerat.

Secundam dein & tertiam idem Rogerius, cum trimeſtres nundinæ imminerent, expeditionem in Sinas ſuſcepit. Acerbe initio acceptus a Gubernatore Cantonenſi, quiritante, quod Luſitani urbem Amacaum in ſolo alieno exſtruxiſſent, at tandem audito Rogerio & Sinenſibus ipſis, quanta inde emolumenta Imperio accreſcerent, placatus, benevolentiam ſingularem eidem exhibuit. Quo comperto Sinæ proniores aures accommodarunt, pluresque Chriſtiana doctrina imbuti ab eo baptizati ſunt. At nundinis finitis rurſus cum Luſitanis inſtitoribus Macaum recedere debuit.

Quarta profectione Rogerii in Sinam Gubernator domicilium eidem conceſſit. Sed accuſatus propterea apud Imperatorem, officio privatus eſt: a ſucceſſore autem Rogerius fuit expulſus relictis aliquot neophytis. At rediit iterum, aſſumpto ſecum *Matthæo Riccio*, conſtructoque, favente Gubernatore, templo, ſoli Deo ſacrato, librum Riccius edidit, quo præcepta Decalogi propoſita explicabantur. Placuit liber Sinis, utpote juri naturæ apprime conformis. Typis quoque Sinicis impreſſa ſynopſis doctrinæ Chriſtianæ, quam Sinæ avide legerunt, & amorem æſtimationemque Chriſtianæ legis imbiberunt, adeo quidem, ut non pauci ſalutaribus undis tingi expeterent. Auxit æſtimationem mappa Geographica, qua Riccius orbem terrarum, Sinis incognitum, ſcite delineavit. Hæc mappa uſque ad Pekinenſem aulam delata eſt.

Aucti dein ſuppetiis in Imperii interiora penetrantes Patres non paucos converterunt, alibi honoribus, alibi contumeliis excepti. *Sciaquino*, ubi templum conſtruxerant, pulſi *Xaucejum* ſe receperunt, ubi pariter habitatio & templum ipſis fuit conceſſum. Poſtquam autem Riccius mathematicas ibidem diſciplinas explicaverat, & earum occaſione ad exponendam fidei doctrinam delapſus, plures conver-

te-

terat, atque eos inter duos etiam Mandarinos, relicto ibidem P. Cataneo, *Nanquinum* ſeu *Nankinum* proceſſit. (*Anno* 1595).

*Nanquinum* ſeu *Nanchinum* urbs poſt Pekinum præcipua, ſedes olim Imperatoris, donec hæc anno 1404 ut irruptionibus Tartarorum opportunius occurri poſſet, Pekinum fuit translata, necdum erat aptum recipiendi ſemen Verbi Divini. Potiſſimum autem obſtabat Præfectorum metus, ne gratiam Imperatoris amitterent, ſi legem exteram religionemque promulgari ſinerent. Quare Riccius omni opere ſibi connitendum putavit, ut Imperatorem ipſum convenire poſſet.

Viam tandem invenit, qua nuntiari Imperatori poſſet, adeſſe virum, qui rara ex Europa munera offerre vellet. Conſtabant ea duobus pretioſis horologiis, affabre confectis, icone Chriſti, ejusque ſanctiſſimæ matris, cymbalo, aliisque vilioribus reculis, quæ tamen a Sinis permagni æſtimantur. Imperator illico peregrinum acciri jubet. Igitur Riccius anno 1601 *Pekinum* ingreſſus munera per eos, qui Imperatori ſunt a cubiculis, (quia aliis eum accedere non licet) obtulit. Plurimum illa placuerunt; debuitque Riccius in uſu illorum Ephebos inſtruere. A ſenatu rituum ad examen Patres vocati, cur eo inſcio auſi fuiſſent Pekinum venire, & Imperatori munera offerre, atque propterea ſeverius habiti, ab Imperatore, ubi id per Ephebos intellexit, abſoluti, & ſtabilem ſedem figere juſſi ſunt.

Intellecta hac Imperatoris in Doctores Evangelicos propenſa voluntate propenſiores etiam facti ſunt provinciarum Præſides, præſentim Nanchini, ubi Nicolaus Longobardus S. J. rem Chriſtianam egregie promovebat. Sed obicem poſuerunt, qui Chriſtiano nomine cenſeri volunt, Hollandi. Poſtquam enim iſti Moſambicum, Malacam, Molucas, pluresque alias Inſulas, portus, emporia, urbes, & oppida Luſitanis eripuerant, ut Sinicis etiam commerciis eosdem exuerent, Amacaum vi armata invaſerunt. Sed ab Luſitanis ſtrenue ſunt repulſi. Verum orta cum Sinenſibus diſcordia colliſi Luſitani in magnum diſcrimen rem Chriſtianam adduxerunt; quippe Gubernator Cantonenſis, audito de tumultu nuntio, collegit exercitum, eoque Amacao admoto, mille in ſuburbio Luſitanorum domos incendiſſe fertur, omnique cum Luſitanis commercio Sinis interdixit. Sparſæ quoque in P. Cataneum graves calumniæ, quem proditionis Gentiles accuſaverant apud Judicem. Similem perſecutionem paſſi ſunt noſtri Nanchini, ſed Divina ope tempeſtas utrobique ſedata eſt. (*Anno* 1609.)

Acceſſerunt ſubin ex Societate noſtra plures Miſſionarii, per varias provincias diviſi, creſcebatque in dies credentium multitudo. Surgebant Deo templa, fidelium devotione & fervore animata. Riccius autem, qui propter inſignem ſcientiam & virtutem, editosque ſermone Sinico libros magnam ſibi apud Mandarinos, ipſumque adeo Imperatorem, æſtimationem comparaverat, laboribus ſuis Apoſtolicis immortuus eſt Pekini anno 1609, fundator Miſſionis Sinenſis merito nuncupandus. Funus publico cum honore fuit elatum, fidelibus ceu patrem amantiſſimum eundem deplorantibus.

In locum Riccii ſucceſſit P. Adamus *Schall* Germanus, in mathematicis diſciplinis omnique ſacra ac profana doctrina verſatiſſimus, cujus publicum mox ſpecimen dedit; cum enim computus anni temporum aberraret, & nec ſolis nec lunæ Eclipſes accurato calculo prædici poſſent, juſſus ab Imperatore P. Adamus errores corrigere, & emendatum Calendarium conficere, ſpem & fiduciam ejusdem implevit, triumphante, tametſi non ſine invidia & contradictione, Aſtronomia Europæa.

## Articulus IV.

### *Revolutio Sinica. Ad Tartaros devolutum Imperium.*

Sinarum hoſtes perpetui erant *Tartari*, gens Scythica, per amplum terrarum ſpatium in Aſia exporrecti. Plures habent Reges, qui tamen uni Imperatori, quem Turcæ *Ulicam*, Tartari magnum *Chamum* appellant, ſubjecti ſunt. Religio illorum nullis certis eſt addicta legibus. Nam Deum quidem unum venerantur, ſed alii more Mahometano, alii Neſtoriano, alii Ethnico. More Pythagorico animæ immortalitatem credunt, ſed ſimul metempſychoſin. Clemens V. Joannem de Monte Corvino Franciſcanum ad eos miſerat, qui circa annum 1305 in urbe principe *Cambalu* plura templa & Monaſteria erexit, pluresque ad veritatem Chriſtianam perduxit, ut adeo Chamus anno 1338 legatos ad Benedictum XII. Romam deſtinaret. De cætero Tartari ſunt gens ferox, martialis, machæra, arcu & ſagitta inſtructa.

Frequentibus irruptionibus Tartari graves fuerant Sinis. Tandem vero ita contriti atque ejecti ſunt, ut Sinis redderentur vectigales. Cum autem tractu temporum *Niuche* regnum Sinis vicinum gravi jugo premeretur, ut adeo Rex Pekinum accitus interficeretur, ſub-

ſubditi & præſertim Regis filius, collecto exercitu, ſuperatoque Sinenſi muro, provinciam *Laotung* occuparunt. Petiit tamen Rex pacem, ſed ſub conditione libertatis. Negata a Sinis fuit. Commiſſum igitur prælium anno 1619, quo victi ſunt Sinenſes; quia, licet apud hos plures multo fuerint homines, ex parte tamen Tartarorum plures erant milites, ad bellum durati.

Parta victoria Tartari omnia ad Pekini uſque portas prædatione & rapinis complebant. *Vanlieus* autem, magnus ille Sinarum Imperator, anno 1620 deſperatione victus & vitam reliquit, & filio ſuo Taichango Imperium; ſed hoc mox morte ſublato, *Thienkius* Vanliei nepos ſucceſſit, qui Tartaros ultra murum expulit, Laotungum recuperavit, & Coream, cæſis in acie 50000 Tartaris. At Thienkius in flore juventutis abreptus, *Zunginio* Imperium reliquit, qui cum Tartaris bellum continuavit, pace dein finitum.

Sed nocentiores multo hoſtes ex ipſis Sinarum viſceribus prodierunt, Dynaſtæ videlicet, Imperatori ſuo rebelles, proditores patriæ, cui ſummas calamitates intulerunt. Hos inter *Licungus*, tracta in ſceleris ſocietatem turba, pro Imperatore ſe gerens, ferrum flamasque circumtulit: vaſtatis provinciis exercitum Pekino admovet; irruit in urbem, & palatium oppugnat. Imperator vero a ſuis ſe proditum deſertumque videns, laqueo ſe ſuſpendit, clauſitque funeſto hoc fato ſeriem Imperatorum Sinenſium ex ſtirpe *Taimingica*, qui 266 annos ſolium occupaverant, exciſa per prædonem arbore, quam prædo plantaverat.

*Uſanquayus*, collecta Sinarum manu, Licungo ſe pro viribus oppoſuit; ſed cum inferiorem ſe tantæ moli cerneret, *Zungteum*, Tartarorum Regem in Sinas evocavit, qui illico cum octoginta millibus adfuit, junctusque cum Uſanquayi copiis Pekino imminuit. Non exſpectavit Licungus adventum hoſtis, ſed (quod prædonum eſt) urbe expilata & incenſa, incomparabile quoque Imperiale palatium, 72 prægrandibus columnis nixum, redegit in cineres, & lamentabili ruina ſepelivit, atque extemplo cum prædonibus ſuis in provinciam Xenſi fugit.

Patuit *Zungteo* via in fumantia urbis buſta, adeptusque Imperium Sinicum, vix ſolium ſcandit, cum morte dejectus eſt. Reliquit *Xunchium* ſexennem filium, Sinarum & Tartariæ Neuchenſis hæredem, ſub tutela *Amakangi* fratris ſui, viri prudentis & ſolertis: cui multum adhuc belli ſupererat, ut nepoti Imperium ſtabiliret. Quippe per varias provincias novi tyranni ſurgebant, qui Tartarorum jugum aſpernati, partem aliquam de tam grandi corpore ſibi decerpere co-

nabantur. Unde cum vaſtatione urbium & provinciarum multum ubique ſanguinis fuſum, donec tandem tyranni devicti varia morte perierunt.

Plurimum negotii fecit *Queſingus*, qui patris ſui exemplo piraticam exercebat, tantasque claſſes comparaverat, ut omnia maria & littora infeſta redderet, ingenti maritimarum gentium damno: continenti quippe ex pelago infuſus, turbinis inſtar procurrens cædibus omnia & inedia prædator implevit, eo denique ex rapinis viribus increſcens, ut Nanchinum aliasque permagnas urbes invadere præſumeret. Quin Inſulam quoque Formoſam Hollandis eripuit, quam tentato fruſtra Amacao, validis operibus cives munierant, ut ſtabilem commerciis ſinicis ſedem figerent. Cum autem *Queſingus* Hiſpanos imploraret, Hollandi inito cum Tartaris fœdere, victo Queſingo, Formoſam recuperarunt, ſed Tartari munimenta omnia ſolo æquarunt, indignantibus Batavis. Idem fatum Amacao a Tartaris immihebat, niſi Luſitanus orator apud Imperatorem tempeſtatem avertiſſet.

Cum jam Sina a tyrannis & prædonibus liberata conquieſceret, *Uſanquayus*, qui Tartaros ceu auxiliares copias in Sinam evocaverat, petiit, ut accepto locatæ operæ pretio in patriam redirent; ſed non ii erant Tartari, qui nidum, adeo ſibi commodum, vellent relinquere, & fertilem adeo agrum cum ſterili ſolo commutare.

Cæterum *Amakangus*, ut Sinenſes ſuavi Tartarico Imperio facilius adquieſcerent, a veteri inſtituto nihil admodum immutavit: eædem religiones, iidem ritus, ceremoniæ & conſuetudines, eadem tribunalia, eadem politica regiminis ratio, niſi quod totidem Senatores & Magiſtratus ex Tartaris immiſcuerit Sinenſibus. Tot præclare geſtis immortuus eſt Amakangus, *Xunchius* vero nepos gubernaculo manum admovit.

## Articulus V.

*Propagatio Fidei per Sinas. P. Adami Schall gratia apud Imperatorem Xunchium.*

Quis non exiſtimet, tot inter cruenta bella, tantasque revolutiones turbulentas Religionem Chriſtianam abactis ſacerdotibus fuiſſe exciſam? at providit Eccleſiæ ſuæ Clementia Numinis. Dum incendio conflagraret Pekinum, ſervatum eſt integrum templum noſtrum

ſtrum cum domo habitationis: cum furoris gladius omnia ſcrutaretur ad mactandum & perdendum, intacta relicta eſt vita pudorque Chriſtianarum Virginum ac matronarum. Ipſi tyranni, Licungus, Queſingus, aliique Chriſtianis pepercerunt, protegente ſuos, qui ſolet, Domino. Jam vero quis enarret omnes favores, quos exhibuerunt Eccleſiæ Chriſti primi Imperatores Tartarici ſanguinis? multo certe ampliores illi fuerunt iis, quos a Sinicis receperat.

Occaſionem præcipuam poſt Divinam tutelam ſuppeditabat Aſtronomia Europæa. Quamvis enim Tartari ferro magis ac pharetræ eſſent aſſueti, quam litterarum ſtudiis, ſummopere tamen æſtimabant aſtrorum ſcientiam, eaque imbutos cœleſtes veluti homines admirabantur: cumque P. *Adamus Schall* pro Pekinenſi commoratione ſupplicaret, a ſenatu cum honore exceptus amplum Diploma, foribus noſtris affigendum, accepit.

Primum Adami opus erat *Calendarium Sinicum*, quo anni ordinem, ſolis & lunæ aliorumque aſtrorum curſum, conjunctiones & oppoſitiones, eclipſes aliaque cœli phœnomena, detectis veteris aſtronomiæ erroribus adeo dilucide demonſtrabat, ut a ſenatu & ipſo etiam Imperatore ſummopere probaretur, & tanquam decus, quo Tartarici Imperii initia inſignirentur, omnibus ad uſum præſcriberetur (*anno* 1645). Acceſſit applauſus publicus, cum eclipſin ſolis adeo accurate delineaſſet, ut tempus initii, incrementi, finisque exacte reſponderet; calculus vero Sinenſis media, Mahometanus vero integra hora aberraret. Unde factum, ut Imperator Xunchius P. Adamum Præſidem ſupremum tribunalis ſive ſenatus Mathematici, qui 70 capita complectebatur, renuntiaret. Crevit æſtimatio Adami, cum ingentia pondera facili opera in ſublime attolleret in Imperatoris palatio.

Incredibile dictu, quantis Xunchius gratiis Adamum fuerit dignatus. Quamvis alias nemini fas ſit, Imperatorem accedere, aut ſupplicem libellum eidem propria manu offerre, ſed per aulæ Miniſtros hæc fieri debeant, Adamo tamen liber erat acceſſus, imo & libera monitio, ſi quid juvenis Princeps minus æquum aut decens attentaret.

Ex hac æſtimatione apud Imperatorem & gratia deſcendit inſignis illa benevolentia, qua non tantum aula Pekinenſis ac Mandarini, ſed provinciarum quoque Præfecti Chriſtianos complectebantur, data poteſtate ſanctam legem libere profitendi, nec in Societatis Jeſu duntaxat Miſſionarios, ſed Dominicanos quoque & Franciſcanos hic favor redundabat, ut libere zelum ſuum explicare poſſent; nul-

laque

Jaque eſſet ex 15 vaſtis provinciis, in qua non ubere cum animarum proventu Evangelium prædicaretur. 159 Baſilicæ Deo erectæ ſtabant, non annumeratis capellis & minoribus Eccleſiis quam plurimis. Chriſtianorum plurima centena millia inter ſe fervore certabant: multæ ſub diverſa invocatione congregationes & ſodalitates ſpectatiſſime florebant, in ſpem optimam totam Sinam convertendi. Imperator ipſe Xunchius ab Adamo ſollicite in lege Dei inſtruebatur. Laudabat illam Princeps, ſed polygamiæ & vagæ libidini aſſueto lex continentiæ Chriſtianæ nimis ardua videbatur.

Certe mulieroſus amor Salomonem iſtum, qui ſufficienti cognitione veri Dei & ſanctæ legis imbutus fuerat, adeo dementavit, ut ad cultum idolorum publice deſciſceret. At ſenſit brevi ultricem manum, anno 1661 morte abreptus, ætatis 25, Imperii geſti 18, poſtquam *Chamchium* filium ſuum octennem, quamvis illegitimo thoro natum, quatuor Imperii Rectoribus, quos deſignaverat, commendavit.

## Articulus VI.

### *Gravis Perſecutio, præſertim in P. Adamum ejusque ſocios.*

Peractis exequiis Chamchio ſolenne præſtitum eſt homagium, P. Adamus vero in ſuo Præſidis officio eſt confirmatus, quin novis etiam honoribus auctus. Sed non diu malacia tenuit, in graviſſimam Eccleſiæ totius Sinicæ tempeſtatem deſinens. *Jamquamſien*, homo ſceleratiſſimus, urente invidia, quod Aſtronomia Europæa prælata fuerit Sinicæ, & P. Adamus ad tantum dignitatis gradum fuerit evectus, poſt mortem Xunchii Imperatoris, opportunum adeſſe tempus ratus, quo virus, dudum collectum, in Chriſtianos evomeret, coram tribunalibus graviſſime illum accuſavit.

Quatuor autem potiſſimum accuſationis erant capita: primum, quod excifis patriis religionibus novam ac peregrinam legem per univerſum Imperium diſſeminaſſent: alterum, quod cum Principibus Europæis conſpiraſſent in everſionem Imperii Sinico-Tartarici. Amacai jam collectam grandem armorum vim, fierique magnos ad bellum inferendum apparatus; adventuros propediem ex Europa exercitus, qui Sinas invadant. Non alium in finem ſacerdotes peregrinos veniſſe in Sinas, niſi, ut multos, ſub fuco religionis deceptos, ſuas in partes trahant; acceſſuros Europæis, quam primum illi Sinas

fue-

fuerint aggreſſi. Tertium caput circa Aſtronomiam Europæam verſabatur, quam in contemptum Sinicæ & Tartaricæ gentis in throno collocatam querebatur. Quartum P. Adamum concernebat, quem per ambitionem dignitatem Præſidis tribunalis Mathematici & artium per fraudes a Xunchio eblanditum eſſe criminabatur.

Mittuntur extemplo apparitores, qui Patribus Adamo *Scholl*, Ferdinando *Verbieſt*, Ludovico *Buglio*, & Gabrieli *Magelanes* vincula injiciant, eosque ad tribunalia pertrahant. Novem ſingulos ferreis catenis onerabant, quas Adamus, ſenio & morbis confectus, portare non poterat, neque lingua hebetata reſpondere; quare Ferdinandus Verbieſt illius loco ad objectas criminationes reſpondit.

Et quidem ad primam: vitio non eſſe dandum, quod Sinas ad agnitionem cultumque unius ac veri Dei, atque ad vitæ honeſtatem & æternam felicitatem perducere ſint conati, idque factum cum conſenſu Imperatorum. Ad 2. conſpirationem & apparatum Amacanum merum eſſe commentum: neque Cantone, proxima Amacao provincia pervigili, de eo quidquam conſtare. Expeditionem Europæorum Principum in Sinas eſſe plane ridiculam, ſi immenſa diſtantia & Europæ, ſecum ipſa bellantis ſtatus conſideretur; relictis parentibus, propinquis, patria, per mille oceani pericula veniſſe ſe in Sinas, non, ut turbas cieant, aut ſeditiones moveant, ſed ut omnes ad obſequium Magiſtratibus deferendum flectant, & nobiles tot animas a ſempiterno exitio vindicarent.

Ad 3. Aſtronomiam ſuam ab Imperatoribus & Magiſtratibus tanquam exactiorem fuiſſe approbatam, receptamque: non credere ſe, quod per tantum commodum, Sinis allatum, pœnam meruerint. Publicas obſervationes, & anni ordinem, ad ſolis & lunæ curſum exactum, ſe in teſtes vocare. Ad 4. P. Adamum Officium Præſidis nequaquam affleƈtaſſe aut eblanditum eſſe, ſed renitentem ad illud acceptandum juſſu Imperatoris compulſum fuiſſe.

Vera a Patribus dici facile conſtare poterat, præſertim poſtquam Amacai omnia pacata eſſe, nullumque prorſus armorum aut belli apparatum fieri, idoneis teſtibus compertum fuerat, nihilominus tamen, quia multi ex ſenatoribus pecunia corrupti, & Adamo, propter ſingulares favores, a Xunchio Imperatore exhibitos, ſtimulante invidia, erant infenſi, nihilque magis, quam ejus ruinam optabant, prædictos quatuor Patres, una cum aliis aliquot nobilibus Sinis, catenis oneratos, ad tetros primum carceres, dein vero ad mortem condemnarunt, reliquos ſacerdotes omnes, per Sinarum Imperium ſparſos ferali Decreto proſcripſerunt, Chriſtiana Religione ſevere interdicta.

Jamque aderat funeſta dies ( 16 Aprilis 1665) quo cadere debebant Evangelicæ veritatis innocentes victimæ. Cum ecce! cœlum intercesſit, cum terra negaret præſidium. Fulgurare, tonare, fulminare horrendum æther; tellus tremendis motibus concuti, corruere paſſim ædes, & plura mortalium millia inter ruinas ſepelire. Tactum de cœlo palatium Imperatoris, flamma per urbem ſparſa: fugit Imperator cum aula ſua, ne ruinis opprimeretur. Eadem mali intemperies vicinas Pekino civitates corripuit. Ingens ubique tremor, ejulatus, calamitas, rerumque omnium inaudita confuſio. Paſſim inſonabat vociferatio, cælum & terram conſpirare in vindictam iniquæ in Adamum & ſacerdotes innocentes ſententiæ.

Catenæ igitur vinctis detractæ, pronuntiata exilii ſententia. Interea autem *P. Joannes Adamus Schall*, alter a Riccio Sinarum Apoſtolus, ſqualore carceris, ſenio & morbis confectus pientiſſime obiit Pekini anno 1666, ætatis 75, Miſſionis Sinicæ 44, dubium relinquens, ſanctiorne fuerit, an doctior.

Mors Schallii.

## Articulus VII.

### *Chambius favet Religioni.*

Velut autem de cælo benediceret, & patronum ſe exhiberet Sinenſis preſſæ Eccleſiæ Adamus, alia mox inducta eſt rerum facies. Imperator *Chambi*, licet ætate juvenis ( decimum tertium annum agebat) prudentia tamen perſpicaci maturus, Gubernationi admotus, aliis multo oculis Imperium ſuum aſpiciebat. Cernebat quippe iniquam in Europæos Doctores ſententiam, cæli inde vindictam, legis Chriſtianæ æquitatem, utilitatem denique, quam ejusdem interpretes Imperio per Aſtronomiam, in Sinis ſummopere æſtimatam, aliasque diſciplinas Mathematicas, artes liberales & mechanicas, afferrent.

Quapropter eorum opera, Xunchil patris exemplo, uti cœpit, & cum Ferdinandus *Verbieſt* in Aſtronomicis præſtaret, pluraque jam profundæ ſuæ ſcientiæ ſpecimina publice dediſſet, Præſidem ejusdem tribunalis, cui P. Adamus præfuerat, deſignavit, ſed P. Ferdinandus, quantum poterat, obſiſtebat, probe gnarus, quantam ea dignitas. P. Adamo invidiam conflaſſet.

Tan-

Tanta benevolentiæ ſignificatione erga Patres cum uteretur Imperator, occaſionem hi arripuerunt, tum verbis coram, tum libellis ſupplicibus rogandi, ut abolitis decretis, quæ ſub ejus pupillari ætate a variis tribunalibus emanaverant, ſacerdotes ab exilio revocaret, & Chriſtianæ Religioni libertatem, quam pater indulſiſſet, reſtitueret.

Adduci initio non poterat Chamhius, ut conſentiret, quia cum regni tribunalia, ne ſententias ſuas injuſtas dicere cogerentur, omni ope adverſarentur, lente ſibi incedendum putabat, ne ſolio necdum ſatis firmato, Procerum animos irritaret. Igitur Patres Verbieſtum, Buglium & Magelanem, ut ſibi in aſtronomicis & artibus eſſent ab obſequio, Pekini retinuit, Decreta tamen adminiſtratorum de exilio ſacerdotum, & Chriſtianæ legis interdicto rata eſſe voluit.

Succeſſu tamen temporis duos ex adminiſtratoribus ſeu tutoribus olim ſuis, qui feralis in Patres & Chriſtianos ſententiæ præcipui erant Auctores, propter crimina morte multavit, tertium omni dignitate & bonis exutum carceri mandavit, quartus morbo miſerando periit, *Jamquamſien* vero impoſtorem, omniſque crudelitatis incentorem, iniquæ accuſationis condemnatum, Præſidis Mathematici officio dejectum, ad vulgaris hominis ſortem redegit, in qua paulo poſt miſere interiit.

Sublatis hoc pacto hominibus, qui Chriſtianæ legi, ejusque Doctoribus maxime adverſabantur, ſupplices Patrum libellos primum Tribunali Rituum, rei Chriſtianæ inimico, tum vero ſenatui ſtatus Regii examinandos tradidit. Illud Decreto inſiſtendum, hic mitigandum cenſuit. Imperator autem tandem eos, qui Aſtronomiæ eſſent gnari, Cantone, ubi exulabant, Pekinum avocavit, ut Ferdinando eſſent auxilio, reliquis vero ſacerdotibus, ut ad Eccleſias ſuas redirent, indulſit anno 1669. Et ſic denique graviſſima plurium annorum perſecutio deferbuit, ſagittis, quas emiſerant, in auctorum caput recidentibus.

Videre hic fuit ſuavem Divinæ providentiæ ordinem, quæ premi Eccleſiam ſuam patitur, non opprimi; & humanis etiam mediis uti conſuevit, ut cœleſtes ſatus revireſcant, mathematicis, inquam, diſciplinis, quibus Miſſionarii, etiam ex ſacris Dominici & Franciſci Familiis, reditum ad ſuas Eccleſias, & Religionis ſanctæ libertatem debebant.

Chamhius Imperator poſtea in diuturna ſua gubernatione magis ſemper magisque Patribus & propter eos legi ſanctæ favebat, uſque adeo quidem, ut regiis ſuis ſumptibus magnificum Pekini templum

cum ampla inſcriptione cœli Domino conſtrueret, ſpesque magna affulgeret, ipſum quoque nomen ſuum Chriſto daturum. Sed ſpes iſtas abrupit tum monogamiæ difficultas (quod apud Gentiles Principes frequens eſt vitium) tum orta Chriſtianos inter Miſſionarios de Ritibus Sinenſibus contentio, an civiles ſint, an vero religioſi, qui Confucio & Progenitoribus defunctis exhibentur.

Delata cauſa Romam ad ſedem apoſtolicam. Variæ inde datæ reſponſiones, prout nempe ſpecies facti varie exponebatur. Miſſus in Sinas Maigrotus, Tournonius, Mezzabarba &c. ille ceremonias illas prohibuit, hic ſub certis conditionibus aliquas indulſit, prout Part. XI ex conſtitutione Benedicti XIV prolixius retuli. Edita in partem utramque ſcripta innumera. Nunc autem oportet, obedientem Eccleſiæ filium ea de re ſervare ſilentium, omnibus impoſitum.

## Articulus VIII.

*Obit P. Verbieſt. Pax cum Ruſſis. Religionis libertas. Eccleſiæ incrementa.*

Anno 1685 ſex Patres S. J. ex Gallia in regnum Siam navigarunt, inde vero in Sinas, cumque eſſent viri doctiſſimi, Chamhius eos Pekinum accerſiri juſſit, ubi clementiſſime excepti ſunt anno 1688, ſed lætitiam temperabat obitus P. Ferdinandi *Verbieſt*, qui propter eximiam ſuam virtutem & doctrinam valebat tanta apud Chamhium gratia, quanta apud Xunchium Schallius. Tribunal autem Mathematicum commiſſum eſt P. *Pereiræ*. P. Verbieſt, Riccio & Schallio meritis in Sinas par, victis inimicis perſecutionem ſedavit: Miſſionarios omnium ordinum Eccleſiis ſuis reſtituit, omnesque protexit: Mandarinos conciliavit: Chamhium Imperatorem juvenem mathematicis diſciplinis præceptor imbuit. Qua occaſione uſus Chriſtianam ſimul doctrinam inſtillavit, cujus deinceps magnam æſtimationem ſemper præſetulit, ſpretis Sinicis ſuperſtitionibus: neque adoravit cœlum & terram, ſed horum conditorem ac Dominum. Hujus cognitionem & cultum adhuc altius eidem impreſſit, dum philoſophiam illi explicuit. Mortuum Imperator ipſe Præceptorem ſuum grandi elogio honoravit & Chriſtiano ritu inſigni cum apparatu & comitatu ſepeliri juſſit.

*Obitus Verbieſti.*

*Elogium.*

Gerbillonium & Bovetum Imperator retinuit Pekini, reliquos ad propagandam Chriſti legem dimiſit, ſingulari benevolentiæ ſignifica-

catione eisdem exhibita; quæ res, ubicunque tranſierant, Mandarinorum æſtimationem, & Sinas convertendi opportunitatem attulit.

Cum interea Moſcovitæ per Siberiam in orientalem Tartariam, Sinarum Imperatori ſubjectam, irrupiſſent, & ad Sinenſium fines propemodum perveniſſent, Chamhius, qui pacis potius quam belli artibus excellere volebat, ad pacem reſpexit. Miſit igitur legatos, & cum iis P. Pereiram Luſitanum, & P. Gerbillonum Gallum; ut turbas componerent. Moſci (ſub Joanne, & Petro Alexievicio) victoriis feroces nihil de occupatis regionibus reſtituere volebant, Sinenſes & Tartari, gens utraque elati ſpiritus, tantum terrarum in manibus Moſcorum relinquere nolebant, pacem tamen volebant componere; quare Patres noſtri conſulti reſponderunt, ſi Moſci permittantur, ſemel in anno ad commercia tractanda Pekinum venire, faciliores multo fore conditiones pacis. Pax cum Moſcis.

Miſſus proin in caſtra Ruſſica P. Gerbellonus, hac conditione pronos eos ad pacem invenit. Reddita Tartaris provincia Jacſa, gens utraque P. Gerbilloni ob pacem compoſitam gratias egit. Licet autem Imperator hanc pacis reductionem ſummopere approbaret, atque Miſſionariis eximie faveret, necdum tamen Edicta, tempore pupillaris illius ætatis contra Chriſtianos lata, aperte fuerant revocata; nec defuerant Provinciarum Præſides, qui illis nixi ſanctam legem perſequerentur, ejuſque propagationem prohiberent. Igitur Patres Imperatori inſtantiſſime ſupplicarunt, ut pro ſua in Senatum Mandarinorum (qui ſe hactenus oppoſuerat) auctoritate, Edictis illis abrogatis, plenam ſubditis libertatem Religioni Chriſtianæ publico Decreto ſanciret. Res ardua petebatur; annuit nihilominus, effecitque, ut anno 1692 Decretum conſentientibus omnibus tribunalibus conderetur, in quo laudatur Chriſtiana Religio tanquam lex ſancta, Miſſionarii, qui per centum jam annos eam prædicaſſent, viri honeſti; omnibus proin Sinenſibus eandem amplecti eſſe permiſſum, omnes inſuper Chriſtianas Eccleſias, hactenus conſtructas, eſſe conſervandas. Decretum pro Religione.

Hoc Edictum Imperatoris a ſupremo Rituum Senatu ſubſcriptum per totum Imperium promulgatum & publice affixum eſt tanquam lex Imperii perpetua. Notent ſibi hoc, qui Patres S. J. otioſe Pekini deſidere criminantur. Profecto niſi illi gratia apud Imperatores valuiſſent, neque introduci neque conſervari in Sinis potuiſſet Religio, niſi Deus extraordinariis mediis providiſſet.

Patribus Gallis in ipſo Aulæ ambitu domum donavit, in qua capellam conſtruxerunt, & inſtar parochiæ uſi ſunt pro re Divina, Gallorum Eccleſia in Aula.

concionibus, & ſacramentis conferendis, crevitque in dies credentium numerus. Acceſſit dein templum, cum capella multitudinem non caperet.

Impetrato Edicto libertatis per Patres S. J. pro amplitudine meſſis variorum Religioſorum ordinum alumni, & ſacerdotes etiam de clero ſæculari complures in Sinas navigarunt, præſertim poſtquam Imperator omnes Sinarum portus Europæis aperuit, cum antea non niſi per Macaum eſſet acceſſus, quem tamen Luſitani aliis nationibus ægre conceſſerant. Clemens ipſe XI ſummus Pontifex, ratus, nunc plenam Evangelio in Sinis portam eſſe apertam, pro qualibet provincia miſit Epiſcopum, & Vicarium Apoſtolicum, qui omnes ſuas difficultates ad Patres Pekinenſes detulerunt, & remedium apud Imperatorem & Mandarinos ab ipſis poſtularunt; nec illi ſuo defuerunt officio, & quantum poterant, intercedebant.

Patres Pekinenſes commune refugium.

## Articulus IX.

### *PP. Pekinenſes commune refugium, culpantur tamen, & vindicantur.*

P. Fontanay ad P. de la Chaiſe anno 1703 ſcripſit duas epiſtolas, in quibus multa exempla affert, quibus demonſtratur, quanta Patres Pekinenſes pro his Epiſcopis & Vicariis Apoſtolicis, cum permerentur (etiam Maigroto) aliiſque, defendendo omnes ex quocunque ordine, licet maxime ardua, egerint, effecerintque; delatas nihilominus contra eos varias in Europam querimonias & criminationes, fato videlicet ſocietatis Patrum, ut, quibus maxime benefecerint, ab iis maxime exagitentur. At ſecus Jeſu ſocii non eſſent, cujus exemplo ſolari ſe debent.

Culpantur.

Memorat porro in iis, quas dixi, litteris, Cantone ſeptem eſſe templa Catholica, duo videlicet ſæcularium ſacerdotum, duo Franciſcanorum, unum Auguſtinianorum, & duo ſocietatis Jeſu, unum videlicet pro Luſitanis, omnium antiquiſſimum & maximum, alterum pro Gallis; nihilominus tamen multo pauciores ibidem aliiſque maritimis urbibus converti, quam in interioribus Sinæ provinciis; quia in illis Sinenſes præ oculis habeant corruptos Chriſtianorum mores, non autem in iſtis.

Denique P. Fontanay confutat ea, quæ ſibi Pariſiis fuiſſent objecta, nimirum quod Miſſionarii in Sina ſericis veſtibus induantur, & geſtatoria ſella per plateas portentur, quod ab exemplo Chriſti

&

& Apoſtolorum abhorreat, & paupertati religioſæ repugnet. Verum oſtendit Fontanæus, hoc ad finem intentum omnino eſſe neceſſarium, ſi Sinenſes velint convertere: primos Miſſionarios, qui in Sinas venerant, humili veſtitu tectos, fuiſſe contemptos, nec ullum prope Sinam potuiſſe convertere. Monitum ab amicis Riccium, ut doctorum hominum veſtitum aſſumat, omniaque proniora expertu- rum, idque eventum ipſum comprobaſſe.

Patres Dominicanos & Franciſcanos poſt 50 annos eandem viam tentaſſe, atque ordinis habitu indutos, Evangelium prædicaſſe, ſed deſpectos & crudeliter habitos, in Philippinas, unde venerant, fuiſſe rejectos cum ignominia, plus meriti quam fructus reportantes: tandem vero experientia doctos, aſſumpto pariter Sinenſi Doctorum habitu, æſtimatos, magno cum animarum proventu in vinea Domini laboraſſe: nec Mandarinis duntaxat, & Doctoribus proprias eſſe in Sina veſtes ſericas, ſed inferioris etiam conditionis hominibus communes.

Joannem Baptiſtam duro & crudo veſtitu, & genere vivendi uſum, Chriſtum mori gentis ſe magis attemperaſſe, Paulum omnibus omnia factum, ut omnes Chriſto lucraretur. Miſſionarios in Madura, ad Brachmanorum morem, aſperrimum vitæ genus ducere, in Canada cum Barbaris velut barbarizandum; at aliud multo eſſe in Sina, litteris culta & moribus expolita.

Eandem rationem eſſe de ſella geſtatoria; conformari oportere mori gentis & regionis, ſi velint animabus proficere; vulgares etiam homines, ſi quem honoris cauſa velint inviſere, non ire ſed portari oportere, cum id pertinere putent ad honorem illius qui inviſitur. Nemini fas eſſe, ut ad Mandarinum, multo minus ad Imperatorem pedes eat. Hinc, ſicut Venetiis naviculariorum, ita in Sinis ſellulariorum infinitus eſt numerus.

Equidem ſi hirſutus aliquis anachoreta veniret in Sinas cum miraculis, ſignis, & prodigiis, fore fortaſſis, ut cum fructu prædicaret, ſicut Apoſtoli; at his temporibus, cum miracula, (gratiæ gratis datæ) non ſint uſus quotidiani, adhibenda media ordinaria, ad finem intentum maxime accommodata. Cæterum domi Miſſionariis alium eſſe veſtitum, nullumque extra urbes ſellarum uſum eſſe, ſed Miſſionarios itinera pedites conſuetos conficere.

Anno 1705 Chamhius Moſcis conſtruendi Pekini templi copiam fecit, miſſusque eo a Petro Duce Abbas, qui Schiſma Græcum diſſeminaret. Vehementer perculit ea res Miſſionarios noſtros, qui

vi-

videbant Schiſmaticos iſtos, ob reverentiam Zari, quidquid vellent, in præjudicium rei Catholicæ obtenturos. Metum augebant difficiles ſane circumſtantiæ temporum; nam Imperator notas ob cauſas a Catholicis alienatus eſt eo uſque, ut exciſionem Eccleſiæ ſit comminatus. Nec inanes fuiſſent minæ, niſi Patres Pekinenſes iram Principis, quantum poterant, leniiſſent, & frater noſter Rhodes, excellens Medicus a gravi eundem morbo liberaſſet. Quod beneficium Imperator coram tota aula plurimum dilaudavit, eumque permovit, ut templo magnifico, quod Patres noſtri Galli in arce aulica ejusdem ſumptibus conſtruxerant, anno 1711 tria lemmata inſcriberet: & primum quidem in frontis medio hoc ſenſu:

Chamhii Senſus de Deo.

*Veræ origini omnium rerum.*

Alterum columnæ laterali affixum: *Eſt infinite bonus, & infinite juſtus: illuminat, conſervat, & ordinat omnia ſumma cum poteſtate, ſummaque juſtitia.*

Tertium ex altero latere hoc tenore: *Non habet initium, nec habebit finem. Omnes res creavit in principio, regit eas, tanquam verus earum Dominus.*

Ecce! qualem ideam magnus hic Monarcha habuerit de Deo. Nihilominus tamen jam a decem annis ob certam occaſionem (cum nollet, antiquos Sinenſes ritus & ceremonias abrogari) alieniore a Miſſionariis & eorum religione erat animo, eamque variis in provinciis perſequi paſſus eſt. Et eliminaſſet omnino, niſi Patres Pekinenſes, quibus familiariter utebatur, defenſionem oppoſuiſſent.

## Articulus X.

### *Patrum cautela contra ſuperſtitiones.*

At ipſi etiam Patres Pekinenſes offenſam non levem apud Imperatorem, & ejus præſertim filium hæredem incurrerunt. Hic quippe petierat, ut Brocardus, frater noſter laicus, inſignis artifex, ſceptrum cærulo colore induceret. Vetuit P. Bovetus ſuperior, niſi Princeps promiſſo caveret, ſceptrum illud nulli idolo aut ſpiritui accommodatum iri. Aſſeveravit Princeps per cubicularium, ſceptrum nulli idolo, nulli ſuperſtitioni, ſed uſibus duntaxat profanis ſervitu-

rum.

rum. Non adquievit Pater verbis cubicularii, ſed ab ipſo Principe aſſecurari voluit.

Princeps graviter indignatus accitis ad ſe Patribus ingratitudinem objecit; conditum recens templum magnificum in ipſo palatii ambitu, datam poteſtatem legem Chriſtianam per totum Imperium propagandi, collatos honores, & innumeros alios favores; jam vero tot tantisque beneficiis hanc gratiam reddi. An ergo, inquiebat, neceſſe eſt, ut mandata mea ipſus ad vos perferam; cum alias parere recuſetis? num ſcitis, quam pœnam pervicacia veſtra ſecundum leges Sinicas ſit promerita? ad Bovetum dein converſus, noſcis hoc ſceptrum, ait, quod manu geſto? non pertinet ad ornatum ullius idoli, neque ad ullam ſuperſtitionem, ſed mihi ſoli ad uſus profanos ex conſuetudine ſerviet. Nemo etiam tam demens eſt, qui virtutem aliquam eidem tribuat. An hoc non ſufficit ad eximendos veſtros conſcientiæ angores? peregrini eſtis, & tamen Sinicos ritus melius noſſe vultis, quam nos, qui eos a prima juventute didicimus. Cum jam ipſe dignatus ſim, vobis aſſeverare, hoc ſceptrum ad nullum uſum religioſum pertinere, nec quidquam virtutis in eo agnoſci, quænam hæc teneritudo conſcientiæ, quæ vos a more gerendo abſterreat?

Reſponderunt Patres, vitam quidem ſuam eſſe in manu Imperatoris, cujus gratiis & clementiſſimæ Religionis protectioni infinitam gratitudinem debeant, paratosque eſſe, omnia obſequia, quæ poteſtatis ſuæ forent, exhibere; ſtatutum tamen ſibi, Imperatoris potius gratia, quamvis ſummopere æſtimata, excidere, quin tormenta quæcunque & mortem pati, quam committere aliquid, quod puritatem ſanctæ Religionis poſſet lædere. Ita loquebantur Sinenſes iſti idololatræ.

Princeps, fidem ſibi necdum haberi ratus, haud leviter offenſus, querelam ad patrem Imperatorem detulit. Citantur in diem alterum in aulam ſacerdotes, qui in trina, quam Societas Pekini habebat, domo degebant. Actum de illis putabant plures, & P. Bovetum ceu Majeſtatis reum ad mortis ſupplicium condemnatum iri: & ſane triſtis erat aſpectus cum aulam ingrediebantur: torvæ facies excubitorum, famulorum, & aulicorum boni nihil præſagiebant. Sed mitiſſimus Imperator, leniter increpitos certos eſſe juſſit, ſceptrum illud ad nullum finem ſuperſtitioſum eſſe intentum, ſed mere civilem & politicum. Se per 40. jam annos obſequio Patrum eſſe uſum, ſemper tamen, antequam quid mandaret, diligenter examinaſſe, an ſalva Religione ſua, quæ ſancta eſſet, id poſſent facere. Bovetum

autem, ut Principem placaret, aula abſtinere voluit. Patres acta gratiarum actione, novies pro more coram Imperatore & Principe in terram proſtrati receſſerunt, hunc nimbum cito tranſiiſſe lætantes.

## Articulus XI.

### *Nova Perſecutio.*

Tſchinmao accuſat Europæos.

At vero anno 1717 res Catholica in majus diſcrimen fuit adducta. Auctor mali erat *Tſchinmao*, Mandarinus, in provincia Quantung, qui Chamhio libellum famoſum (prout olim Jamquamſien) offerre auſus eſt, querelis & calumniis in Chriſtianos plenum. Atque imprimis periculum ingens, ab Europæis Sinarum Imperio imminens, fingit & exaggerat: decem Hollandicas & Anglicas naves, quarum ſingulæ plus centenis tormentis majoribus ſint oneratæ, Macaum eſſe appulſas: quocunque deveniant, ſub prætextu commercii, terras ab illis invadi, & velut proprias occupari: niſi prævertatur, idem fatum, quod India & Philippinæ, Sinam ſubituram. Aggreſſos fuiſſe Europæos Japoniam, ſed fuiſſe retuſos: exſtrui in omnibus provinciis contra Edicta templa, confluere plebem, aboleri veteres ritus, & ceremonias, novam ac falſam religionem paſſim ab emiſſariis & exploratoribus proponi, ut venientibus Europæis copiis, ſeditionem in ipſis Imperii viſceribus concitare poſſint. Quapropter diruenda templa, peregrinos omnes ejiciendos, Sinas ad abjurationem novæ religionis compellendos, exteris non permittendum, ut eodem tempore plures quam unam navim mercatoriam in portus Sinicos adducant, ſi Imperator regnum ſuum ſecurum velit.

Chamhius mendacem hunc libellum Mandarini ſupremis tribunalibus examinandum dedit. Hæc initio in vota illius impia conceſſerunt, mandaruntque, ut templa noviter erecta diruantur, nemo Religionem peregrinam publice profiteatur, omnesque Miſſionarii e Sinis excedant, exceptis 47, qui libertatis litteras accepiſſent. Patres Pekinenſes tam ferali nuntio attoniti, libellum ſupplicem Imperatori obtulerunt, cui ſubſcripſerunt P. Kilianus Stumpf Viſitator, P. Joſephus Suarez Rector collegii, & P. Dominicus Parennin ſuperior Reſidentiæ Gallicæ. Imperator ſententiam tribunalium eatenus temperavit, ut, templis integris, ii Miſſionarii, qui litteras libertatis accepiſſent, Evangelium libere prædicare poſſint, dandasque etiam aliis petentibus, ſi ſe legitimaverint; reliquis Macaum, & inde in pa-

triam eſſe redeundum. Plus impetrari non potuit, ne Imperator videretur concluſum tribunalium penitus convellere. Poſtea tamen Patres noſtri, ne libellus Mandarini Tſchinmao, typis editus, & per omnes provincias ſparſus, noxiam adverſus Chriſtianam legem ideam imprimeret, eundem ſcripto, pariter typis edito, confutarunt. Mandarinus vero accuſator ab officio depoſitus, & in Tartariam relegatus, morte ſibi veneno illata exilium redemit. Anno 1718 plures ſocietatis noſtræ ſacerdotes propter ſervatas conſtitutiones Apoſtolicas proſcripti ſunt: integræ autem communitates a fide ſuſcepta defecerunt. Eodemque anno navis Oſtendana Cantonem venit.

Anno 1720 Pekini obiit P. Kilianus *Stumph* Herbipolenſis e Rheni ſuperioris provincia Societatis Jeſu, tribunalis Mathematici & Artium ſupremus Præſes, vir virtute & doctrina clarus, ac propterea Chambio Imperatori multo gratiſſimus, & æſtimatiſſimus. Succeſſit eidem P. Ignatius Kögler S. J. e Germaniæ ſuperioris provincia, ceditque in ſingulare inclitæ Germanicæ Nationis decus, quod, licet præſtantiſſimi eſſent in Sinis ex aliis etiam Europæis nationibus Mathematici, Itali, Galli, Luſitani, Sinenſes, Tartari, Imperatores tamen Sinarum, ultra centum jam annos, ex ſola ferme gente Germana Præſides Tribunalis Mathematici & liberalium artium aſſumpſerint, uti Adamum Schall, Ferdinandum Verbieſt, Antonium Thoma, Kilianum Stumpf, Ignatium Kögler. **P. Kilian. obit.**

Eodem anno 1720 Pekinum venit *Mezzabarba*, Patriarcha Antiochenus, legatus Apoſtolicus, a Clemente XI. ad Imperatorem miſſus, cui in omnibus obſequebantur Patres noſtri Pekinenſes, eique acceſſum ad Imperatorem, quamvis iratum, impetrarunt, utque eum omni cum humanitate & honore exciperet, effecerunt. Cum autem de conſtitutionibus Apoſtolicis circa ritus vellet ingerere ſermonem, Imperator diſcurſum avertit, dicendo: *de hoc alias.* Patres etiam Pekinenſes juſſi fuerant a R. P. noſtro Generali, ut omnem operam impendant, ad permovendum Imperatorem, ut conſtitutionibus Pontificis ſe non opponat; quoniam relatum fuerit ad Papam, Patres Pekinenſes poſſe, ſi ſerio vellent, id impetrare; reſponderunt Patres, vehementer decipi eos, qui hæc ad ſuam ſanctitatem retuliſſent; licet enim apud Imperatorem propter ſcientiam mathematicam aliqua valeant gratia, ita tamen deſtinatum eſſe eidem, ritus veteres retinere, ut nemini fas ſit, ea de re vel verbum loqui; ſatis ſibi laboris, & quidem valde difficilis eſſe hoc tempore invigilare, ne tota Miſſio Sinica peſſum eat. **Mezzabarba.**

# Articulus XII.

*Obit Chambius Imp. Juntſchinus filius Miſſionarios ejicit, & Miſſionem Sinicam ferme extinguit.*

Obitus Chamhii.

Anno 1722 obiit *Chambius*, Princeps, ſi politam ſpectes, vere Magnus. Imperium per 61 annos in pace gubernaverat. Singulari prorſus amore & ſtudio indefeſſo a prima juventute in ſcientias ferebatur. Nec tantum omnes Sinicas diſciplinas, ritus, & conſuetudines omnes apprime callebat, ſed Europæas quoque a Patribus noſtris, diſcipuli inſtar diſcebat, uti Geometriam, Aſtronomiam, Chronologiam, Geographiam, Architectonicam, Mechanicam, ipſamque adeo Muſicam, ut non tantum ante omnes Sinarum, qui ante eum fuerant, Imperatores Sinenſes excelleret, ſed Mandarinos quoque doctiſſimos longo poſt ſe intervallo relinqueret.

Elogium.

Nemo etiam Ethnicorum Principum tantam unquam de lege Chriſtiana, quam publice ſæpe laudaverat, æſtimationem conceperat, ſed rationes humanæ ab ea amplectenda impediverant, ut adeo etiam in extremo morbo, quem in venatione contraxerat, nullum Europæum acciret, ſed quarto filio ſuo *Juntſchin* declarato ſucceſſore, contra meliorem animi ſententiam, ethnice perierit.

Juntſchin perſequitur Eccleſiam.

*Juntſchin*, novus Imperator, idolorum cultor, ſemper alienum a Chriſtianis animum geſſit, neminemque ex Miſſionariis in conſpectum admiſit. Ex fratribus, quos multos habuit, primo & ſecundo genitum, majeſtatis jam a patre damnatos, in arctiorem carcerem conjecit, alios interfici juſſit, alios in exilium ejecit. Eandem ſævitiem in plures Mandarinos exercuit.

Initium a Fokienſi provincia.

Provinciarum Gubernatores, cum adverterent frigidum in Miſſionarios Imperatoris animum, perſequi Chriſtianos cœperunt; & prima quidem tempeſtas Provinciæ *Fokienſi* incubuit, in qua duo ex illuſtriſſimo quodam ordine Sacerdotes, qui nullas a Chamhio libertatis litteras acceperant, zelo ſtimulante & intentione optima plures Eccleſias ædificaverant, utriusque ſexus homines Europæo more (quem Sinenſes abominantur) ſimul in templa ad rem Divinam & inſtructiones admittebant; puellas quasdam ad emittendum Virginitatis votum permoverant, quod pariter Sinenſes indecorum & probroſum putant.

Qua-

Quare a quodam apoſtata, adjectis pluribus mendaciis, delati ad Provinciæ Præſidem, latebras quærere cogebantur; templa autem partim ſunt concremata, partim alias profanata, atque in ſcholas aut delubra commutata. Non ſtitit in provincia illa ruentem impetum perſecutio, ſed per totum Imperium ſe diffudit.

Quippe Zungtunus, ſeu Præſes provinciæ Fokienſis, libellum accuſatione plenum ad Juntſchin Imperatorem Pekinum miſit, legemque Chriſtianam, ceu noxiam Imperio, & ritibus inimicam proſcribi petiit. Imperator hunc libellum examinandum dedit Senatui Rituum, ſemper nobis infenſo, a quo triſti ſententia Miſſionarii omnes (ſolis Pekinenſibus exceptis) Macaum ſunt relegati, dirui juſſæ Eccleſiæ, Religio Chriſtiana ſub graviſſimis pœnis prohibita. Et, quod triſtiſſimum erat, atrox hoc Edictum ab Imperatore fuit approbatum.

Patres noſtri Pekinenſes, conſilii inopes, quo ſe verterent, non inveniebant; triſtis apud eos ſolitudo: amici aut officiis dejecti, aut ad aulæ genium ſe fingentes, amicos ſe fuiſſe diſſimulabant, certe videri nolebant.

Igitur per preces, in omnibus tribus domiciliis ad Deum converſi, redactæ in extremum diſcrimen vineæ, tam amplæ, tam fœcundæ, per ducentos prope annos tot ſudoribus rigatæ, cum lachrimis opem poſcebant. Habito dein communi conſilio, ſtatuerunt, libellum ſupplicem Imperatori offerre; ſed qua via eum ad eundem dirigerent, nulla ratione diſpiciebant. Nullus patebat acceſſus, ſicut a duobus jam annis nulli Europæo patuit: nemo ex Miniſtris acceptare eundem voluit.

Viſum tamen, implorare fratrem Imperatoris decimum tertium, qui ſolus prope apud fratrem gratia valebat. Verum is reſpondit, actum agi, a fratre Imperatore confirmatam jam eſſe ſententiam tribunalis rituum; agnoſcerent gratiam, quod ipſi a communi exilii lege ſint exempti; quid dicturos facturosque Europæ Principes, ſi ad eos venirent Sinenſes, & antiquiſſimas eorum leges & conſuetudines vellent intervertere? Repoſuerunt Patres, per concluſum ſenatus rituum ejusque approbationem Imperatori non eſſe intercluſam viam gratiæ: hanc in iisdem ferme circumſtantiis impertitam a Chamhio patre. Si duo in provincia Fokienſi Europæi exceſſerint, non eſſe æquum, ut tot innocentes eorum culpam luant. Quod ſibi permittatur, Pekini remanere, magnam utique eſſe Imperatoris gratiam, pro qua in libello ſuo ſupplici grates agant, ſed quale ſibi ſolatium relictum, ſi fratres ſuos expulſos, ſimulque Religionem Chriſtianam, propter quam unice, deſertis omnibus, per tot terras & maria in

PP. Pekinenſes ſupplicant.

Sinas veniſſent, omnibusque viribus Imperatori Chambio ſerviiſſent, in exilium ejectam cernere debeant?

Princeps, erga Chriſtianos non male affectus, ſed ne gratia fratris, fratrum exemplo, excideret, veritus, poſt plures tergiverſationes libellum tandem recepit, & Imperatori obtulit. Qui eo lecto tres Patres, Kögler, Parennin, & Bovet, ad ſe accerſivit (qui primus erat aſpectus Imperatoris) ac ſerio vultu eis propoſuit, Chamhium patrem ſuum nimium detuliſſe Europæis, peregrinis eorum ſcientiis delectatum, & propterea non parum gloriæ ſuæ apud Mandarinos detraxiſſe: non odiſſe ſe doctos Europæos, ac propterea illis Pekini commorationem indulgere: averſari autem turbas in ſuo Imperio, nec concedere poſſe, ut antiqui ritus aboleantur. Delatas ad ſe non tantum a Provincia Fokienſi ſed aliis quoque pluribus graves querelas; quapropter ſe omnino velle, ut omnes Europæi abſcedant, id tamen gratiæ concedere, ut non Macaum, prout ſenatus Rituum ſtatuerat, ſed Cantonem, (extremam Sinarum verſus Indiam provinciam) emigrent, ibique tolerandos, quamdiu quiete & tranquille abſque prædicatione Chriſtianæ legis ſe continuerint.

*Reſponſum Imperatoris.*

*Cantonem ejiciuntur.*

Hoc nempe Patres, cum plus ſe impetrare non poſſe cernerent, rogaverant, ut Miſſionarii ſint in propinquo, ſi aura forte ſecundior in futurum aſpiraret. Interea autem, cum Edictum ſenatus rituum per provincias publicaretur, incredibile dictu, quanta acerbitate Gubernatores illud ſint executi: 300 Eccleſiæ dirutæ, aut in profanos uſus converſæ: ultra trecenta ovicularum millia, paſtoribus ſuis orbata, ſqualebant, nec Religionem Chriſtianam profiteri publice audebant, ne iram Imperatoris & Mandarinorum magis accenderent.

## Articulus XIII.

### *Sunici Principes in exilium ejiciuntur, Miſſionarii Cantone.*

Non pauci tamen Miſſionarii in variis provinciis occulte remanſerunt, ne pius grex omni prorſus deſtitueretur ſolatio. Quin imo multæ novellæ plantæ agro Domini ſunt inſertæ, eæque nobiliſſimæ, præſertim arbor una procera, in multos ramos extenſa, familia videlicet Regii Principis *Sunu* ſeu *Surniama*, qui Imperatorem propinquo ſanguinis gradu attingebat. Numeroſam hic filiorum nepotumque ſobolem ſexus utriusque procreaverat, quorum plerique, inſtructoribus P. Joſepho Suarez & P. Dominico Parennin baptizati ſunt, pa-

*Eorum Principum conſtantia.*

tre

tre eorum, 77 annorum ſene pertinaciter reluctante, non quod legem Chriſtianam odiſſet, ſed quod ſummis in Dignitatibus conſtitutus, iram Imperatoris, & ruinam temporalem Domus ſuæ regiæ timeret.

Dici autem non poteſt, quanta fortitudine, conſtantia, probitate & integritate morum, quanto fervore, & pietatis ſenſu Principes iſti Sunici Religioni Chriſtianæ fuerint addicti. Nihil certe ad ſolatium jucundius, ad imitationem fortius, ad pios animi Chriſtiani motus tenerius illorum conſtantia, quam tum alii, tum præſertim P. Parennin prolixo calamo deſcripſit.

Exilium toti nobiliſſimæ familiæ (*anno* 1724.) ab Imperatore Juntſchin indictum, injectæ catenæ, aſpera quæque ſubeunda. Exultabant gaudio Principes, quod Deus judicaret dignos, qui de calice ſuo biberent. Imo, deſertis palatiis, amplis fortunæ bonis, grandibus muneribus, in Tartariam ejecti, Miſſionarios agebant, omnesque, quantum poterant, ad agnitionem veræ fidei perducebant: ad 70 erant exulum, cum fœminis & famulis, capita, ad Chriſtianam plerique veritatem formati, & dominorum ſuorum exemplo & adhortatione ad omnem probitatem inſtituti.

Interea autem, dum indignatio Imperatoris in agnatum ſanguinem ſæviebat, P. Ignatium *Kögler* non modo in ſupremi Præſidis tribunalis Mathematici munere confirmavit, ſed Rituum quoque in Senatum introduxit, nemine capiente mentem Principis. Romanum *Hinderer*, ex eadem ſuperioris Germaniæ provincia, qui per Sinas, Tunkinum & Cocincinam fuerat Viſitator, in miſſione ſua Tſchangenſi relinquebat, & poſtquam prima tempeſtas detonuerat, Mandarini in variis provinciis, muneribus deliniti, connivebant, cernentes, Pekinenſes Europæos etiam honoribus augeri.

P. Köglerhonoribus augetur.

Venerunt eo tempore (anno 1725) duo legati Apoſtolici, ex ſacro Carmeli Ordine, Pekinum ad Imperatorem, qui, convocatis omnibus Europæis ſacerdotibus, eos in conſpectum admiſit, multaque etiam de religione diſſeruit, quæ prodere videbantur, quod nulli religioni ſit addictus, omnes tamen laudabat, quod ad eundem finem tendant: negabat vexatos a ſe Europæos; quod autem 40 homines Cantonem remiſſi ſint, eorum zelo immoderato eſſe adſcribendum. Cum vero legati de exulibus revocandis ſermónem ingererent, Imperator eundem mox interrupit, ſeque nunquam commiſſurum dixit, ut antiquæ conſuetudines abrogentur; ſatis liberalem ſe eſſe, quod Pekini & Cantone Europæos toleret. Odio habebat religionem Chriſtianam, eo quod conſuetudinum Sinicarum inimicam

Legati Pontificii.

cre,

crederet, & diſcordiarum altricem, atque ut Europæi quidam loquuntur, regnum in regno conſtituere niteretur. Nolebat tamen videri erga exteros crudelis: unde gaudebat, quod in Mandarinos poſſet perſecutionis, quam optabat, invidiam detorquere.

In neminem tamen magis (quod cœpi dicere) ſæviebat, quam in proprium ſanguinem, *Surniamam* inquam Regium Principem, jam prope octogenarium, quem cum tota numeroſa ſua familia in exilium ejecerat, quod ex filiis aliquot Chriſtianæ legi nomen dare permiſiſſet.

Educti nobiles hi exules *Furdam* Tartariæ urbem; inde vero acerbe habiti, in diſertum prope nudi & omnium inopes ſunt propulſi, nunquam tamen auditi conqueri, ſed Divinæ circa ſe providentiæ prorſus adquieſcentes, gaudebant pro nomine Chriſti contumeliam pati. Diſperſi dein in varias provincias, novem ſinguli gravibus catenis, a collo pendulis onerati in varios carceres ſunt traducti, ab omni humano deſtituti auxilio. Summum autem eis dolorem attulerat, quod patrem ſuum Surniamam, licet meliora videntem, ſpe tamen ad priſtinam dignitatem redeundi detentum, convertere ad fidem nequiverint: ſine baptiſmo in exilio mortuum.

*Exules Principes.*

Anno 1726 tres ex Chriſtianis iſtis heroibus ſqualore carceris extincti ſunt, a militante Eccleſia ad triumphantem translati, ſtabiliore corona exornandi; dum interim plurimi per Imperium ſparſi non minora conſtantiæ Chriſtianæ documenta dabant. Sacramenta eis occulte miniſtrabant aliquot ſacerdotes, nati in China, qui mercatorum & opificum ſpecie urbes, oppida, & pagos percurrebant, & propter nativam linguæ peritiam minus erant ſuſpecti. Pekini autem, connivente Imperatore, etiam in templis, caute tamen, Chriſtiani conveniebant, & intra annum ultra decem millia ſacra dape ſunt refecta: multi quoque, præſertim infantes morituri ſunt baptizati. Idem factum Cantone, quamvis occultius. Plures etiam provinciarum Gubernatores varia diſſimulabant intuitu Patrum Pekinenſium, quos ſciebant non tantum tolerari, ſed publicis etiam Dignitatibus ab Imperatore honorari. Anno 1727 in carcere obiit Joſephus Princeps, cujus ſanctitas maxime dilaudatur.

*Pro fide mortui.*

Ut autem nihil intentatum ad flectendum Imperatoris animum relinqueretur, venerunt Pekinum cum muneribus oratores, a ſummo Pontifice & Rege Luſitaniæ, qui, poſtquam, jubente Imperatore, promiſerant, ſe nec verbum de Religione locuturos, cum honore ſunt excepti, tradita que ultro citroque munera. Tametſi enim Imperator Juntſchius, quantum politiam ſpectat, in bonum & utilitatem

*Nova legatio iterum fruſtrata.*

tem ſubditorum, optime rem publicam adminiſtraret, Patris patriæ nomen ambiens, averſum tamen pertinaciter a lege Chriſtiana gerebat animum, & Edicta ſua, contra illam emiſſa, executioni dari jubebat. Europæos raro in conſpectum admiſit, &, cum eſſent præſentes, ſolus loquebatur, & quidem ſermone adeo propero, ut nullum Miſſionariis loquendi ſpatium indulgeret. Solus ferme Joſephus *Caſtiglione* S. J. Frater laicus, Mediolanenſis, propter inſignem pingendi peritiam erat acceptus, ut proin deventum ſit eo, ut Sinenſis Eccleſiæ defenſio a penicillo Fratris Laici pendere videretur.

Sed hæc qualiscunque gratia impedire non poterat, quo minus Imperator perſecutioni Chriſtianæ Religionis, de qua non raro contemptim & impie loquebatur, inſiſteret, nullam de ea ab Europæis mentionem fieri paſſus. Quare Deus, flagello arrepto, immiſſisque graviſſimis calamitatibus, obduratum Pharaonem caſtigavit; nam anno 1730 inſoliti prorſus terræ motus Chinam tantopere concuſſerant, ut cadentes innumeræ ædes ultra quingenta mortalium millia triſti ruina ſepelirent. Aquarum etiam eluviones, quod terræ concuſſiones reliquerant, obruebant, ut adeo fames morbique multa rurſus hominum millia depaſcerent. Vectigales præterea Principes ab obedientia deficiebant. Hos inter *Caldanus*, Tartarorum occidentalium ex magni Tamerlanis progenie Rex, excuſſo jugo, graviſſimum Sinis intulit bellum, quo Sinas & Tartaros orientales, Sinici ſoli abundantia & molitie jam enervatos, grandibus cladibus attrivit. Pœna perſecutionis.

Acceſſit ex Europa labes, hæreſis videlicet Janſeniana; ad quam in Sinis & Cocincina diſſeminandam plus viginti ciſtæ, plenæ libris Janſenianis & Queſnellianis, quibus conſtitutio Unigenitus fuit impugnata, clam ſunt illatæ. Sed Patrum Pekinenſium induſtria peſtiferæ merces fuerunt detectæ, & ſuppreſſæ.

Sed anno 1732 atrocior multo procella Sinenſi Eccleſiæ incubuit. Miſſionarii initio Imperii ſui a Juntſchio ex omnibus provinciis fuerant proſcripti: Patres vero Pekinenſes ab eo tandem obtinuerant, ut Cantone, quæ eſt Sinarum clavis, poſſent perſiſtere. At vero eo, quem dixi, anno Cantone etiam migrare, & Macaum navigare atque inde in Europam a Mandarinis Cantonienſibus juſſi ſunt. Creditur Imperator ipſe Juntſchius, Chriſtianæ Religionis oſor acerrimus, occultis litteris ad hoc facinus eos animaſſe; alias non fuiſſe auſuros illis adimere, quod Imperator conceſſiſſet. Prætextus erat, quod contra mandatum ſectam diſſeminarent, Sinarum ritibus inimicam.

Fruſtra Miſſionarii Cantonenſes diverſorum ordinum libellos ſupplices offerre conabantur. Fruſtra dilationem petebant. Intra triduum faceſſere jubebantur. Triſti igitur exilio damnati 30 ex variis domibus Macaum conceſſerunt, relictis ad domos & librorum templorumque ſupellectilem cuſtodiendam Chriſtianis famulis; quibus tamen in carceres compactis ac verberibus exceptis, domus omnes, quas Miſſionarii incoluerant, direptæ ſunt.

Refugium unicum poſt Deum exulibus iterum erant Patres Pekinenſes, qui mæſto nuntio accepto, ſupplices Imperatori acciderunt, quatuor videlicet ipſorum, Patres nempe Kögler, Pereira, Parennin, & D. Petrini, cum Fratre noſtro Caſtiglione, qui demonſtrabant, portum Macaenſem non eſſe opportunum recipiendis Europæis navibus mercatoriis, ſicque peritura commercia. Cumque nihil impetrarent, eo obtentu Imperatoris, quod Europæi indulgentia ſua fuiſſent abuſi, id ultimum rogarunt Patres, ut tot ſaltem procuratores Cantone relinquerentur, quod eſſent neceſſarii ad litteras ac ſcripta ſua aliasque res, ex Europa miſſas, ad ſe Pekinum promovendas.

Obtentum nihil: excedendum omnibus, etiam ſenibus & ægrotis. Igitur præter paucos, qui in provinciis latebant, in tam vaſto regno, ſoli ſupererant, qui Pekini adhuc tolerabantur, 23 Europæi, omnes e Societate Jeſu (exceptis duobus e clero ſæculari, a congregatione de Propaganda miſſis) videlicet octo Galli, ſex Luſitani, quatuor Germani, cum quatuor Fratribus Coadjutoribus. Inquiſitio vero ſevera per totum Imperium in Chriſtianos ſæviit, juſſis omnibus fidem abjurare. Plerique ſibi conſtabant; quin eodem fere tempore Tſchao ex Proceribus Tartaro-Sinicis in carcere, & quod mireris, a non baptizato fuit baptizatus. Hujus exemplum ſecuti ſunt plurimi, ſæviente perſecutionis procella converſi. Miſſionarii per provincias ſparſi de die in naviculis aut alias abſconſi latebant: de nocte prodibant, ſolabantur fideles, hartabantur, ſacramenta miniſtrabant.

Anno 1733 Mandarini Cantonenſes, porrecto rurſus libello Imperatori, graves in Miſſionarios ſpargunt calumnias, variaque eis impingunt crimina, eoque ventum, ut Juntſinus Imperator decerneret univerſalem omnium ſacerdotum, etiam Pekinenſium, proſcriptionem ex toto Imperio Sinico, id maxime, defixa in *Petrinum* acie, exprobrans, quod nullum parentibus aliisque progenitoribus honorem deferrent.

Ac-

Accuſationem confutabant Patres, monſtrabantque, crimina, Miſſionariis impacta, eſſe conficta, alienum pariter prorſus a veritate, quod nullum parentibus atque Majoribus honorem deferant. Ad libros ſuos, ad doctrinam, ad funera, exequias, anniverſariam memoriam, ad ſepulchri monumenta, ad preces & oblationes pro defunctis, ad ipſas denique Majorum imagines, domi appenſas appellant, atque Divinum humanumque honorandi parentes præceptum allegant.

Obſtupuit Imperator, cum hæc audiret, juſſitque exhiberi libros, in quibus hæc eorum de honorandis parentibus doctrina contineretur. Sunt exhibiti, & per varia tribunalia circumlata, quin reſponſum, quid de illis ſentirent, aut Imperatori retuliſſent, noſtris communicarent.

## Articulus XIV.

### *Mos Juntſchini. Imperium Kienlungi filii.*

Anno 1735 obiit Imperator *Juntſchin*, qui toto Regiminis ſui tempore graviter publicæ rei curæ ſe impendit, artium regnandi non ignarus; ſed Religionem Chriſtianam perſequi nunquam deſiit. Patres Miſſionarios primum Cantonem, poſtea Macaum uſque relegavit: ex quibus tamen plures in Chinam redierunt, ut deſertos Chriſtianos, qui ad carceres, tormenta, & neces conquirebantur, in fide firmarent, & ſacramentis paſcerent. Juntſchini elogium.

Thronum conſcendit ex ultima patris voluntate *Kienlung* filius, Kienlungus. qui fratre noſtro Caſtiglione propter artem pingendi, quam amabat, jam ante familiariter uſus fuerat. Sed concepta ſpes vix non concidit, cum porrecto ſibi a Mandarino libello, in Chriſtianam legem iniquo, patris ſui inſiſtens veſtigiis eandem prohibuit (*anno* 1736.)

Patres Pekinenſes accuſationem confutabant; ſed nullus erat illis ad Imperatorem acceſſus, nec quisquam libellum recipere & offerre voluit. Coacti igitur rurſus per Fratrem Caſtiglione, cui ſoli aditus patuit, illum offerebant Imperatori, qui eo recepto lectoque reſpondit, ſe non Sinenſibus, ſed Tartaris duntaxat militibus Religionem Europæam interdixiſſe.

Verum 25 annorum juvenis Princeps inconſtans, voluptatum illecebris mundique vanitatibus irretitus, ſepoſitis Imperii curis, totum ſe Regni Primoribus, quos ei pater addiderat, permiſit. Hi

autem cum Mandarinis in provinciis, confirmatis actis Juntſchii, Chriſtianos atrociter perſequebantur. Miſſionarii iterum de die in naviculis aut latebris erant abſconditi, noctu autem mutato habitu caute prodibant, ut Chriſtianis ſuccurrerent. Solum Pekini, quod magnæ gratiæ loco haberi debebat, cultus publicus erat permiſſus, quem tamen ipſum etiam caute celebrare oportuit, prout P. Ignatius Kögler, Præſes ſupremi tribunalis Mathematici, anno 1738 in Europam ſcripſit. Diſſimulabatur, quod diebus feſtis in tribus noſtris templis ultra 9000 concurrerent.

Quamvis autem extra Pekinum pergeret ſævire perſecutio; tonarent Edicta, gemerent cataſtæ, ſtriderent catenæ, ſcaterent ergaſtula, tormenta furerent, commendavit ſe nihilominus admiranda Chriſtianorum conſtantia, ſemperque magis creſcebat Eccleſia, per plures S. J. Sacerdotes, in China natos & educatos, qui non tam facile noſcebantur, aliosque propagata. Longum foret recenſere invincibilis fortitudinis exempla, quæ Chriſtiani Sinenſes, verberibus immaniter cæſi tortique ediderunt. Certe primæ Chriſtianitatis heroes redire videbantur.

Anno 1739 adhuc Miſſionarii 29 ex S. J. verſabantur in tribus domiciliis, videlicet in *Collegio* Andreas *Pereyra*, Provincialis ac Rector, propter Matheſis peritiam Mandarinus quinti ordinis. Ignatius *Kögler*, Præſes Tribunalis Mathematici, Mandarinus ſecundi ordinis. Jacobus *Antonini* Mutinenſis. Felix *Rocha* Luſitanus. Antonius *Gogeiſl* ex ſuperiori Germania. Polycarpus *Soſa* Luſit. Epiſcopus Pekinenſis. Carolus *Roſende* concionator templi. *Julianus Chim* Sinenſis Miſſionarius in provincia Pekinenſi. Ludovicus *Fan* Sinenſis Miſſionarius. Auguſtinus *Hallerſtein* Auſtriacus. Præter hos ſacerdotes duo Fratres coadjutores, Joſephus de *Coſta* Neapol. pharmacopola & Chirurgus, & Franciſcus *Stadelin* Tugienſis Helvetus, inſignis horologiorum artifex: univerſim 12 Perſonæ.

In *Reſidentia S. Joſephi* degunt ſex, nimirum Dominicus *Pinheyrus* ſuperior. Xaverius *Frideli* Auſtriacus, concionator templi lingua Sinenſi, qui Imperatoris voluntate mappas Geographicas totius Sinici Imperii confecit. Florianus *Bahr* Sileſius, Muſicæ artis peritiſſimus. Joſephus *Chin* Sinenſis, cum Joſepho *Caſtiglione* Fratre laico, pictore, & Fratre *Moggo* Florentino Statuario: cujus tamen ars a tempore Chamhi Imperatóris non amplius magno eſt in pretio.

*Reſidentiam Gallorum* incolunt perſonæ undecim, nempe *P. Chulier* ſuperior, horologiorum confector, *P. Parennin*, vir celeberrimus, *P. Gaubit*, *P. Mailla*, *P. Charme*, *P. Entrecolles*, *P. Bouſſel*, *P. Foureau*,

cum

cum tribus Fratribus Adjutoribus, *Attireto* pictore, *Roſſeto* Medico, *Thelolto*, qui cum P. Superiore horologia pro aula conficit.

Extra urbem ſunt duo Miſſionarii de Propaganda. Theodoricus vero *Petrini* in urbe ſuum Sacellum habet. Sunt præterea Moſci non pauci Pekini, qui mercaturæ intenti, Gentilium converſioni parum invigilant; &, ſi quos in famulos aſſumant, iis Catechiſmum, a noſtris Patribus in linguam Sinicam traductum, diſcendum tradunt. Catholici autem ſacerdotes omnes in ſalutem animarum ſtrenue collaborant, radicemque ſaltem Religionis præſidio ſuo in Sinis conſervant. Tametſi autem modernus Imperator patre ſuo ſit mitior, quia tamen Decreta hujus non ſunt revocata, Mandarini Fideles atrociter perſequuntur.

Principis tamen *Sunici* ſeu *Surniamæ* Familiæ, quos Juntſchius, dignitatibus & opibus privatos, Furdam in exilium egerat, aut catenis atque carceribus crudeliter preſſerat, *Kienlungus* liberos dimiſit, bona tamen & dignitates debitas non reſtituit. Unde inopes rerum omnium Pekini deinceps vivebant, id tantummodo ſolatii reportantes, quod ſacerdotes haberent, a quibus ſacra reciperent, atque ad res Divinas opportunius poſſent incumbere.

Imperator a novis, ex Europa advenientibus, Miſſionariis Europæa dona accepit, & Sinica reddidit; quod benevolentiæ ſignum in bonam partem interpretabantur Patres. Maximam vero ſpem reponunt in Joſepho, ex regia familia Principe, fervente Chriſtiano, qui ſummis muneribus adhibetur. Cum filia illius, gentili nupta, graviter ægrotaret, atque is ſacerdoti aditum intercluderet, Princeps ſocer ſacerdoti, ſacrum viaticum deferenti facem prætulit, & reprehenſo genero, acceſſum aperuit.

## Articulus XV.

### *Obitus P. Dominici Parennin, & Elogium.*

Anno 1741 pientiſſime, ſicut vixit, Pekini obiit P. Dominicus *Parennin* S. J. ex provincia Lugdunenſi, 77 ætatis anno, vir conſummatæ virtutis & doctrinæ. Profectus eſt in Sinas anno 1698. Quam primum ac Pekinum venerat, Imperatori Chambio placuit, omnium deinceps ejusdem itinerum comes, ac veluti moderator. Liber illi acceſſus, ac familiaris converſatio. Noverat quippe ma- **Parennini Elogium.**

gnus ille Princeps, amator ſcientiarum ſingularis, æſtimare dotes excellentes, quæ in P. Dominico plenis radiis elucebant.

Nullum erat eruditionis, nullum diſciplinarum ac litteraturæ genus, quo non præcelleret, linguas, Latinam, Græcam, Italicam, Luſitanam, Sinicam, Tartaricam, apprime callebat, & tam prompte, nitide ac eleganter loquebatur, ac ſuam Gallicam. Acceſſit nativa eloquentia atque facundia, qua animos audientium ſuaviter, quo volebat, traxit, ac proin etiam Imperatorem, apud quem ſingulari valebat gratia, in ſua Chriſtianæ legis æſtimatione & protectione ſedulo conſervabat. Et hinc Miſſionariorum cujuscunque ordinis, nationis, ac ſtatus commune erat refugium. Nulla erat accuſatio, quam apud Chamhium non dilueret, Chriſtianorum Amor & Gentilium malorum terror: malorum, inquam; nam boni, ingenio, prudentia, doctrina, virtute, ſuavique agendi modo capti, aut ad aulæ genium ſe fingentes, eximia illum veneratione proſequebantur.

Tantis favoribus non niſi ad tutelam Religionis utebatur; quocunque cum Imperatore pervenerat, præſertim in annua in Tartariam profectione, prima illius cura erat, ut, ubi ubi ſe dabat occaſio, fundaret novas Miſſiones, antiquas, injuriam aut detrimentum paſſas, reſtauraret: primum ipſe fundamentum poſuit ad converſionem Regiorum Principum Surniamæ Domus, qui ſub Juntſchio tanta incredibili conſtantia ſunt paſſi. Plures alii quoque Principes & optimates Imperii ſalutem ſuam poſt Deum ipſius debent ſtudioſæ induſtriæ, imo plus quam decem hominum millia, ab Ethnicis parentibus progenita; erectaque paſſim per provincias templa, aut reſtaurata.

Aſtutas a Mandarinis quæſtiones propoſitas tam dextre velut ex ſtapede novit diſſolvere, ut ex ejus reſponſis Sinenſis Chriſtianitatis ſalus penderet. Europæorum, in Sinas venientium, apud Imperatorem interpretem agebat. Ipſius ore loquebantur Miſſionarii, Nuntii Apoſtolici, legati Regum & Imperatorum, Luſitaniæ & Moſcoviæ. Certe Petrus I, &, quæ ipſi ſuccedebant, Catharina & Anna, grates ipſi dicebant per oratores ſuos pro impenſo illis officio, omnibus grato. Hoc per 40 omnino annos Pekini fungebatur, ſumma Imperatorum & Legatorum voluntate.

Libros variis linguis, præſertim Sinica & Tartarica pro fide Chriſtiana ſcripſit, quibus, prout etiam frequenti converſatione deſiderio noſtram Religionem amplectendi ita accendit, ut, niſi certa pathemata retraxiſſent, Chriſtianum Imperatorem habuiſſemus in Sinis.

Non

Non dedignabatur ille, a P. Dominico in variis artibus & ſcientiis uberius inſtrui, uti in Aſtronomia, Geometria, Geographia, Medicina, Chirurgia, Anatomia, Botanica, Hiſtoria Europæa, in moribus, ritibus, regiminis forma variarum gentium; eaque, quæ verbis explicuit, in ſcripta referre debuit. Quæ in Europæis ſcientiarum Academiis, & a celebribus auctoribus edita fuerant litteraturæ monumenta, ſibi exponi petiit.

Apud Juntſchium, cui minor ſcientiarum æſtimatio, & majus Chriſtianæ doctrinæ odium, non tanta quidem gratia valuit; neminem tamen pluris æſtimavit, &, niſi fuiſſet P. Parrennin, totam Chriſtianitatem in Sinis extincturus credebatur. Ultimis tribus vitæ annis graviſſimis morbis fuit afflictus, qui tandem eum anno 1741 ad laborum & patientiæ præmium promoverunt. *Kienlungus* Imperator expenſas in ſolennes exequias, Chriſtiano ritu celebrandas ſubminiſtravit. Funus Principes & Proceres imperii, etiam Gentiles comitabantur, omnesque ceu virum incomparabilem, de Sinis optime meritum, lugebant.

Novus Imperator, Princeps mitis & manſuetus, ſed Mandarinis obnoxius, non odit quidem legem Chriſtianam ejusque prædicatores, ſed ob reſpectum Procerum perſecutionem diſſimulat, noſtrosque raro in conſpectum admittit, ne Religioni favere videretur. Duo tamen Fratres coadjutores noſtri quotidianum pene ad aulam habent acceſſum; & quia in loco, conclavibus Imperatoris vicino, pingunt, frequenter eos inviſit, & familiariter colloquitur; quia nulla prope alia arte delectatur, niſi pictoria, quamvis duos Mandarinos aliosque ex noſtris in Mathematicis aliisque doctis operationibus officio ſuo fungi velit. Certis autem per annum diebus Europæos in aula convivio recreat, qui honor non niſi præcipuis Mandarinis obtingit.

Hic qualiscunque favor multum fructus ſpiritualis affert; nam a pluribus Provinciarum Præfectis minus ſevere in Chriſtianos inquiritur, minusque ſævitur, quam Juntſchini tempore fieri conſueverat. Pekini vero Religio impune exercetur, confluentibus ad tres Eccleſias noſtras Dominicis feſtisque diebus ad ſacrum officium & conciones pluribus Chriſtianorum millibus. In ſola Eccleſia S. Joſephi, quæ eſt omnium minima, anno 1739 cœleſti dape refecta ſunt ad 6000, baptizati 378.

# CAPUT XXVI.

## *Introductio Religionis in Japoniam.*

Poſtquam S. Xaverius omnes pene Indiarum provincias, ut omnes Chriſto lucrifaceret, fuerat emenſus, cum ſanctis ejus deſideriis orbis videretur minor, ad extremum Japoniæ regnum cogitationes ſuas extendit. Quod iter antequam proſequar, juvat de Imperio illo, & gentis moribus aliqua præmittere.

## Articulus I.

### *Mores Japonum.*

Japoniæ Imperium in 66 regna fertur dividi. Tellus magna ex parte eſt frigida, nec admodum ferax. Oriza, ſicut in multis Indiæ locis communis eſt cibus. Triticum ſerunt, ſed ex eo non conficiunt panem more noſtro, bene vero pulmentum. Salubris cœli temperies, aquæ bonæ, quas non bibunt frigidas, ſed calore ferventes. Montibus præruptis frequens eſt regio. Varia effodiunt metalla, quæ peregrinos negotiatores attrahunt. Carne veſcuntur ferina: ovina, porcina, anſerina abſtinent. Piſcibus, cum mari velut innatent, abundant. Capillos pro vario hominum genere abradunt, alii in ſincipite, alii in occipite. Nobiles aliquot tantum capillos relinquunt in occipitio.

Famem, ſitim, frigus, æſtum, vigilias, labores admirabili patientia tolerant. Recens nati vel ſumma hyeme ad fluvium lavandi deportantur, & aſpere educantur. Cibum capiunt genibus nixi, cruribus inſidentes. Paxillis duobus, uti Sinenſes, inter edendum dextre utuntur. Magna apud eos cura munditiei: ad convivia nudis pedibus intrant, ne pavimentum commaculent. Mappis & linteolis non utuntur, ſed ad ſingula fercula nova menſa apponitur ex cypreſſo aut pinu. Vitis uſum ignorant, ſed ex oriza extrahunt ſuccum, vino ſimilem.

Armis dedita eſt illa gens; ea ſunt præter ferream fiſtulam, arcumque & ſagittas, gladius incurvus & pugio, chalybs tam firmus, ut ferrum noſtrum acie ferme illæſa diſſindat. Adulti talarem geſtant tunicam verſicolorem. Hanc domi demittunt, prodituri autem in

cali-

caligas ingerunt, ad imum æqualiter laxas, easque circa renes ſubligant nodo. Sermo illis unus, ſed pro varietate regionum in tam diverſas dialectos diviſus, ut difficillimum peregrinis ſit, eundem addiſcere. Aperto capite ſexus uterque incedit: Proceres tamen umbellam geſtant. Color albus luctum, niger lætitiam indicat. Dentes, quo nigriores ſunt, eo pulchriores ipſis videntur. Equum a dextra conſcendunt. Symphoniam noſtram refugiunt. Inter ſalutandum nos caput, illi perlevi crepidarum, aut ſandaliorum excuſſu pedes aperiunt. Advenienti amico nos aſſurgimus, illi ſubſidunt. Nobis gemmæ, illis ferrea aut fictilia vaſa in pretio ſunt. Ægrotis acria, ſalſa & cruda apponunt. Sanguinem nunquam eliciunt, ſano nihilominus & firmo valent corpore. Ingenio acuto, capaci, docilitate, memoria, judicio eminent. Vel pueri, etiam ruſtici, ante ætatem ſapiunt, indolemque minime agreſtem præſeferunt. Maledicta, furta, imprecationes averſantur, famæ gloriæque avidiſſimi, contumeliæ omnis impatientes: ad eas evitandas, reverentes inter ſe honore & officiis certant, caventque, ne ullum timoris, perturbationis, iræ, inconſtantiæ, aut præcipitantiæ ſignum edant. Unde vociferationes & jurgia vix audiuntur: ſed ubi paſſio aut motus inordinatus animum impellit, vox eſt ſubmiſſior & frons hilarior. Nec facile de re ulla conqueruntur, ſed incredibilem in proſperis & adverſis animi compoſitionem oſtendunt. In ipſis adeo puerorum ludis ſenilis prope moderatio & maturitas quædam elucet.

Verum hæc animi bona multis vitiis inficiunt. Magiſtris religionum utuntur Popis, quos *Bonzios* appellant, miris artibus ad fallendum promptis, qui duos ipſis præcipue veteres impoſtores *Xacam* & *Amidam* ceu Deos colendos proponunt. Ut animi motus Japones comprimere videantur, in aſtutiam, calliditatem, perfidiam degenerant. Inde pravum ſimulandi ſtudium, & fallendi certamen, uti quemque peſſime oderunt, ita familiariſſimis oculis intuentur, ſed eos inopinato confodiunt. Compoſito dein vultu, ferro vaginæ reddito, greſſu lento recedunt, tanquam ea cædes nihil ad ſe pertineret. In bello feroces nemini parcunt. Se ipſos non raro occidunt, inciſo in obliquum ventre, &, qui animoſiores videri volunt, decuſſatim. Ipſi etiam interdum pueri, graviore perturbatione commoti, atrox hoc facinus in ſe conſciſcunt.

Res forenſis apud illos propemodum nulla, non Juris formulæ, non reſponſa prudentum, non vadimonia, non Judicum teſtiumve rejectio, non reorum citatio: ſed totum jus in armis conſiſtit, aut placitis Principum; civi cuique in familiam vitæ neciſque arbitrium.

Olim quidem omnes Japones uni parebant Imperatori, quem *Dairum* vocabant. Sed is in voluptates & inertiam reſolutus Imperii negotia negligebat. Quare Dynaſtæ & Provinciarum Gubernatores, eo contempto, coronam ſibi quisque impoſuit, ſeque pro Rege geſſit; inde tot regna. Recentiores tamen Imperatores, eos ut plurimum ad obſequium rurſus flexerunt, ut, quamvis ſe Reges dicerent, Imperatori tamen parerent.

## Articulus II.

### *Xaverius in Japoniam.*

Occluſa diu fuerat Luſitanis Japoniæ porta, cum tandem mercatores quidam eandem aperuerunt. Ii Cangoximæ in Saxumæ regno familiaritatem contraxerunt cum Nobili quodam, qui *Angerus* dicebatur. Variis hic circa religionem dubiis angebatur. Luſitani ei ſuadebant, ut ſe Malacam ad Xaverium conferret, cujus doctrinam & vitæ ſanctimoniam laudibus extollebant. Is igitur cum Luſitanis Malacam ad Xaverium conceſſit, a quo inſtructus, ac poſtea Goæ baptizatus *Pauli* nomen accepit. Famulorum alter Joannes, alter Antonius appellatus. Primitiæ hæ erant Japonicæ gentis Chriſto conſecratæ.

Quippe Xaverius deſiderium inde concepit adeundi Japoniam, ut eam quoque ad Chriſtum adduceret. Paulo igitur *Camerte* Indicæ Societati præpoſito, Gaſpare *Barzæo* Belga Armuziam miſſo, aliisque Miſſionariis alio diſpoſitis anno 1549 aſſumpto ex Societate *Coſmo Turriano* & *Joanne Fernando* Hiſpanis, cum Angero ejusque famulis navem Sinenſis piratæ conſcendit, atque in Japoniam ſolvit. Exceptus humaniter *Cangoximæ*, Angeri patria, linguæ Japonicæ, perquam difficili, pueruli inſtar diu noctuque incubuit. Poſtquam autem prima illius rudimenta apprehendit, balbutire ad populum cum ſociis cœpit, adjuvante Angero ſeu Paulo, quem Goæ baptizaverat. Rex ipſe benevolum ſe initio præbuerat, & prædicandi Evangelium copiam dedit, commerciorum cum Luſitanis ſpe, ſed cum naves in portum *Firandi* ingreſſas intelligeret, mutata mente, perſequi Miſſionarios cœpit.

Centum Xaverius Cangoximæ baptizaverat. Hos Paulo commiſit, ipſe vero, uni Deo nixus, *Meacum*, urbem principem, cum Turriano & Fernando adire conſtituit. *Amangucium*, peramplam urbem, ubi

ubi pervenit, ſibilanti riſu ludibriiſque exceptus eſt. Meacum inde difficillimo itinere, rerum omnium inopes, profecti, tempus minime ſationi Evangelicæ, cum armis & bellis omnia perſtreperent, opportunum invenerunt, Imperatorem ipſum accedere, fruſtra moliti.

Cum autem Xaverius expertus eſſet, Japones externa ſpecie moveri, & animi bona corporis ferme habitu cultuque metiri, Firandum conceſſit, ibique auguſtiores veſtes a mercatoribus Luſitanis accepit, cum litteris commendatitiis Prætoris & Epiſcopi Goani, ac donis, Regibus Japoniæ offerendis. His inſtructus Amangucium rediit, ubi proniores Regis aures nactus eſt, brevique 500, benedicente Domino, baptiſmi gratiam recepere, præſertim, poſtquam Fernandum injuriam, ſpuentis ipſi publica in concione in faciem, tam æquo animo ferre viderant.

Xaverius porro, relicto Cangoximæ Turriano, in regnum *Bungenſe* abiit, quo ipſum comitabantur aliquot nobiles Luſitani. Rex Bungi, cui de Chriſtiana Religione nuntiatum jam fuerat, atque de doctrina & virtute Xaverii, inſigni eum reverentiæ ſignificatione cum tota aula excepit: auditoque ſæpius viro ſancto, non exiguam de Chriſto ejusque lege æſtimationem amoremque concepit, frementibus Bonziis, qui, indignantes, fabulis ſuis & mendaciis larvam detrahi, duos ſubornarunt, ex ſuis doctiſſimos, *Faxiondonum* primum, tum *Fucarondonum*, ob doctrinæ famam tota Japonia celebratum. Diſputatio cum eo habita coram Rege multorum pennis eſt conſignata, eumque exitum nacta eſt, ut Bonzii confuſi recederent, æſtimatio vero amorque Regis erga ſanctam legem adhuc magis accenderetur, hoc pauci Nobiles, etiam Bonzii, baptiſmum expeterent. Rex libertatem Religionis Chriſtianæ Edicto ſanxit; conſtructum Deo templum, auctus in dies credentium numerus, non tantum Bungi, ſed etiam *Omura*, *Cutami*, *Arima*, *Amangucii*, *Cangoxima*, *Firandi*, *Meaci*, aliisque urbibus & provinciis, accitis ex India a Xaverio novis in vineam Domini S. J. Operariis, Gago, Alcazeva, Almeida, Villela, Sylva &c. Xaverius vero conſtituta Eccleſia Japonica in Indiam rediit, profectionem in Sinas adornaturus, ut in illud quoque vaſtiſſimum Imperium triumphale Chriſti ſignum inferat.

## Articulus III.

### *Propagatio ulterior Chriſtianæ Religionis in Japonia.*

Primus omnium Regum, qui Religionem Chriſtianam ſunt amplexi, fuit Rex *Omuræ*, a Coſmo Turriano S. J. inſtructus & baptizatus, *Bartholomæus* cognominatus. Quamvis autem Bonzii grandem adverſus ipſum rebellionem concitarint, in fide tamen conſtans, adjutore Deo, omnes hoſtes ſuperavit, idque effecit, ut non modo aula univerſa, ſed etiam Proceres ac Dynaſtæ, quin plerique ex Bonziis Chriſto nomen darent. Acceſſerunt ex plebejis plerique, ut adeo in ſolo hoc regno anno 1577 ad viginti millia excreſcerent, Rex vero proſtratis idolis, & fanis in Eccleſias conſecratis, neminem in regno ſuo ſuſtineret, qui Chriſtianum ſe non profiteretur. Obiit hic heros ingens Chriſtianæ virtutis anno 1587, eo ſe conſolans, quod initio ſui regni nullum Chriſtianum in eo habuerit, nunc autem nullum habeat ſubditum, qui Chriſtianus non eſſet.

Lentior fuit *Regis Bungenſis* converſio; nam licet Chriſtianam Religionem laudaret, profiteri tamen illam publice necdum voluerat. Conceſſit autem, ut filius ſuus junior, omnibus ornamentis excultus Princeps, eandem amplecteretur, *Sebaſtianus* in baptiſmo appellatus; is cum *Funajum* veniſſet, omnia in urbe idola contrivit, nullo abſterritus aut patris aut gentilium metu. Secutus eſt haud multo poſt ipſe pater *Rex Bungi*, admiſſa profunde in animum doctrina, quam a Xaverio jam hauſerat. *Franciſcus* in baptiſmo eſt dictus, magnarum deinceps virtutum & Chriſtianæ fortitudinis idea: anno 1587 pientiſſime obiit, vitæ 58, baptiſmi recepti 9. Sacræ contemplationi ut liberius vacaret, Caroli V exemplo in ſolitudinem conceſſerat, translata in filium natu majorem regni adminiſtratione. Hic vero quamvis ad tempus magnum religionis Catholicæ deſiderium fervoremque præſeferret, conſtantiam tamen patris non eſt aſſecutus, metu belli inferendi, quod Franciſcus Rex, e ſolitudine ſua progreſſus, feliciter propulſavit.

Taceo converſiones illuſtres alias. Unam tamen, *Juſti* videlicet *Ucondoni* herois magnanimi præterire non poſſum. Is ex præcipua Japoniæ proſapia ortus, magnarumque opum Dynaſta, expenſa Deorum vanitate, uni ſe Deo ejusque cultui tradidit, omnesque ſubditos tum exemplo, tum monitione traxit, plura delubra diruit. Delatus propterea ad Imperatorem, cujus militiæ erat præfectus, gratia ex-

excidit, omnibusque bonis ſpoliatus in exilium ejicitur. Cum parente igitur, uxore & liberis, Manilam in Philippinas diſceſſit anno 1614, ubi anno ſequenti ſancte obiit, mira prorſus conſtantia animique æquitate omnes calamitates perpeſſus, imo ſolatio & gaudio exultans, quod pro nomine Chriſti pati conceſſum ſit.

Cum P. Alexander Valignanus, Viſitator, inſpecto Japoniæ ſtatu, iter Romam adornaret, tres Reges Chriſtiani, Franciſcus Rex Bungi, Protaſius Rex Arimæ, & Bartholomæus Rex Omuræ, ex ſua quisque familia *Legatum* addiderunt ad ſummum Pontificem, qui tunc erat, Gregorium XIII, ſuo nomine ſubjectionem eidem & venerationem conteſtaturum. Principes iſti, vernanti ætate Juvenes, quibus comes & moderator datus eſt *Georgius Loyola*, S. J. Religioſus, natus Japon, cum Valſignano anno 1582. Nangaſachi navem conſcenderunt, primumque Macaum, ac inde Malacam, Cocinum, Goam profecti, magna ubique cum veneratione ſunt accepti, præſertim vero Olyſſipone, & Matriti a Philippo II. Rege, ac Romæ, poſt triennem navigationem a Gregorio XIII, cujus pedes oſculati, Regum ſuorum litteras obtulerunt.

Manantibus præ gaudio lachrymis paternoque affectu amplexus eſt ſenex optimus filios, in extremo oriente Eccleſiæ natos. Mortuus eſt autem Gregorius, legatis Romæ adhuc commorantibus; unde Sixtus V ſucceſſor diſcedentibus dedit litteras ad Chriſtianos tres Reges reſponſorias. Miſit ſingulis ſacræ Crucis particulam cum gladio, atque paterne hortatus eſt ad conſtantiam.

Accepta dein benedictione, poſtquam cives Romani ſunt creati, reditum in patriam adornarunt, Ferrariæ, Venetiis, Parmæ, Mediolani, & quacunque tranſibant, effuſa populi multitudine, ſingulari cum honore excepti, per Hiſpaniam & Luſitaniam reverſi ſunt in regionem ſuam, in quam pervenerunt incolumes octavo peregrinationis ſuæ anno.

Ab ore eorum pendebant Japones, attoniti, cum narrarent Principes, quæ in Europa vidiſſent, urbium amplitudinem ac venuſtatem, templorum nitorem, cultus Divini majeſtatem, aularum magnificentiam, palatiorum ſplendorem, naturæ & artis miracula, cultos ac politos mores, honores ſibi ubique habitos. Alios profecto ſenſus de exteris nationibus concepere, qui ſua ſola ſuſpicientes, longinqua contempſerant.

Proteſtantes, quibus omnis Eccleſiæ ſplendor eſt ſudes in oculis, de hac legatione abjecte ſcribunt, eamque non niſi ad fucum faciendum a Jeſuitis adornatam; Japones illos, ſi tamen fuerint Ja-

pones, non fuiſſe de Familia Regia Principes; ſed viles ac ignobiles homines; non alio uſi argumento, niſi quod odium & livor dictaverat. Quaſi vero tot Luſitani, qui tunc temporis in Japonia negotiabantur, ipſaque adeo Regia Diplomata, non ſint idonei teſtes, qui veritatem comprobent, & Europæi Principes tam fuerint cæci, ut illudi ſibi paterentur. Luſitanorum in Japonia commercia haud multo poſt occuparunt Hollandi, quis autem eorum unquam auſus eſt, veritatem illius legationis inficiari?

Profuit etiam ad placandum Imperatorem Japoniæ; nam cum ille antea adverſus Chriſtianos fureret, intellecto legatorum adventu, curioſitate ductus, Meacum illos ad aulam ſuam accerſiit, atque ſuſpenſa aure eorum narrationes excipiens, concepta de Europa & aulis præſertim æſtimatione, atque auditis honoribus, qui Japonibus fuerant exhibiti, perſequi Chriſtianos deſiit, ingenti Neophytorum & Eccleſiarum emolumento. Omnes autem iſti legati Societatem Jeſu poſtea ſunt ingreſſi, a Valignano, qui eos in Europam ſecum duxerat, ſuſcepti, eorumque unus, Julianus Nacaura glorioſo martyrio fuit coronatus.

Spectatiſſime tunc florebat religio. Tredecim regna cum ſuis capitibus coronas ſuas Chriſto ſubmiſerant, Proceres plurimi atque provinciarum & militiæ Præſides ſequebantur exemplum. Matronarum nobiliſſimarum fervor enituit, ut adeo univerſæ idololatriæ excidium imminere videretur. In agro Domini tam amplo ac fertili laborabant operarii ex Societate noſtra 125, præter multos aliorum Ordinum Religioſos. Erecta Deo templa, & juventuti erudiendæ publica Gymnaſia, primorum Chriſtianorum fervor ubique ſplendebat.

Imperatores ipſi Cubo & Nobunanga apprime favebant ſanctæ legi, ejus propagandæ plenam poteſtatem faciebant; noſtris hominibus familiariter utebantur, præſertim P. Villela, Ludovico Froes, & Organtino, eoſque de religione diſſerentes avidis auribus audiebant; Bonzios vero tanquam impoſtores contemnebant, eorumque delubra diruebant, ut adeo non procul viderentur abeſſe a regno Dei. Sed poligamia & pellicum amor, uti apud plures Principes, ponebant obicem. Acceſſit Bonziorum furor. Et *Cubo* quidem, mota a Bonziis ſeditione, *anno* 1565 eſt interemptus, *Nobunanga* vero ſucceſſor, excisis Idolis & Bonziis, ſe unum adorari voluit; quapropter rebellione concitata in palatio ſuo obſeſſus, atque cum uxore & liberis crudeliter occiſus eſt (*anno* 1587.)

Succeſſit *Taycoſama*. Hic humili loco natus ruſtico ſerviebat. Meacum ſubin delatus in famulatum Nobunangæ fuit aſſumptus, valens ingenio & mira corporis agilitate; militiæ admotus, varia artis dedit ſpecimina, eo uſque, ut poſt Nobunangæ ruinam, ſubactis omnibus Japoniæ regnis, ad univerſi Imperii apicem eluctaretur. Chriſtianis initio clementem adeo ſe exhibuit, ut iis Ozacæ templum, & Patribus S. J. Collegium cum Gymnaſio erigeret. Plures in aula Chriſtiani utriusque ſexus verſabantur, præcipua gratia ornati. Nec minus benevolam ſe ſe Regina exhibuit. Chriſtiani autem in immenſum multiplicabantur. Verum tanta malacia immanem brevi tempeſtatem traxit.

## Articulus IV.

### *Taycoſamæ Perſecutio.*

Cur Taycoſama ſummam in Chriſtianos benevolentiam in crudeliſſimam tyrannidem ſubito mutarit, cauſa gemina fertur: & quod Luſitanus navem Firando Facatam transferre noluerit, & quod Chriſtianæ Virgines libidini Imperatoris ſervire detrectarint. Inde iræ, oleum flammæ affundente *Jacuino*, homine nefario, olim Bonzio, tunc Taycoſamæ Medico, qui formoſas eidem fæminas adducere conſueverat.

Pependit illico atrox edictum, quo omnes S. J. Miſſionarii Japonia migrare jubebantur (*anno* 1587); at paſtores ovile deſerere detrectantes, a Chriſtianis Principibus Omuræ, Bungi, Firandi, Amacuſæ, & potiſſimum Arimæ ſunt recepti, rebus Divinis & animarum ſaluti, occultius tamen, intenti. Qua moderatione placatus aliquantum Imperator, executionem Decreti non admodum urgebat, ſedataque haud dubie fuiſſet perſecutio, niſi Jacuinus medicus & Bonzii identidem Imperatoris aures malignis criminationibus obſediſſent, atque neſcio quæ Japoniæ pericula a Miſſionariis Europæis & augeſcente in dies Chriſtianorum multitudine inſuſurraſſent.

Accedebant Chriſtiani quidam Europæi, qui ſive ex malitia & invidia, ſive incuria flammæ fomentum addebant. Cum enim Taycoſama, ſubactis omnibus Japoniæ regnis, ad Philippinas quoque Inſulas ambitionem ſuam extendiſſet, litterisque ad Præfectum miſſis mandaſſet, ut Japoniæ Imperatorem agnoſcens Dominum ſuum tributa penderet; is, tanto bello impar, legatum, hominem Caſtellanum mi-

miſit, quem dudum invidia ufferat, quod excluſis Caſtellanis ſoli Luſitani commerciis Japonicis fruerentur; Dellianus (id legato nomen) ad Taycoſamam cum muneribus admiſſus, plures contra Luſitanos & Societatis Patres, quos illis nimium favere putabat, querelas propoſuit, exaggerato eorum in Japonia & *Nangaſachi* præſertim ac regno Ximo dominatu, & periculo, Imperatori propterea imminente: dividendam, ut Imperii ſecuritati conſulatur, plures inter gentes commercandi poteſtatem. Hæc aliaque adhuc malignius referebat legati interpres.

Taycoſama exæſtuans ira extemplo juſſit, collegium Nangaſachi & Eccleſiam, quam Societas habebat amplam & elegantem, everti funditus; atque in mores Luſitanorum inquirere. Acuebat tyranni furorem vox incauta navarchi cujusdam Hiſpani, qui ex Philippinis in novam Hiſpaniam vela facturus, ventorum procellis in Japonicum littus fuit ejectus. Dum Mexita aræ maritimæ Præfectus navem viſitat, armorum apparatum invenit cum mappa Geographica, qua Regis Hiſpaniarum regna ac provinciæ, in Europa, Africa, Aſia, & America ſitæ, erant delineata. Quæſivit Japon, quibus tandem artibus Rex unus tantum terrarum occupaſſet? Reſpondit navarchus: armis & religione: præeunt noſtri, inquiebat, ſacerdotes, & nobis viam ſternunt: Chriſtianis imbuunt ſacris populos, qui deinde in Hiſpanorum ditionem facile rediguntur.

Temerariam vocem Mexita ad Imperatorem detulit cum charta Grographica. Dici non poteſt, quantas in minas eruperit Taycoſama; accuſans longanimitatem ſuam, emittit in omnem partem apparitores, qui ſacerdotes comprehendant, donec renuntiet, quo genere mortis ſint plectendi. Norant noſtri Taycoſamæ indolem, variam, & verſatilem, facilem in iram furoremque ebullire, cum mora vero, & data pro opportuna occaſione per gratos ipſi homines meliori informatione, ſubſidentem. Quare cedendum tantiſper tempori zelumque in publico temperandum exiſtimabant, donec procella deferbeat, ne uno velut ictu 50 annorum labor cum lugenda Japonicæ Eccleſiæ ruina concidat.

Aliter viſum Patribus quibusdam Franciſcanis, qui nuper e Philippinis cum Delliano legato in Japoniam appulſi, zelo accenſi & martyrii deſiderio novum Meaci templum ac Monaſterium moliti, publice prædicare non deſinebant. Quapropter Taycoſama magis adhuc excandeſcens 24 Perſonas, ex quibus tres e S. J. reliqui potiſſimum ex Franciſcana Familia, Meacum primum, ubi eis auricula

fuit

fuit abſciſſa, per varias dein Japoniæ urbes ad ludibrium circumductos, Nangaſachi demum crucibus affigi præcepit.

Sanguis horum Martyrum non tantum non abſterruit Japones a publica profeſſione fidei, ſed vere erat ſemen Chriſtianorum. Tanta quippe eorum multitudo ex urbibus, oppidis, montibus & vallibus, martyrii deſiderio flagrans, convenerat, ut attoniti gentiles de mentis eos poteſtate exiſſe crederent. Nec ignobilis duntaxat vulgus mori pro Chriſto exoptabat, ſed Principes quoque viri & matronæ nobiliſſimæ, quin & pueri ſtupenda prorſus imperterritæ & invictæ fortitudinis dederunt exempla, Divina ita diſponente Providentia, ut in extremis Orientis partibus ferveret religio, dum in Occidente frigeſceret.

Cum Taycoſama cerneret, tot Martyrum ſanguine accendi magis in Chriſtianis Martyrii cupiditatem, quin imo in immenſum augeri eorum numerum, complures etiam Principes, & inter eos potentem Ximi Regem, in cujus ditione eſt Nangaſachium, ad Chriſti ſacra tranſire, ut Diocletianus olim, deſperans, eam gentem exſcindi poſſe, bellum *Coreæ* regno, Sinarum Imperatori ſubjecto, indixit, in Sinæ interiora inde penetraturus.

Verum eo in apparatu mors eum anno 1598, ne porro ſævire poſſet, oppreſſit, relicto *Fidegoro* ſexenni filio ſub tutela *Dayfuſamæ*, Regulos inter Japoniæ facile principis, reique militaris comprimis gnari, cujus filiam filio ſuo deſponderat. Adjunxit, ut filio ſuo certius caveret, novem Japoniæ Gubernatores. Admiſſus ad morientem P. Rodericius, qui ſaniora Japonico huic Pharaoni conſilia nequicquam ſubjecit.

## Articulus V.

### *Dayfuſamæ perſecutio.*

D*ayfuſama* initio valde faventem Chriſtianis ſe exhibuit; unde anno 1599 & 1600 mirum in modum aucta eſt Eccleſia. At vero cum omnia ferme ſolus pro arbitrio ageret, deſignati a Taycoſama regni Gubernatores, ſe neglectos graviter ferentes, bellum cruentum adverſus Dayfuſamam moverunt, in quo Chriſtiani magnas calamitates ſunt perpeſſi. Vicit ad extremum Dayfuſama, & rejecto pupillo Imperatorem ſe dixit. Fidegorus Ozacæ fuerat educatus, ibique Dayfuſama ipſum obſedit. Omnis Japonia in partes ibat, geſtumque

bellum graviſſimum, Chriſtianis ſane luctuoſum. Potitus tandem eſt victoria Dayfuſama, Fidegoro extincto; ſed anno ſequenti 1616 Dayfuſama quoque interiit.

Dayfuſama plus quam Taycoſama Eccleſiæ nocuit, licet enim hic ferocior eſſet & truculentior, furore tamen & irarum æſtu ſubſidente multa diſſimulavit, quæ prius decreverat. At ille, quo lentius incedebat, eo pertinacius atque nocentius.

Cur autem clementiam, qua Principatus ſui initio Chriſtianos proſecutus fuerat (ſicut etiam Taycoſama) in perſecutionem & tyrannidem converterit, ipſi Europæi occaſionem dabant. Nam per 50 prope annos ſoli Luſitani portus Japonicos frequentabant, commerciisque fruebantur: ſolique Patres Societatis noſtræ ſaluti animarum incumbebant, Miſſionariis aliis Decreto Gregorii XIII. aditu excluſis. Et hoc tempore ſatis quiete negotium converſionis ſecundoque curſu procedebat, ut adeo ultra ſexcenta Chriſtianorum millia numerarentur.

Hiſpani poſtea ex Nova Hiſpania & Philippinis Inſulis advecti, in partem mercaturæ venire cupiebant. Ex his, cum munera offerrent, quæſivit Dayfuſama, quam multæ naves ex Nova Hiſpania in Philippinas eo anno veniſſent (nam illi, ut olim Taycoſamæ, vicina in Philippinis potentia Hiſpanorum non levem incutiebat metum) multas veniſſe reſponderunt, easque armis & militibus refertas. At enim, ſubjecit, quorſum tot milites, tot arma? ad redigendas in ditionem Hiſpanam Moluccas, inquiunt. Vocem temere lapſam excepit Dayfuſama, memor alterius, qua Taycoſamam narravimus efferatum octo abhinc annis; nec dubitavit, quin Hiſpanorum ea mens & Luſitanorum eſſet, ut ſui Regis, non Chriſti proferrent Imperium, totidemque facerent perduelles, quot Chriſtianos. Monendum illico curat Regulum, cujus in portu mercatores Caſtellani conſtiterant, ut omnes ſe in navim recipere cogat, neque in Japonia morari patiatur.

Demum Hollandi quoque, quæſtus faciendi cauſa, navigarunt in Japoniam, in omnem occaſionem, ut Luſitanos Hiſpanosque commerciis dejicerent, ſibique monopolium conſtituerent, intenti. Hanc ſe nactos putabant, cum legatus Proregis Novæ Hiſpaniæ in Japoniam veniſſet, commercii rurſus tentandi cauſa: petiit is facultatem explorandi maris altitudinem, quo tutius e Mexico in Japoniam navigari poſſet. Dum igitur omnia Japoniæ littora nautico perpendiculo luce palam pertentat, ſuſpicionibus & ſermonibus locum dedit, quos ad aures Dayfuſamæ pertulit fama. Audiit Batavicæ navis re-

Juvencius.

&o-

ctorem de Geographia differentem. Quærit ex eo, quid ſibi velint Hiſpani cum iſto perpendiculo, tam diu, tam accurate? an ita mercatores Europæi conſueverint? Reſpondit Navarchus, non tam mercatorum id eſſe, quam militum, neque commercii cauſa id fieri in Europa, ſed belli: addit, Hiſpanos eſſe gentem ambitioſam, & ubique dominandi avidam: Patres Societatis in Japoniam advectos, illorum ſatellites: ab iis regna perturbari ſimulatione pietatis, avocari populos a Principum obſequio, & ad ſubeundum Hiſpanæ dominationis jugum perduci. Hanc ob cauſam a plerisque Germaniæ Principibus, ab Ordinibus Fœderatis Batavorum, & ab Anglis, tanquam publicæ rei perturbatores expulſos fuiſſe: religionem porro illam, quam docerent, non eſſe veram Chriſti legem, quæ ſolo Dei verbo nititur, ſed variis ſuperſtitionibus & commentis adulteratam.

His attonitus Imperator nullum amplius locum diſſimulationi eſſe putavit, nec tolerandos, quos ipſi Principes Chriſtiani ejeciſſent. Itaque ad extirpandum penitus Catholicum nomen deinceps totus incubuit: ac primo quidem 14 Proceres aggreſſus eſt, eosque, cum in fide immobiles experiretur, in exilium ejecit, illatis in fiſcum omnibus eorum bonis: ſubſecuta eſt brevi poſt proſcriptio omnium Miſſionariorum & Religio Chriſtiana graviſſimis ſub pœnis prohibita. Præfecti provinciarum Ethnici, cognita Imperatoris voluntate nimium diligenter eandem ſunt executi.

Generoſa certamina, victorias, conſtantiam, & heroicam, ſtupendamque prorſus fortitudinem, Chriſtianorum omnis ætatis, ſexus, & conditionis, deſcripſerunt Trigautius, Hazart, Juvencius, pluresque alii: primæ profecto Eccleſiæ martyres reſurrexiſſe videbantur. Quanta eorum contentio, ut in album morti deſtinatorum referrentur! quanta ad tormenta atrociſſima euntium alacritas! tenella virgo, ad palum alligata, ruptis igne vinculis, voracibus flammis jam undique depaſta, collectas utraque manu candentes prunas capiti impoſuit, illudque ſerto & corona cinxit. Et quot heroica id genus exempla! quot hic Agnetes, quas præconio ſuo celebrare poſſent Ambroſii!

Circa annum 1614 perſecutio maxime ſæviit; multi crudeliſſime necati, multi ex omni genere in exilium ejecti. Hos inter e Societate Jeſu 60 cum 50 Alumnis Seminariorum Macaum vecti ſunt, 23 cum Juſto Ucondono ejusque familia in Philippinas, 15 Patres cum 9 Fratribus occultati remanſerunt in Japonia. Petrus *Martinez* Japoniæ Epiſcopus, poſtquam multos ſacris ordinibus conſecravit, & innumeris Chriſtianis ſacramentum confirmationis contulerat, ne ipſius præſentia Imperatorem & ſatrapas gentiles magis irritaret, jam an-

ante in Indiam receſſerat. Succeſſit ei Ludovicus *Serqueira*, & huic 1614 mortuo Didacus *Valens*, omnes de S. J. obiit quoque Alexander *Valignanus* Italus Provincialis; de miſſione Japonenſi optime meritus, alterque poſt S. Xaverium Indiarum & Japoniæ Apoſtolus: nec minori laude digni Organtinus, Capralis &c.

Sed nec diu ſuperſtes fuit tyrannus Dayfuſama. Conatus ejus omnes eo collineabant, ut Imperium *Xoguno* filio ſuo pacate poſſidendum relinqueret, ſublato Fidegoro, Taycoſamæ filio, cui tutor fuerat datus. Cum autem occultis fraudibus nihil proficeret, cum ducentis militum millibus eundem Ozacæ obſedit, tandemque arcem cepit. Fidegorus fuga dilapſus interiit, & anno ſequenti (1616) ipſe etiam Dayfuſama, poſtquam filio, Chriſtianam ut gentem penitus exſcinderet, ultimam monitionem reliquit.

Meliori fine vitam malam clauſit *Conſtantinus*, Franciſci Bungi Regis, Chriſtiani illius Herois, degener filius. Is regnum a patre adeptus atque baptizatus, dignum tanto patre filium ſe probavit initio, ſed cum feralia Taycoſamæ Decreta circumtonarent, metu amittendi regni, deſerto Chriſto, ad idola aperte deſcivit, quin Chriſtianos impie eſt perſecutus. At ſenſit ultorem Deum; regno exutus, & in exilium ejectus vix habuit, quo vitam ſuſtentaret. Vexatio intellectum dedit; & quos mundana felicitas clauſerat, calamitas oculos aperuit. Ad veritatem reverſus, præclara ſeveriſſimæ pœnitentiæ virtutumque heroicarum exempla ad mortem uſque dedit, quam oppetiit anno 1605. Simile ferme juſtitiæ & miſericordiæ Divinæ exemplum exhibuit *Protaſius Rex Arimæ*, qui cum toto prope ſuo regno converſus, magnum initio fervorem zelumque religionis præſetulit, ut adeo etiam per legatum ad ſummum Pontificem Greg. XIII. venerationem & ſubjectionem ſuam erga Eccleſiam ſit conteſtatus; ſed procedente tempore in teporem ſubſidens, ut Imperatoris gratia non excideret, egit aliqua, Chriſtiano Principe indigna. At per quod peccaverat, punitus eſt, a proprio filio, quem, Chriſtianus licet & ipſe eſſet, compulerat, ut repudiata uxore legitima Dayfuſamæ proneptem duceret, throno dejectus, atque ejusdem Imperatoris juſſu capite truncatus eſt, poſtquam Dei miſerentis gratia per ſeriam pœnitentiam peccata eluit.

Ar-

## Articulus VI.

### *Xoguni, & Toxoguni perſecutio atrociſſima, atque Religionis extirpatio.*

Dayfuſamæ anno 1616 ſucceſſit filius *Xogun*, qui *Xogunſama* appellari voluit, nihilo patre melior, imo pejor; nam feralia Taycoſamæ & Dayfuſamæ Decreta confirmavit, atque per totum Imperium promulgari juſſit, atrociſſima inſuper tormenta invenit, quibus truculentiorem te tyrannum probaret. Nemini Chriſtiano eſſe impune licuit. Quicunque deprehenſi ad flammas damnati.

Nec ſegniter ii, qui in Europa Chriſtiano nomine gloriantur, rogos Japonicos accenderunt, Hollandi inquam, & etiam Angli, qui, ut commercia ſibi ſolis propria facerent, diligenter collaborarunt, ut omnes Hiſpani ac Luſitani aditu prohiberentur. Unum in eam rem documentum affero. Anno 1620 Joachimus, Chriſtianus Japon, Manila in patriam ſolvens, catholicos aliquot ſacerdotes in navim aſſumpſerat. At Hollandi non contenti hanc navem invadere, ac ſpoliare, Joachimum inſuper & ſacerdotes ad Imperatorem detulerunt, quod contra leges Imperii auſi fuerint, e Philippinis in Japoniam navigare. Excandeſcens Xogunus omnes comprehendi & ignibus exuri juſſit. Hollandi autem, cum omne nomen Chriſtianum eſſet exoſum, non *Chriſtianos*, ſed *Hollandos* ſe dixerunt, egregii Chriſti profeſſores.

Apertum tum plenum crudelitatis theatrum, & quidquid orci rabies ſuggerere poterat, exprомptum; cum enim tyranni cernerent, Chriſtianos gaudio exultantes in mortem ire, eorumque glorioſa morte augeri Chriſtianorum numerum, per lenta ſupplicia torquendos decernunt, ut vitæ prodigi mori ſe ſentiant, & tormentorum acerbitas moriendi deſiderium extinguat. Per lentos ignes uſtulabantur, inſuti ſacco in cumulum velut lignorum ſtrues conjiciebantur, ut contabeſcerent; jam in glaciales, jam ferventes lacus nudi mergebantur, ad extremum pedibus in furca ſuſpenſi, capite in terra defoſſo, in nonum aut decimum diem inauditis doloribus plenam mortem trahebant. Nec paſtores duntaxat, uti multi ex Ordine S. Dominici, S. Franciſci, S. Auguſtini, & Societate Jeſu horrendis iſtis ſuppliciis necabantur, ſed oves quoque & agnelli ſine numero mactabantur.

Xogunſamæ tyranno ſanguinario anno 1629 ſucceſſit barbaræ crudelitatis & Imperii hæres *Toxogunſama* filius. Huic ſuggerebant Hollandi mercatores, fruſtra tormentis ac cædibus laborari ad extinguendam peregrinam legem, quamdiu Luſitanorum navibus advehantur novi Doctores, qui ab iis in Japonia clam ſuſtententur: Luſitanis auctoribus ortam conſpirationem Arimenſem. Imperator efferatus, Edicto publicato, Luſitanis (id quod Hollandi quærebant) omni commercio, imo & acceſſu in Japoniam interdixit. Cumque quatuor Legati Macao ad Imperatorem veniſſent, eos comprehendi & necari præcepit. (*Anno* 1639)

Hazart.

Anno 1642 quinque Patres S. J. non obſtantibus expoſitis in omnibus littoribus vigiliis in Japoniam penetrarunt; ſed mox proditi per inaudita tormenta vitam finierunt. Ab anno 1658 ad 62 ſexcenti Japones glorioſo martyrio ſunt coronati; ſacerdotes autem in cryptis ſubterraneis potiſſimum latitantes preſſæ Eccleſiæ, uti primis ejusdem ſeculis, ſe reſervarunt. Aliqui ruſtico habitu amicti currum agentes olera & obſonia circumvehebant, ut in domos Chriſtianorum ſe inſinuare, & animabus proſpicere poſſent. Quidam pro mancipiis ſe gerentes agebant per plures annos remiges, ut tandem in Japoniam poſſint evadere, atque laboranti Eccleſiæ ſuccurrere.

Anno 1663, 68, 69 adhuc multi martyrio ſunt affecti a Toxogunſama tyranno, qui tandem poſt nimis diuturnam lanienam, ad reddendam Deo rationem evocatus eſt, nullo relicto hærede. Unde Imperium ad duodennem alterius ſtirpis Principem eſt devolutum, cui quatuor Gubernatores ſunt adjuncti, a quibus requies aliqua Chriſtianis conceſſa memoratur. Impium quoque mandatum, quo Japoniam ingreſſuri crucem calcare jubebantur, ſublatum dicitur, ut adeo non modica ſpes affulſerit Chriſtianis priſtinam libertatem conſequendi.

P. Cornelius Hazart in fine Hiſtoriæ ſuæ Japonicæ adducit teſtimonium Elſtratii ſcriptoris Batavi de mandato, Batavis mercatoribus & nautis a Societatis Indicæ Præfecto dato: quo videlicet prohibeat omnem externum cultum Chriſti, preces, pſalmos, celebrationem diei Dominicæ ac Feſtorum, ſed ſolo cultu interno contentos eſſe jubeat, ne navigationi & mercaturæ periculum creetur.

Subjungit ex Joanne Alberto de Mandelslo *part.* 2 *in deſcript. itin. Orient. pag.* 453. Præfectum navis Hollandicæ, anno 1646 in Japoniam appulſæ genti ſuæ nauticæ præcepiſſe, ut, ſi a Japonibus interrogarentur, an Chriſtiani ſint, reſponderent: *non ſumus: ſed veri Hollandi ſumus:* neque ullum externe ſignum edant, unde dignoſci poſſet, quod ſint Chriſtiani.

In-

Invehitur deinde Hazartus in hos Chriſtianos, fidem Chriſti abnegantes: oſtenditque, quales ſint *Evangelici*; cum aperte agant contra Evangelium *Matth.* 10 & *Lucæ* 9. Ubi clariſſimis verbis præcipitur externa profeſſio fidei; nam qui erubuerit, Chriſtum confiteri coram hominibus, hunc erubeſcet Chriſtus coram Patre ſuo cœleſti: & dicente Apoſtolo: *ore fit confeſſio ad ſalutem.*

Aſſignat denique diſcrimen inter prædicatores vere Evangelicos, & Miniſtellos, qui ſe dicunt Evangelicos: quid illi fecerint, tulerintque, & quid iſti. Exprobraſſe Præconibus Batavicis Hollandum Nobilem, qui præſens fuiſſet martyrio igniario P. Caroli Spinolæ, unum lignorum faſciculum ardentem ad fidem eis eripiendam ſuffecturum. At Catholicos cum gaudio ad rogos, ad flammas currere.

P. Fontanay Miſſionarius S. J. in Sinis, datis ad P. de la Chaiſſe, Ludovici XIV. Regis Chriſtianiſſimi Confeſſarium anno 1704 litteris, ſcribit, in Japonia ſolis Sinenſibus & Hollandis permiſſum eſſe commercium, nec alium etiam iſtis portum patere, niſi Nangaſachienſem, gemina utrinque arce arcte cuſtoditum. Quamprimum eminus navis conſpiciatur, celocem illico expediri, quæ totam navim exploret, homines ſingulos mercesque ad minutias uſque annotet, atque ad officiales Nangaſachienſes referat, nihilque prorſus eſſe, quod poſſit occultari. Maxime autem explorari religionem: ſubſterni navi egredientibus laminam cupream, cui Chriſti Crucifixi effigies ſit inciſa, hanc a ſingulis nudo pede debere calcari: tum ſcripturam prælegi, execrationibus in Chriſtianam Religionem & impiis edictis plenam. Tam Sinenſes quam Hollandos habere extra urbem proprias ædes, in quibus perpetua cuſtodia ſepti obſerventur, magis tamen iſti quam illi. Si librum aliquem in navi deprehendant, illum ocius in mare projici.

An adhuc ſuperſint Chriſtiani aut monumentum ſanctæ Religionis, quæ ante centum annos in Japonia tam pulchre floruerat, explorari a ſe non potuiſſe: impoſſibile eſſe Miſſionario per tot clauſtra, vigilias, & calcatam impie crucem in Japoniam penetrare.

# CAPUT XXVII.

## *Itinerarium Caſpari Schillingeri per Aſiam in Indias Orientales.*

Sub initium hujus ſæculi Caſparus Schillingerus, Ethlingenſis ex Marchia Badenſi, Chirurgus, in Indiam Orientalem profectionem inſtituit, quam redux in patriam, prolixa deſcriptione complexus eſt. Quæ, cum non parum eruditionis contineat, digna eſt viſa, quam in brevem ſynopſin contraham.

Caſparus igitur, peregrinas regiones viſendi cupidus, P. Wilhelmo Weber, ex Rheni, & Wilhelmo Meyer, ex Germaniæ ſuperioris S. J. provincia ad Miſſionem Malabaricam deſtinatis, ſe aſſociavit, cum Erneſto Hanxleden Novitio. Auguſta profecti, Oeniponto, Tridento, Venetiis, Ferrara, Bononia, ſuperatoque Apennino, Florentia, & Piſa, Liburnum pervenerunt; ubi conſcenſa navi Gallica, Siciliam inter & Africam vecti, Melitam attigerunt, Inſulam, ordini Equeſtri S. Joannis, Rhodo expulſo, a Carolo V. donatam. Urbs eſt permunita, Mahometanorum frænum, Chriſtianorum decus & tutela. In medio magnifica S. Joannis Baſilica & palatium Magni Magiſtri illam exornat.

Ab hac Inſula digreſſi, Creta ſeu Candia ac Rhodo ad lævam relictis, in Cyprum venerunt, rebus omnibus abundantem Inſulam, quam Selymus Turcarum Imperator anno 1567 Venetis extorſit. Nicoſia, Famauguſta, Ceraunia, Salina, Lernica, Paphos, celebriores ſunt urbes. Sicut Melitæ omnia caro, ſic in Cypro omnia propter abundantiam viliſſimo ſtant pretio. Galli, Angli, Hollandi hic ſuos habent conſules, & Patres Franciſcani hoſpitium, quo ſuos, ad ſacrum ſepulchrum pergentes recipiunt. Eſt etiam Cyprus S. Pauli prædicatione & Barnabæ martyrio celebris.

Antiochiam inde, ubi fideles primo cognominati ſunt Chriſtiani, prætervecti *Alexandretam*, in finibus Mediterranei ſitam, appulere. Frequens eſt commerciorum emporium, in quo naves Europeæ in Aſiam tendentes ſolent appellere. Et propterea etiam hic Galli, Angli & Batavi, negotioſæ gentes, ſuos habent Conſules. Exercitium Religionis Chriſtianæ eſt ibidem liberum ſub cura P. Franciſcani. Ab Alexandro M. urbs ædificata dicitur, & ab eo nomen accepiſſe.

Ab Alexandreta terminus proximus erat *Aleppo* (*Berrhœa, Lariſſa, Chalybon*) in Syria, a Tamerlane olim vaſtata. Sicut autem Conſtantino-

tinopolis in Europa, Cairum in Africa, ſic Aleppum in Aſia præcipua eſt Turcarum civitas, opulentiſſima commercialis ſtatio, quam Poloni, Itali, Hungari, Galli, Angli, Belgæ, Moſci, Græci, Natolii, Armeni, Georgiani, Medi, Perſæ, Indi, Ægyptii, aliarumque Nationum ex Europa, Aſia, Africa, mercatores & opifices frequentant. Templa Turcica ultra centum numerantur, in quibus Turcæ multo modeſtius devotiusque ſe gerunt, quam Chriſtiani Europæi in ſuis. Cum autem multi ſint in ampliſſima illa urbe Catholici, Patres Carmelitæ, Franciſcani, Capucini, Jeſuitæ, Gallicæ gentis, ſedem fixerunt, ſingulique ſuas habent Eccleſias; in quibus magis Catholicis provident, quam Turcas obduratos convertant. Sedet ibidem Baſſa Syriæ, ſeu Suriſtan, ut Turcæ appellant.

Statuerant ibidem peregrinantes noſtri per Euphratem & Sinum Perſicum in Oceanum atque Indiam navigare; ſed cum in illis partibus bellum iter intutum redderet, circuitu uſi, per Armeniam & Perſiam profecti, primum *Erzerum*, magnam ſed obſoletam urbem, in majori Armenia ſitam, pervenerunt. *Armenia* in *Turcomanniam* & *Churdiſtanum* hodie diviſa eſt, quæ a Septentrione per Caucaſum a Georgia ſeu Colchide, ab Oriente per Caſpios ſcopulos a Media, ad meridiem per montem Taurum a *Diarbecia*, ſeu *Aſſyria* & *Meſopotamia*, ab Occaſu per Euphratem a Cappadocia ſeparatur. Mediam ſecat mons Antitaurus in Armeniam borealem & auſtrinam; in hac mons *Ararat* viſitur, in quo Arca Noe, poſt diluvium, quieviſſe dicitur.

Poſtquam Miſſionarii barbaram & inhumanam Turciam, in qua multa paſſi ſunt, reliquerunt, & politam, humanamque Perſiam ingreſſi ſunt, veſtes Turcicas, quas induerant, depoſuerunt, rurſusque Europæas induerunt; cum intellexiſſent, ſe magis in his, quam illis Perſis placituros. Marzini in *Georgia*, Perſicæ ditionis provincia invenerunt Monaſterium, in quo centum Monachi ſchiſmatici Græcæ religionis habitant, cum Patriarcha Armeno. Negant proceſſionem Spiritus S. a Filio, Primatum Romani Patriarchæ, beatitudinem ante diem judicii, ignem purgatorii, quamvis pro defunctis orent, uſum in Euchariſtia panis azimi. In reliquis omnibus cum Eccleſia latina conſentiunt, in quantum dogmata ſpectat.

Porro *Georgia* ſeu *Gurgiſtan*, ad mare Caſpium ſita, Mediam & majorem Armeniam atque Caucaſum attingit. Orientalis complectitur provinciam *Carduel*, in qua urbs princeps *Tiflis*: *Dageſtan*, in qua *Derbentum*; *Kachetum*, in qua *Zachanum*. Occidentalis Georgia, olim Colchis & Iberia, nunc *Mingrelia* appellatur.

In finibus Georgiæ eſt *Erivan*, haud procul *Araxe*, urbs celebris, quam anno 1637 Rex Perſiæ Turcis eripuit, arce, æneis machinis, & valido præſidio egregie munita. Suburbia decuplo ſunt urbe majora. Patres Societatis noſtræ Galli ibi habent Reſidentiam, in qua duo ſacerdotes cum fratre laico privato fruuntur Religionis exercitio: ſuſtentati ſunt, ſicut in Turcia, Perſia, & aliis orientalibus provinciis a Rege Chriſtianiſſimo, nec aliter Catholici Europæi appellantur, ac *Franchi*. Baptizandis Infidelium infantibus moribundis potiſſimum lucrum reportant. Memorabilis eſt ibidem fœminarum modeſtia, quæ, ſi mares eis occurrant, tamdiu in partem oppoſitam faciem avertunt, donec præterierint. Porro in urbe habitant Perſæ, in ſuburbiis majori multo numero Armeni Græcæ religionis.

Prætendunt iſti, præſertim qui in monte Ararat degunt, per traditionem ſe accepiſſe, 1. hic Arcam reſediſſe, pluraque illius ſupereſſe fragmenta, in lapides mutata. 2. Noemum ibidem inter filios ſuos orbem terrarum diviſiſſe, & Semo quidem verſus orientem magnam Aſiam, Chamo verſus meridiem Arabiam & Africam, Japheto verſus occaſum Aſiam minorem & Europam pro ſua portione hæreditaria aſſignaſſe, montemque iſtum ſtatuiſſe terminum, a quo ſingulorum ditio inchoaretur. 3. Poſtquam Noe de monte deſcendit, Erivanum conſtruxiſſe, ibique ſedem fixiſſe. 4. Situm hic fuiſſe paradiſum, ex quo, circa montem Ararath, prout legimus Gen. 2, quatuor oriuntur flumina, videlicet *Phiſon*, qui circuit terram Hevilath (nempe Colchidem) ubi naſcitur aurum, & in Pontum Euxinum ſe exonerat; *Gehon*, qui putatur eſſe Araxes, & in mare Caſpium influit: Tigris & Euphrates, qui in Sinum Perſicum ſe evolvunt.

Miſſionarii Meſopotamia, Armenia & Georgia peragrata pervenerunt in regnum *Mediæ*, quæ Armeniam, Georgiam, mare Caſpium, Hyrcaniam, Parthiam, & Aſſyriam attingit. Spectat ad Regem Perſiæ; urbs princeps eſt *Tauris*, quam *Ecbatanam* illam ſuperbam, ab Arphaxat ædificatam, Regum Mediæ ſedem, fuiſſe putant. Omnium prope nationum homines, ſicut Aleppi hic ſua tractant commercia, Ægyptii, Arabes, Turcæ, Armeni, Georgiani, Tartari, Indi, Ruſſi, Itali, Galli, Poloni, Angli, Hollandi. Pretioſiora urbis templorumque ornamenta Solymannus II anno 1535 Cpolim avexit, cum peritiſſimis artium magiſtris. Duo hic Patres Capucini Religionis curam gerunt. Quamvis autem incredibilis Tauriſii ſit hominum multitudo, viliſſimo tamen omnia væneunt pretio.

Re-

Relicta dein ad lævam *Hyrcania*, regionum illarum propter ubertatem paradiſo, ingreſſi ſunt Parthiam, ejusque urbem præcipuam *Sultaniam*, a Tamerlane dirutam, Regum olim ſedem, qui ſe Sultanos dicebant, nunc autem, ne cum Turcis, hoſtibus ſuis, commune quid haberent, *Chanos*, *Schach*, *Sophos*. Transmiſſo tum monte Tauro, qui per minorem majoremque Aſiam exporrigitur, *Caravana* (ſic appellant Turcæ & Perſæ itinerantium ſocietatem, ex multis hominibus collectam) occurrerunt grandes aliæ Parthorum urbes, Caſſinum, Komum, & Kaſchanum, donec 28 Maji 1700 noſtri Europæi in comitatu Legati Ruſſici *Iſpahanum* ſunt ingreſſi, & per tres menſes in domo Societatis noſtræ, Gallicæ nationis, diverſati.

Perſia eſt inter quinque maxima Aſiæ regna, Sinicum nempe, Tartaricum, Mogolicum, Turcicum, & Perſicum, intra Mogoriam, Caucaſum, mare Caſpium, Turciam, & mare Perſicum concluſa. Complectitur Perſiam ſpecifice ſumptam, *Parthiam*, *Suſianam*, *Hyrcaniam*, *Mediam*, *Bactrianam*, *Margianam*, *Arachoſiam*, *Kirmaniam*, *Ormuzium*. Suſiana dicitur ab urbe *Suſa*, in qua olim Aſſverus, aliique Perſarum Reges ſedem ſuperbam fixerant.

Perſæ ſunt robuſto corpore, perſpicaces ingenio, politi moribus, humani in advenas, grati beneficiis; nec matheſeos diſciplinæ ignari. Mercimonia autem potiſſimum exercentur a Chriſtianis Armenis. Polygamia aliqui perpetua, temporali alii contaminantur; aliisque ſecundum interpretationem Aly Alcorani carnalibus vitiis. De transmigratione animarum pariter ineptis deluduntur fabulis. Chriſtianus deficiens ad Mahometiſmum omnia fratrum & propinquorum bona capit. Viget apud eos circumciſio; ſolem tamen non amplius adorant.

Regimen ſicut in Turcia eſt omnino Monarchicum, ad varias ſucceſſu temporum Nationes translatum. *Iſpahanum*, bis a Tamerlane vaſtatum, reparatumque in Regiam evaſit; ſicut olim Thebæ centum portis nitet, octo milliaria Germanica in ambitu cum ſuburbiis complexum, hortis tamen multis diſtinctum. Sacellum habet privilegio Aſyli munitum. Mercatores ex omni natione conveniunt. Res autem vili ſunt pretio propter omnium abundantiam, & artificum multitudinem.

Templum Societatis præ reliquis eſt nitidum, tribus aris variisque ornamentis, ex Gallia allatis, inſtructum: pavimentum panno inſtratum, cum more gentis nudis pedibus ſit incedendum. Quot Dominicis Feſtisque diebus ad frequentem Auditorem habetur concio, alternatim nunc Gallico, nunc Armeno ſermone; permiſſumque eſt,

campana, ex turri dependente, populum convocare. Vicinus quidam Perſa, cui gravis erat hic ſonus, a Rege petiit, illum interdici. Reſpondit Rex, curaturum ſe, ut non amplius ipſi ſit moleſtus; miſſoque lictore caput illi amputari juſſit. Domui Societatis contiguum eſt Gymnaſium, in quo ad centum adoleſcentes Europæi Latina, Gallica, & Armena lingua imbuuntur. Cum autem magna ſit Mahometanorum in templis ſuis modeſtia ac reverentia, Catholici eandem in Eccleſiis æmulantur.

Cum Miſſionarii ad iter ſe accingerent, *Bittus* Gallus, Babyloniæ Epiſcopus, apparatu ſacro eos large inſtruxit: Boſſetus vero dives mercator catholicus, patre Gallo, matre Armena natus, Societatem in Malabariam euntium ex ſolis Chriſtianis collegit, quibus ſacerdotes noſtri, quandocunque ſe dabat occaſio, Miſſam dicebant.

Iſpahano migrantibus prima magni nominis urbs occurrit *Schiras* ſive *Siras*, metropolis olim Perſiæ, ab Alexandro M. vaſtata. Sunt in ea Patres Auguſtiniani ex Luſitania, & Carmelitæ ex Italia, tres itidem commercii gratia conſules, Gallus, Anglus, & Batavus: altera Zelminar, olim *Perſepolis* celeberrima, quam Alexander M. in gratiam ſcorti redegit in cineres: tertia Abaſſia ad Sinum Perſicum. Tribus inde milliaribus in eodem Sinu eſt *Ormus*, ſeu *Ormuzia* Inſula, a Luſitanis olim occupata, in qua Gaſpar *Barzæus*, a S. Xaverio Goa miſſus, magno cum fructu Evangelium prædicaverat. Sed Abas Rex Perſiæ anno 1623 ope Anglorum & Hollandorum eandem Luſitanis eripuit, commercio in Kirmaniam translato, quo Angli & Hollandi egregie utuntur, illi quidem ſerico & goſſipio, hi vero aromatibus negotiantes. Ormus vero Urbs & Inſula de ſe ſterilis fuit deſerta, ſola arce, quam Luſitani ædificaverant, ſub præſidio Perſico retenta.

Duo Patres Miſſionarii, Wilhelmus Weber & Meier, qui hactenus, ut in Malabariam pervenirent, tantum terrarum fuerant emenſi, tantasque moleſtias exhauſerant, Sinui Perſico commiſſi, cum diu noctuque ægrotis inſerviſſent, lue & ipſi, quæ in navi graſſabatur, correpti, conſumptique ſunt, in conſpectu ferme termini, ad quem omnibus votis anhelabant. Omnes in navi pientiſſimos hos viros deplorabant, Schillingerus præſertim Chirurgus, qui eorum beneficiis hactenus vixerat. Navigavit ille nihilominus, relicta ad lævam Cambaya, Suratam, in regione Guzurata locatam, ſub ditione Mogoris.

*Surata* eſt urbs magna, commercantium in Indiis frequens emporium, in quo negotiantur Turcæ, Perſæ, Judæi, Arabes, Abiſſini,

In-

Indi, Galli, Angli, Batavi, aliæque Nationes Europææ. Solum telonium hic ducenta ducatorum millia importare in ærarium Mogoris dicitur. Merces autem ſunt ſericum, goſſipium, linum, ebur, gemmæ, vaſa porcellana, fabæ thermopotæ, lapis Bezoar, qui in ſtomacho Indicorum animalium naſcitur: adhæc mala Granata, Punica, Aurea, Citrina, aliique fructus diverſiſſimi. Incolæ ſunt perquam humani, præſertim erga peregrinos. Religio eſt libera: Chriſtiani, Ethnici, Mahometani in una platea habitant. Catholicus Divinus cultus a Patribus Societatis Jeſu & Capucinis latino ſermone peragitur. Ethnicorum varia eſt conditio: eorum Popæ aliqui molles, in ſpurca ſcelera projecti, aliqui extreme in victu & veſtitu rigidi. Animalia, quaſi Numen illis quoddam ineſſet præcipue vaccas, ridiculo cultu proſequuntur: vel vermiculum occidere nefas ducunt: quin hoſpitalia pro iis erigunt. Pythagoræ fabulis de metempſicoſi ſunt imbuti: in vaccam tranſire maxime exoptant. Mahometani autem Mogores interpretationem Alcorani longe aliam ſequuntur, nempe *Hembeli*, Turcæ Omari, Perſæ Aly, Tartari Schafei. Unde tanquam hæreticos ſe mutuo inſectantur.

Conſcenſa tum navi, & anchoris ſolutis, relictoque ad dextram *Dio* Luſitanico munimento, in quo Societas noſtra habet collegium, prout etiam Damani, perventum *Goam*, principem Luſitanorum in Indiis urbem, egregie munitam, Archiepiſcopi & Proregis ſedem, in qua varii Religioſi Ordines ſuum habent domicilium, Patres Societatis, præter plura Seminaria, Collegium, Academiam, Domum Profeſſam, & Novitiatum, unde tot in Indiam, Sinas & Japoniam Chriſtiani heroes prodierunt.

Navigatum inde prope Calecutum, quod proprium Regem Ethnicum habet, quem *Zamorinum* appellant: prope item *Cranganorem*, & *Cocinum*, quod anno 1662 Hollandi Luſitanis eripuerunt, relictis ex politicis rationibus Jeſuitis in ſuo Collegio & Scholis. Prætervecti pariter ſunt *Travancorem*, Culam, & promontorium Commorinum, donec in Inſula *Ceylano* appellerent, Indiæ velut paradiſum. Pertinuerat ad Luſitanos, ſed Hollandi eos ejecerunt, ejecturi etiam Jeſuitas, niſi omni conatu obſtitiſſent Catholici incolæ, eos animarum curatores habere certi, quos ſibi dediſſet S. Xaverius. Retinet tamen adhuc partem Inſulæ Rex Ethnicus. Abundat autem Ceylanum auro, argento, cupro, plumbo, ferro, gemmis, margaritis & unionibus.

Per Sinum Gangeticum in *Bengalam* iter dein inſtitutum, quæ magno Mogoli eſt vectigalis: multi Europæi mercatores hic ædes ſuas & officinas habent. Commendatur incolarum humanitas, quamvis plerique ſint Ethnici.

Tandem Schillingerus, receptus in navem Gallicam, per Ponticherium in ora Coromandelis, Promontorium Bonæ ſpei & mare Atlanticum in Galliam, indeque poſt triennem profectionem Etlingam patriam ſuam rediit.

# LIBER SECUNDUS.

## *Status Africæ.*

## CAPUT I.

### *De Africa in genere & Ægypto in ſpecie.*

Africa, grandis mundi pars, ingenti terrarum tractu ultra tropicum Capri excurrens, mari Mediterraneo, Erythræo, & Oceano concluditur. Magnæ peninſulæ formam præfert, cum in ſola Ægypto, magno illo iſtmo, mari rubro & mediterraneo interjecto, continenti adhæreat. Cum æquator mediam interſecet, zonæ torridæ tota propemodum ſubjecta, portione non admodum magna ultra tropicos protenſa, ingentibus caloribus æſtuat; unde, ſicut ferarum beſtiarum eſt feraciſſima, ita & nigrorum hominum, qui belluarum naturam ferme imitantur; neque enim alia ſub ſole gens tam barbara, eos ſi populos & terras excipias, quæ maribus & fluminibus, uti Nigro ac Nilo irrigantur. Prout enim ibidem gleba eſt fertilior, ita indoles minus barbara, ſed per Europæorum commercantium conſuetudinem magis manſuefacta: Cafres ſi demas, moris ſui ferocis retinentes. Triplo major eſt quam Europa, quamvis propter deſerta triplo forte pauciores in ea ſint homines.

Regna & provincias multas continet; & quidem ex parte Boreali Mediterraneo adjacent *Ægyptus*, (quam Nilus interfluens mire fœcundat) & *Barbaria*, etiam antiquitati notiſſima. Nam Ægyptus cum

cum Scythis & Phrygibus de vetuſtate originis concertat. Oſiris, Chami filius, primus illius Rex fuiſſe traditur, ſub bovis ſpecie *Apis*, *Serapidis*, aut *Jovis* Hammonii nomine cultus: *Jo* vero, ejus uxor, ſub nomine *Iſidis*, in Mythologia ob adulterinos Jovis amores famoſa. Reges Ægypti tunc omnes *Pharaones* appellabantur, quamvis peculiaribus etiam ſuis nominibus inſignirentur. *Orus I.* Joſephum regni Gubernatorem conſtituit. *Seſoſtris*, ſive Seſac, orbem victoriis emenſus, atque ſeditione in Ægyptum revocatus, a Colchorum tandem Rege victus eſt. *Orus II.* cum Iſraelitas inſequeretur, mari rubro hauſtus. *Sethoſis* victricia arma per Septentrionem & Orientem circumtulit, ut adeo Ægyptus non raro valide concuſſerit Aſſyriorum Imperium. Judæi, in medio poſiti, jam in hanc, jam in illam partem inclinati, ab utraque vapulabant.

Pharaonitus extinctis *Duodecemviratus* fuit inſtitutus, donec ex his unus, Pſammiticus collegas ſub jugum miſit, & Ariſtocratiam rurſus in Monarchiam mutavit. Verum Cambyſes, Cyri filius, Pſammiticum Regem cum tota Ægypto Imperio Perſico ſubjecit.

Cum autem Alexander M. Perſicam Monarchiam ſubegiſſet, Ægyptus quoque Græcorum jugum ſubiit. Poſt mortem Alexandri, cum ejus Duces provincias inter ſe diſtribuiſſent, regnum Ægypti *Ptolomæo Lagi* obtigit, omnesque deinceps Reges *Ptolomæi* ſunt appellati. Ptolomæus *Philadelphus* notus eſt a grandi Bibliotheca, Alexandriæ inſtructa, & 70 Interpretibus, qui ſacra Biblia ex Hebræo in Græcum verterunt.

Magna deinceps & frequentia orta ſunt bella inter Ægypti & Syriæ Reges; nam quo plura inter eos contracta ſunt connubia & affinitates, eo plura ſunt jacta bellorum ſemina, jam Syris in Ægyptum, jam Ægyptiis in Syriam irrumpentibus, & velut pro dominis ſe gerentibus, donec a Romanis, diſcordiis iſtis ſe in rem ſuam miſcentibus, regnum utrumque periit.

Ultima, quæ regnum Ægypti tenuit, fuit *Cleopatra*, quæ, ut regnum ſibi magis firmaret, Marco Antonio, Romano Triumviro, adulterinis nuptiis ſe conjunxit. Sed *Actiaca pugna* ab Auguſto Octaviano, altero Triumviro ſuperata, ſe ipſam cum Antonio interemit; omniaque in poteſtatem Romanorum ſunt devoluta. Ultimum quippe erat Regnum Ægyptiacum, in quo tandem Monarchia Græca penitus defecit.

Facta igitur Æpyptus ſub Auguſto Romani Imperii provincia; Sæculo III Zenobia Regina Galieno eandem eripuit, ſed Aurelianus, victa Zenobia, recuperavit. Anno 640 ad Arabes Saracenos eſt devolu-

voluta, qui ſub nomine *Calipharum* illam regebant. Primus eorum fuit *Omar*. Ægyptii dein pulſis Arabibus ſibi ipſi Caliphas elegerunt, donec a *Sultanis* Babyloniis ſubacti ſunt. Potentiſſimus eorum *Saladinus* anno 1187 capta Jeroſolyma Chriſtiano ibidem regno finem impoſuit.

Cum autem molles Ægyptii minus eſſent ad bellum habiles, Sultani Circaſſos ſervos, barbarum & ad arma duratum hominum genus, conduxerunt. Chriſtianorum quoque infantes, Mahometanis fabulis imbuti, ad hanc militiam educabantur. Acceſſeruut multi a fide apoſtatæ. Hæc colluvies *Mammelucorum* nomine compellabatur, & hodiedum deſertores fidei *Mammeluci* vocantur. Fœx iſta militaris ad tantas denique vires excreverat, ut ſubacta Ægypto Regem ſibi proprium deligeret. At vero anno 1517 *Selimus I. Turcarum Imperator*, everſo Mammelucorum regno, Ægyptum ſubjugatam, Turcici Imperii provinciam conſtituit, futuram, ſicut dudum ante fuerat, Conſtantinopolis horreum: atque in hoc ſtatu hodiedum perſeverat; quamvis Baſſæ, Ægypto præfecti, non raro ſeditionem moverint.

Princeps Ægypti civitas eſt *Cairum*, ad Nilum ſita, & inter maximas orbis urbes numeranda. Triurbe conſtat, 24000, ut fertur, plateis, totidemque fanis. Incolæ plerique ſunt Mahometani, multi tamen etiam Copti, Neſtoriani, & Græci Schiſmatici, pauci vero Catholici. Cairum ex ruderibus antiquæ *Memphis*, in Hiſtoria celebratiſſimæ, ſurrexit. Superba illa quondam urbs Regum Ægyptiorum faſtum oſtentabat, Pyramides inquam, portentoſæ magnitudinis, quarum una per quinque ſtadia fuiſſe extenſa ſcribitur, atque inter ſeptem mundi miracula computata. Sed, quod Coloſſo Rhodio, Dianæ Epheſinæ templo, Arthemiſiæ Mauſolæo, Muris Babylonicis, hortisque penſilibus Semiramidis, *Pharo*, turri luminoſæ, quam Ptolomæus Philadelphus in Ægypto conſtruxerat, eidem accidit. Tempus edax, ad ſubſtructionum humanarum ludibrium, omnia devoravit. Idem *Alexandriæ*, urbi poſt Cairum in Ægypto celeberrimæ, ad oſtia Nili ſitæ, evenit; nam plurimum a priſtino ſplendore deſcivit, præſertim poſtquam Luſitani, nova inventa via, merces Indicas ab hoc emporio derivarunt alio. Copti hic ſuum habent Patriarcham, qui jurisdictionem in Abyſſiniam uſque exporrigit. De Ægypti antiquitatibus plurima referunt, Herodotus in Euterpe, & Diodorus Siculus l. 1. ſect. 2.

CA-

# CAPUT II.

## *De Barbaria.*

### Articulus I.

#### *Adumbratio Regionis.*

Prælongus, ab Ægypto ad fretum uſque Gaditanum ſecundum Mediterraneum exporrectus terrarum tractus, paradyſus olim Africæ, *Barbaria* hodie merito dicitur, tracta haud dubie a barbarie, in quam degeneravit, nomenclatione.

Olim, ſicut hodie, diviſa erat in varias provincias, ſed ſub diverſis nominibus, in veteri Hiſtoria notiſſimis. Nam proxima Ægypto erat *Libya*, & *Cyrene*, ubi hodie regnum eſt *Barcanum*: ubi olim *Carthago*, hodie eſt *Tunetum*; ubi *Numidia*, nunc *Tripolis* & *Algerium*; ubi *Mauritania*, nunc regnum *Marochii* & *Feſſæ*.

Carthago potentiſſima erat Reſpublica, Romanæ æmula; Numidia & Mauritania proprios Reges habebant. De quibus poſtea plura. Sed Romani has terras occuparunt. Sæculo V Vandali, Germanicus ad Balthicum populus, per Galliam & Hiſpaniam Duce *Genſerico* in Africam evaſerunt, atque pulſis Romanis, hiante jam undique Imperio, regnum ſibi conſtituerunt. Huic Sæculo VI finem impoſuit Juſtinianus I Imperator, per Beliſarium victo vinctoque *Gilimere*, Rege Vandalorum ultimo.

Sæculo VII Saraceni non tantum Ægyptum, ſed totam oram illam maritimam occuparunt, & Sæculo VIII ipſam etiam Hiſpaniam. Subjecti autem erant magno Aſiæ Caliphæ, donec abjecto hoc jugo independentem poteſtatem uſurparunt. Per varias tamen familias tranſiit, bellis inteſtinis in bonum Chriſtianorum inter Mauros graſſantibus.

Ex his turbis quatuor in Barbaria enata ſunt regna, *Marochianum*, *Algerianum*, *Tripolitanum* & *Tunetanum*. *Marochianum* etiam *Imperium* dicitur, quod *Feſſanum*, *Taffiletanum*, aliaque minora regna ſub ſe comprehendit. A 200 annis imperavit familia Scheriffiana. Anno 1727 obiit ex illa Muley Iſmael anno æt. 84, relictis 4 filiis, qui perpetuis bellis parricidalibus inter ſe digladiabantur, donec *Muley Abdala* coronam reliquis extorſit; ſed eadem rurſus ſpoliatus eſt anno 1734 a fratre Muley Ali ope nigrorum. Sed Abdala, comparatis vi-

ribus fratrem rurſus dejecit, cum immani provinciarum vaſtatione & rerum omnium confuſione.

In extremitate regni Feſſæ ad fretum e regione Gibraltariæ ſita eſt Septa, jam dudum ab Hiſpanis Mauris erepta, quam iſti 36 annos obſederunt.

Algerii, Tuneti, & Tripolis Reges a piratis Turcicis dejecti ſunt, regna autem verſa ſunt in tres Reſpublicas, ſeu potius tres urbes prædatorias, quæ Turcarum Imperatori vectigales, piraticam exercentes totum mare Mediterraneum rapinis infeſtum reddunt. Ludovicus XIV Rex Chriſtianiſſimus priore ſæculo omnes tres urbes, quod inſolentius ſe gererent, igniariis pilis caſtigavit.

Regimen eſt Ariſtocraticum, ſub duce, & ſenatu, quem Divan appellant, ſub Turcarum protectione, quorum ſectam profitentur. Inter Chriſtianos Principes necdum conveniri poterat, ut nidi iſti Harpyarum exſcinderentur communi opera; imo nec deſunt, qui muneribus navigationum ſecuritatem ab eis emant.

*Oranum*, in Algerianorum finibus ſitum, ſingularia habuit fata; nam anno 1509 a Cardinale Ximenez Saracenis ereptum, ac ſæpe fruſtra ab illis oppugnatum, non niſi anno 1708 flagrante in Hiſpania gravi inter Chriſtianos bello, expugnari potuit. At anno 1732 ab Hiſpanis fuit receptum.

## Articulus II.

### *De Bellis Punicis.*

Quoniam celeberrima fuit Carthaginenſium Reſpublica, juvat hic aliquid ſpeciatim diſſerere. Dido Tyriorum Regis filia, fratris inſidias fugiens, in Africam appulſa, in ora ejus maritima, e regione Siciliæ *Carthaginem* conſtruxiſſe traditur, adjecta arce, quam *Byrſam* dixit. Hæc urbs, tyrannos paſſa, in amplam ac potentem Rem publicam deinceps ſurrexit. *Pœni* dicti ſunt, & regio, quam incolebant, terra *Punica*; unde etiam tria, quæ cum Romanis geſſerunt, *Bella Punica* ſunt appellata. Gens utraque magnis incrementis augebatur: Carthaginenſes jam extra Africam, in Hiſpaniam & Siciliam arma proferebant. Romanorum animos & ſpes extulere populi in Italia devicti, Vejentes, Faliſci, Hetruſci, Samnites, Galli, Tarentini, ſub jugum miſſi, rejectus in Epirum Pyrrhus, Gallia Ciſalpina jam prope domita. Reſpublica utraque alterius acceſſiones æmulo, quin

&

& livido oculo reſpiciebat. Timebat utraque, & timebatur. Periculum igitur faciendum virium.

Primo bello Punico occaſionem & cauſam dedit *Sicilia*, ad quam ceu mediam & fœcundum horreum gens utraque obtutum defixerat. Pœni jam turbis, poſt mortem Agathoclis in eadem exortis, ſe miſcuerant, icto cum *Hierone*, Syracuſarum Rege fœdere. Invaſi *Mamertini*, eorumque urbs Meſſina. Implorati Romani veniebant ſociis auxilio. Tunc primum navibus maria ab iis trajecta. Meſſina in fidem recepta: abſtractus a fœdere Punico Hiero, ſocius deinceps Romanorum fidus. Victus a *Duillio* conſule, ſtationariæ pugnæ aſſueto, Pœnus in mobili elemento, hoc eſt, ſuo.

Fugientem in Africam Pœnum perſecutus *Attilius Regulus*, tantis cladibus affecit, ut trepidatum ſit Carthagine. Sed Xantippus Lacedæmonius Dux creatus, atque Spartana virtute Punicas artes fulciens, victori victoriam eripuit. Superatus Regulus captusque, Romam pro pace impetranda a Pœnis legatus, pacem diſſuaſit, atque, quod juraverat, Carthaginem redux, abſtracta cute dilaniatus eſt, præferens libertati & vitæ ſuæ amorem patriæ, grandeque relinquens documentum, fortia agere & pati Romanum eſſe: quid ni & Chriſtianum? & quid amore cœleſtis patriæ?

Ab ea Romanorum clade reductum a Pœnis bellum in Siciliam. Victi denuo Pœni primum a Metello, dein a Puteone, denique a *Luctatio Catulo* pacem poſt 24 annorum cruentum bellum ſerio flagitarunt. Data ea lege, ut Sicilia decedant, Africæ finibus ſe contineant, ſummam pecuniæ in damnorum compenſationem pendant, Sicilia, Syracuſano Hieronis regno excepto, Romanis provinciis accenſa.

Facta cum Pœnis pace Luctatius Catulus templum Jani clauſit 500 annos poſt U. C. Sed Liguribus, Iſtris, Inſubribus, aliisque Galliæ ciſalpinæ populis, necdum ſatis domitis, bellum moventibus, haud multo poſt rurſus apertum eſt. Multo graviſſimum vero a Carthaginenſibus bellum incubuit, quod *Punicum ſecundum* fuit appellatum, tempore quidem brevius primo; nam 18 duntaxat annos tenuit, ſed armorum ardore multo atrocius, contendentibus duobus fortiſſimis populis de orbis Imperio, hinc Scipione, inde Hannibale per artes bellicas inclareſcente.

*Hannibal* quidem, Amilcaris filius, novennis jam puer odium in Romanos juraverat ad aram. Cum 23 annos natus eſſet, ſupremus Carthaginenſium Dux creatus in Hiſpaniam irrupit, ibique *Saguntum*, ſociam Romanorum civitatem, expugnavit. Hæc cauſa pro-

xima belli: remotior gentis utriusque ambitio & æmulatio; honeſtior tamen Romanis; quia Carthaginenſes excurrendo Punica fide in Hiſpaniam pacem fregerunt.

Hannibal, relicto in Africa & Hiſpania valido præſidio, per Gallias & Alpes, aceto, ut fingitur, perroſas, in Italiam penetravit: ubi quatuor grandes victorias a Romanis reportavit: primam ad *Ticinum*, victo Scipione patre, cujus caput a filio, adhuc prætextato, defenſum: ſecunda ad *Trebiam* Sempronium proſtravit. Tertiam ad *Thraſymenem* Flaminii temeritas peperit, qui cupiditate pugnandi ſe totum Punicæ fraudi offerens, docuit, etiam in armis non ſufficere ſolam fortitudinem, ſed requiri mentis quoque in ducibus conſilium. Quarta omnium maxima clades accepta eſt ad *Cannas*, ignobilem in Apulia vicum. 50 millia Romanorum cum conſule *Æmilio Paulo* cecidiſſe dicuntur.

Perierat ſane Roma, ſi Hannibal, ea cum victore exercitu petita, uti vincere, ita victoria frui didiciſſet. Sed is Capuæ ſuas Cannas invenit, non ferro victus, ſed molli voluptate, qua enervatus miles vinci cœpit, cunctatione primum *Fabii Maximi*, cui propterea *Cunctatoris* nomen adhæſit; quod cunctando reſtituit rem, tum etiam felici *Marcelli* audacia. Ita ab uno Pœnorum peccato Roma proſtrata ſtabit, & ſtans Carthago cadet.

Nam verſa inde fortunæ rota, clades deinceps Hannibalem excepere. Capuam illam ſuam oppugnari & capi vidit, vindicatam in cive Pœni amicitiam. Quis animi ſenſus, cum avulſum fratris *Aſdrubalis* caput, qui cum 80 millibus Pœnorum in Italiam fratri auxilio venerat, ante Romanorum caſtra præfixum intueri, & cum eo 50 millia cæſa intelligere, ſe vero in Aprutium, Italiæ angulum retruſum cernere debuit?

Quanta denique clades & ruina Hannibalis & Carthaginis a Lucio Cornelio *Scipione*, in quo uti virtutum omnium ſplendor eluxit, ſic felicitatis bellicæ decus enituit. Recepit is Hiſpanias, ubi quatuor belli Imperatores cum ſuis exercitibus profligavit, ultra juvenem prudens, fortis & caſtus. Certe ea gentilis homo in florente ætate integritatis & pudoris argumenta dedit, quæ multis Chriſtianis ruborem incutiant. Eximiæ pulchritudinis fœminas, ſibi adductas, ne aſpexit quidem.

Conſul creatus a ſenatu petiit, ut ex Italia in Africam transferre bellum ſibi liceat. Ingrata & periculi plena viſa eſt petitio, præſertim Fabio Maximo, qui vehementi oratione, deſpecta ejus ætate juvenili, temeritatem inconſultam, ut loquebatur, corripuit: per

mul-

multos jam annos hærere in Italia Hannibalem, nec ab ullo Imperatore potuiſſe expelli: ſatis Scipioni fore gloriæ, ſi id efficiat, quod nullus adhuc potuit. Reſpondit modeſte Scipio, effecturum ſe id, ſed trahendo, non trudendo. Satis per tot annos Pœnorum armis preſſam & vaſtatam eſſe Italiam: transferendum bellum, premendum hoſtile ſolum. Vix arſura Africæ tecta, revocandum ex Italia cum copiis Hannibalem. *Extat pulcherrima ejus oratio, in ſenatu habita, apud Livium.*

Senatus nullum Scipioni in Africam exercitum decernere voluit, poteſtatem tamen fecit omnibus, qui ſub eo militare vellent, & expeditionem ſuſcipere. Magnus ad eum illico ultra exſpectationem Senatus fit confluxus. Trajicit in Africam: revocatus imperio Senatus Carthaginenſis Hannibal, qui flens Italiam deſerit. Fit pugna atrox, vincitur a Scipione, relegatur in Aſiam. Petunt Carthaginenſes pacem. Data ea lege: nullum bellum abſque conſenſu Senatus Romani ſuſciperent, navium numerum ad triginta reducerent, reliquas cum elephantibus & transfugis Romanis traderent.

Multa alia in Africa geſſit Scipio, qui *Africanus* exinde dictus, *Maſaniſſam*, Numidiæ regno a Carthaginenſibus & *Syphace* ſpoliatum, cum in Africam veniſſet, ſibi conciliavit, partaque victoria, cujus pars non parva fuit, regno reſtituit; quem deinces conſtantem amicum & ſocium Roma fuit experta, *Syphax* vero Rex Romam vinctus eſt miſſus. Hujus uxor erat *Sophoniſba*, quæ ne Romanis dederetur, ad Maſaniſſam confugit, eique ſe conjugem obtulit. Captus formæ illecebris, & precibus Maſaniſſa, eam ſibi uxorem a Scipione petiit. At Scipio pulcherrima oratione, quæ pariter extat apud Livium, Regem dehortatus eſt, ne rem hanc, nomine ſuo indignam, committat, & fœminam, non niſi per uſurpationem Reginam, populique Romani nunc captivam ducat. Etiam in ſe (addit Scipio) laudes aliqua digna fortaſſe Maſaniſſam æſtimare, ſe autem nihil æſtimabilius ducere, quam continentiam & victoriam ſui ipſius. Maſaniſſa, quamvis ægre, paruit. Sophonisba vero, ne in triumphum Scipionis Romam duceretur, ſe ipſam confodit.

Sicilia tota hoc bello provincia Romanorum facta eſt. Nam Hieroni, Syracuſarum Regi, fido Romanorum ſocio, mortuo ſucceſſit Hieronymus, qui ad Carthaginenſes defecit. Quare Romani eam urbem per Marcellum expugnarunt; ſimulque cecidit *Archimedes*, machinarum miniſter, multo peritiſſimus, qui difficilem eam oppugnationem Romanis fecerat. Tota quoque Hiſpania eo bello ad Romanos

nos rediit. *Plautus* vero ſervus per ſuas comœdias populo Romano applauſit.

Finito bello Punico ſecundo ad bellum uſque Punicum tertium, Romani arma in orientem verterunt, geſto contra Regem Macedonum & Antiochum Magnum Syriæ Regem bello, prout memoratum ſupra. Lucio Scipioni Aſiatica decreta provincia. Huic frater Africanus legatus additus: hic apud Antiochum cum incidiſſet in Hannibalem, ibidem exulantem, quæſivit ex illo, quem ſummum belli Imperatorem judicaret? reſpondit Hannibal, Alexandrum M. quoniam is totam Perſarum Monarchiam evertiſſet, & victorias ſuas ultra Indum & Gangem protuliſſet. Quem ſecundum cenſeret? Pyrrhum nominavit, quo nemo aptius aciem ſtruxiſſet. Tertio loco ſe ipſum poſuit: inſtat Scipio: quid ſi autem me viciſſes, quo ordine te collocaſſes? repoſuit Hannibal: tunc enim vero omnium primo loco, etiam ante Alexandrum & Pyrrhum me poſuiſſem.

Africanus Romam redux, confecto feliciter bello cum Antiocho, repetundarum eſt poſtulatus a Tribuno plebis. At is indignum ratus, tot palmarum heroem, qui Hiſpaniam, Africam & Aſiam Romano populo aperuit, ſenatusque Principem, qui omni vita integerrime eſt verſatus, a furioſo homine in jus vocari, deſerta ingrata civitate in exilio obiit. Idem contigit Hannibali, qui ab uno loco in alium fugitivus eodem tempore exul porrecto ſibi veneno extinctus eſt. O res humanæ!

Cum Carthaginenſibus poſt primum bellum Punicum 40 annis pax tenuit, poſt ſecundum 50. Sed gens ſuperba ſe victam ægre ferens, intra pacis limites ſe contineri non eſt paſſa. Quare reſumpſit arma, id Romanis dans crimini, quod Maſaniſſæ Numidiæ Regi ſemper magis faviſſet quam ſibi: injurias & damna, ab eo Carthagini illata, non vindicaſſet, nec cohibuiſſet. Maſaniſſam igitur bello aperto ſunt aggreſſi.

Romæ deliberatum, an Carthago ſit exſcindenda. Cato Cenſorius delendam putavit, Scipio Naſica diſſuaſit, ut urbs æmula virtutem Romanam & diſciplinam militarem ceu cos ſemper acueret. Prævaluit Catonis ſententia: miſſus in Africam exercitus, qui arma ſibi a Carthaginenſibus tradi poſtulavit. Tradita ſunt. Sed cum cives juberentur urbem deſerere, & in remotiora a mari loca emigrare, lamentis & furore omnia complerunt: ſervos dimittunt liberos, diu noctuque arma cudunt: fœminarum capillis funes pro navibus texunt, defenſionemque acerrimam, deſperatione armatam, objiciunt. Eruptione ex urbe ſæpius facta plurimos Romanorum cædunt, claſſemque eo-

eorum concremant. Miſſi in Macedoniam ad Pſeudo-Philippum & in Hiſpaniam ad Celtiberos, Romanis rebelles, legati, conducti ex omni Africa milites, fuſæ ſæpius ab *Aſdrubale* Romanæ legiones: tertioque jam anno bellum trahebatur.

Igitur Romani, quibus ſolenne erat, initio vinci, ad extremum vincere, majori vi atque prudentia id bellum agendum rati, *Scipionem Æmilianum*, ædilitatem tunc petentem, extra ordinem conſulem creant, & cum ſupplementis in Africam mittunt. Nec ſpes eos fefellit. Nam Scipio reſtituta, quam priores Imperatores neglexerant, diſciplina militari, dimiſſisque cum ignominia ignavis, copias urbi admovet, eamque expugnat, & evertit. Multa millia in Byrſam arcem fugientium, ut ſanguini parceret, liberos dimittit. Aſdrubal Dux captus eſt; multi ſe ipſos concremarunt. Atque hoc pacto *bellum Punicum tertium* finitum eſt.

Cecidit igitur, rerum humanarum fato, funditusque everſa eſt ſuperba illa *Carthago*, Romæ terror, per 700 annos rerum per orbem geſtarum gloria inclita. Scipio ipſe tantæ urbis ruinæ illacrymaſſe fertur, idemque fatum Romæ vaticinatus. Carthaginenſis Reſpublica, ductis in Africam coloniis, provinciæ Romanæ formam induit. Imperator Auguſtus novam excitavit Carthaginem, Primatu totius Africæ claram, quam tamen poſtea Saraceni ita ſunt depopulati, ut hodie vix amplius rudera illius ſuperſint.

Porro *Scipio Æmilianus* ob everſam Carthaginem Africamque domitam dictus eſt *Africanus Junior*, ad diſtinctionem Cornelii Scipionis, qui ob Hannibalem victum appellatus eſt *Africanus Senior* ſeu *Major*. Hujus filius adoptavit Æmilianum, unde Scipionis nomen aſſumpſit. *Æmilianus* autem dicitur, quia natus erat ex gente *Æmilia*; nam pater ejus fuit Paulus Æmilius Macedonicus, cum quo Perſeum vicit: avus vero Æmilius conſul, qui ad Cannas cecidit.

Idem Scipio Æmilianus præter Africani etiam *Numantini* nomen accepit; nam cum Numantia, celebris in Hiſpania ſine muris civitas, per 13 annos a Romanis Ducibus fruſtra fuiſſet oppugnata, creatus iterum conſul Æmilianus, ſicut Carthaginem, ita *Numantiam* evertit. Romam redux, omnia plena turbis propter leges agrarias, quas Titus Grachus Tribunusplebis, homo auram popularem captans, rogaverat, invenit. Plebs contra ſenatum, ſenatus contra plebem inſurrexerat. Scipio Naſica, e ſenatu ſurgens, Titum Grachum occidit. Scipio Æmilianus interrogatus, quid ea de cæde ſentiret, reſpondit, *jure cæſum videri*. Altera die mortuus in lecto inventus eſt. Suſpicio erat, a propria uxore fuiſſe extinctum, Titi & Caji Gracho-

rum

rum ſorore. Sic cecidit magnus ille heros, Africæ & Hiſpaniæ domitor; utrique devotus Palladi; nam *Polybium* ex Græcia præceptorem accerſiit, celebrem deinde Romanæ conditorem Hiſtoriæ, & per Lælium ex Africa *Terentium*, qui terſo latinitatis nitore theatra Romana animaret.

## Articulus III.

### *De Bello Jugurthino.*

Punici tertii belli tempore mortuus eſt *Maſaniſſa* Rex Numidiæ octogenarius, perpetuus Romanorum amicus & bellorum ſocius, relictis tribus filiis, Micipſa, Manaſtabili, & Guluſſa. His poſterioribus duobus brevi extinctis, regnavit ſolus *Micipſa*. Reliquit autem Manaſtabilis filium *Jugurtham*; hunc nepotem ſuum Rex Micipſa eodem cum propriis filiis ſuis Adherbale, Hiempſale cultu habuit: imo poſtquam ab expugnatione Numantiæ magna cum Scipionis commendatione in Numidiam redierat, in filium eundem adoptavit, æquali cum patruelibus futurum jure.

Micipſa mortuo Jugurtha Hiempſalem interficit. Fit bellum. Victus *Adherbal* regnoque ſpoliatus, Romam ſe confert petiturus auxilium. Verum Jugurtha, probe gnarus, raros ſupereſſe in ſenatu Curios & Fabricios, ſed omnia Romæ auro eſſe venalia, majorem Curiæ partem pecuniis jam corruperat. Igitur Adherbal impetrare plus non potuit, quam ut legati mitterentur in Africam, qui deteriorem regni partem eidem concederent.

Verum Jugurtha, homo inquietus juxta ac turbulentus, hanc quoque regni portionem Adherbali erepturus, eundem ſicut antea Hiempſalem ejus fratrem, crudeliter enecat. Hic tandem Roma, juſtitiæ olim cultrix tam ſancta, qualisque videri adhuc volebat, æquiorem ſententiam admiſit. Rejecti Jugurthæ legati, decretumque in eum bellum, quia videbant Romani, devicto Jugurtha Numidiam provinciam Romanam fore.

Oſcitanter, ſoluta militari diſciplina, per aliquot annos bellum geſtum a Romanis Ducibus, a Jugurtha non raro cæſis. Tum vero, cum Romani in populi probrum cederet toties vinci, Metellus conſul, qui *Numidicus* propterea dictus eſt, in Africam miſſus, Scipionis exemplo diſciplinæ nervum magis intendit, commiſſoque prælio Jugurtham, quamvis Romana, quam probe didicerat, arte pugnaret,

ret, ſuperavit. Sed debellare hominem, per montes vagantem & deſerta, non ita pronum erat. Ex improviſo erumpebat & cædebat, interim vero agros & tecta uri patiebatur.

Cum itaque bellum traheretur, Cajus *Marius*, qui Metelli tunc legatus erat, Romam profectus, homo licet novus eſſet, conſulatum obtinuit, provinciaque ei Africa decreta. Sed cum neque is Principem vagum verſutumque vi aperta poſſet vincere, in terra Punica fraude Punica uti in Pœnum ſtatuit, quæ hunc in modum eſt adornata.

Jugurtha *Bocbum*, Mauritaniæ Regem, ſocerum ſuum, in belli adverſus Romanos ſocietatem pertraxerat. Cum autem is cerneret, res generi in dies arctiores fieri, ſibi metuens, legatos de pace miſit ad Marium conſulem. Is Lucium *Syllam*, ſuum tunc legatum, ad Bochum miſit. Conventum cum eo, ut Jugurtham quoque, ad pacem velut componendam, invitaret: nihil in ſocero fraudis ſuſpicatus gener, comparuit. At repente a Bocho ſocero comprehenſus, Syllæ eſt traditus, ductusque Romam in triumpho Marii eſt circumductus, & fame demum enecatus. Extinctum in eo Maſaniſſæ genus. Numidia vero in provinciam Romanam abiit, quæ poſtea etiam variam fortunam ſubiit; nam a Romanis tranſiit ad Vandalos, a Vandalis rurſus ad Romanos, a Romanis denique ad Saracenos Mahometanos. In Numidia ſita fuit Tagaſte cum Hippone Regia, illa S. Auguſtini patria, hæc ejus Epiſcopatu celebris. *Bellum Jugurthinum eleganter ſcripſit Saluſtius.*

# CAPUT III.

## *Ulterior Africæ Deſcriptio.*

Proxima Barbariæ regio eſt *Biledulgerid*, ab Ægypto ad mare uſque Atlanticum in longum protenſa: hordei, dactylorum, camelorum, equorum, aliorumque pecorum ferax. Habet ſuos regulos, Barbariæ ut plurimum vectigales. Incolæ potiſſimum Mahometani ſunt & Judæi.

*Zara*, deſertum a Nubiæ regno ad mare Atlanticum extenſum, *Libya* olim *interior*, trigidum, leonum, aliorumque monſtrorum patria, quorum naturam incolæ æmulantur. Subjecta eſt ipſi Tropico Cancri-

*Nigritia* pariter in mare occidentale longo tractu excurrit. A Nigro fluvio interfluente, ſicut Ægyptus a Nilo fœcundari dicitur: unde multum orizæ, lini, goſſipii, mellis, cupri & auri gignitur. Europeæ Nationes nigra emunt mancipia, quæ in Americam transvecta agriculturæ, aliisque ſervilibus laboribus addicuntur, non modica contentione, penes quem ſit jus hujus quæſtuoſi commercii. In plura autem regna omnes hæ terræ ſunt diviſæ.

Sequitur meridiem verſus *Guineæ* regnum; quia ab occidente & meridie mari alluitur, admodum fertile, præſertim ebore, frumento, quod bis in anno metitur; ſacharo, ære, elephantibus, ſimiis &c. corio, cera, pipere &c. Unde complurium Europæorum avaritiam, aut lucri cupiditatem traxit, qui varias ibidem arces conſtruxerunt, portusque pro navibus. Uti Angli, Hollandi, Dani, Brandeburgici &c.

Reliquam Africam ampliſſimis ſpatiis occupat magna *Æthyopia*, quæ olim complexa eſt regnum Congo, Loango, Monomotapæ, Cafreriæ, quæ *Æthyopia exterior* appellabatur: Interior vero continet Zanguebariam, Nubiam, & Abyſſiniam.

*Congi* & *Loangi* regnum infra Guineam & Nigritiam ad Oceanum Occidentalem ſitum in Zona torrida, fertiliſſimum, licet Æquator medium interſecet, magnoque caloris æſtu torreat. Luſitani in eo varia loca obtinent.

*Monomotapa* ampliſſimum Imperium 20 Reges vectigales numerat, inter omnia Africæ regna cenſetur ditiſſimum, propter largas auri & argenti fodinas. Capricorno ſubjacet. Incolæ ſunt atri coloris, & ut plurimum Idololatræ. Nilus ibidem oritur.

*Cafreria*, prælonga littoralis in Promontorium Bonæ ſpei excurrens Africæ pars, duobus velut brachiis Monomotapæ Imperium amplectitur & includit. Incolas habet maxime feros & barbaros, qui ferarum inſtar in ſpecubus habitant.

Proxima Cafreriæ orientali eſt *Zanquebaria* & Adelum regnum, longo pariter littorali tractu ad mare Arabicum porrecta. Eſt in illa *Moſambicum*, urbs ad Luſitanos ſpectans, ſuperato Capite Bonæ ſpei, ad reficiendas naves, & vires per quietem reparandas opportuna: & cum aurum, argentum, ambram, ebur, & ebenum terra producat, commerciis frequens.

*Nubiæ* regnum, Nili aquis irriguum & fœcundum, Ægyptum attingit, Zaram & Abyſſiniam, auro & ebore dives, proprium Regem habet. Incolæ Mahometani potiſſimum ſunt & Judæi.

Denique *Abyſſinia* ſeu *Abaſſia*, Æthyopia in ſpecie dicta, ampliſſimis ſpatiis iis, quas dixi hactenus provinciis interjacet. Ab Imperatore regitur, quem *Preſbyterum Joannem* appellabant, ſed nomine generali *Neguz* eſt dicendus. Genus ſuum a Salomone ducit, & Regina Saba. Candacen quoque Reginam, cujus evnuchum Philippus Diaconus baptizaverat, Æthyopiæ Reginam faciunt. Incolarum plurimi ſunt copticæ religionis Schiſmaticæ, habentque proprium Epiſcopum, Patriarchæ Alexandrino ſubjectum. Tellus præter frumenta &c. aurum & gemmas profert.

Circum Africam multæ ſunt *Inſulæ*. Maxima omnium eſt *Madagaſcaria*, in Orientali Oceano, Zanguebariæ obverſa. Luſitani, qui eam anno 1506 detexerunt, Inſulam S. Laurentii appellant: Galli vero Inſulam Delphini, quia in ea arcem hujus nominis poſuerunt, ad tegenda ſua commercia. Incolæ ut plurimum ſunt Idololatræ & Mahometani, & a pluribus Principibus reguntur. Ferax eſt ſolum goſſipii, croci, ſaccari, tabaci, auri & gemmarum.

In mari Atlantico, e regione Biledulgerid prope Tropicum Cancri viſuntur Inſulæ *Canariæ*, ſive *Fortunatæ*, Hiſpaniæ Regi ſubjectæ: præcipuæ ſunt 1. *Canaria*, urbs ejuſdem nominis, Epiſcopatu & Gubernatoris ſede nobilis. Vinum, ſacharum & aves Canarias Europæ ſuppeditat.

2. *Teneriſa*, omnium optima, ſupremi Gubernatoris ſedes, valde fructifera & populoſa. Verum anno 1704 & ſequenti mons *Picus*, qui totius mundi altiſſimus habetur, tanta evomuit incendia, ut accedente motu terræ, multa mortalium millia miſere interirent.

3. Inſula *Ferri*, *Palma*, *Gomera*, aliæque plures, minoris quidem ſunt momenti, omnes tamen variorum fructuum feraces: in aliquibus ter in anno ſegetes meti dicuntur, ut adeo merito *Fortunatæ* dicantur. Multi primum Meridianum in his Inſulis, atque inde gradum longitudinis inchoant.

4. Inſulis Canariis accenſeri ſolet Inſula *Madera*, Luſitaniæ Regi parens, quæ ob florentem ſuam venuſtatem, paradyſi quandam ſpeciem refert. Abundat frumento, vino, ſacharo, melle, aliisque divitiis. detecta eſt a Luſitanis anno 1420.

Ad Regem Luſitaniæ ſpectant pariter *Inſulæ Capitis Viridis*, quæ olim *Heſperides*, *Gorgones*, & *Gorgades* fuerunt appellatæ. Sitæ ſunt infra Canarias in Zona torrida, e regione Nigritiæ in Oceano Atlantico. Abundant hortenſibus fructibus, vino generoſo, ſale, re pecuaria, carnibus ferinis. Aura tamen fruuntur minus ſalubri. Præcipua eſt Inſula S. Jacobi. Nomen hæ Inſulæ derivant a Promon-

torio ſeu Capite Viridi, quod e Nigritia in Oceanum excurrit, multisque milliaribus ab Inſulis iſtis diſtat.

Inter Africam & Americam mediæ jacent Inſulæ *Azores*, quæ etiam *Terceræ* dicuntur a *Tercera* Inſula præcipua, item *Flandricæ*, quia a Flandris ſunt inventæ. Sunt numero ſeptem, monteſæ, ſed frugiferæ: ſpectantque ad Luſitanos. Ingens in iis copia accipitrum; hinc etiam *Inſulæ accipitrum* appellantur.

# CAPUT IV.

## *Introductio Religionis in Regnum Feſſæ & Marochii, & reliquam Barbariam.*

Duo hæc regna, quæ uni hoc tempore ſubjecta ſunt capiti, liberales olim, etiam ſub Saracenis, artes excoluerant, magnosque viros, medicos præſertim nutriebant, puta Avincennam, Averroem, Albumazarem, Razin. Secta eſt Mahometana, in varios tamen ramos diffuſa, pro diverſa Alcorani interpretatione. Plurimi quoque Judæi, a Ferdinando Catholico ex Hiſpania, & Emmanuele Rege ex Luſitania pulſi hic conſedere: multo autem mitius habentur, quam Chriſtiani, qui in diram ſervitutem aut tetros carceres abſtracti contabeſcunt, niſi ſint, qui eos redimant. Non raro etiam ſæva tyrannis Chriſti cultores ſuſtulit.

Jam anno 1220 Miramolinus Rex Marochii quinque Patres, ex Seraphico Ordine S. Franciſci, qui mari trajecto publice atque imperterrite Evangelium prædicabant, atque Mahometis mendaces fabulas ac fraudes redarguebant, crudeliter tortos trucidavit. Martyrum corpora, poſtquam Barbari ea concremare fruſtra conati fuerant, a Chriſtianis redempta, in Hiſpaniam non ſine prodigiis ſunt tranſportata. S. Antonius Paduanus, Fernandus Martinus tunc appellatus, cum hæc videret, martyrii deſiderio accenſus, poſtquam undecim annos inter Canonicos Regulares S. Auguſtini ſanctiſſime vixerat, ad ordinem S. Franciſci transgreſſus, 25 ætatis anno, iter Marochium iniit; ſed Divina providentia eum, adverſa valetudine retractum, Italiæ illuſtrandæ reſervavit.

Quamvis autem poſtea etiam perſecutio, miſera ſervitus, & ſqualor carcerum plures Chriſtianos ſuſtulerit, peculiarem tamen memoriam meretur Petrus Elcius Madritenſis Hiſpanus, qui negotiationis cauſa Marochium profectus fidem aliquamdiu diſſimulavit. Sed vitæ

pa-

parum Chriſtianæ pertæſus in patriam redire ſtatuit, ubi integre fidem profiteri poſſet. Verum ex fuga retractus, & carceri mancipatus, promiſſis minisque ad defectionem fuit ſollicitatus. At ille Mahometem ejusque fabulas execratus, Chriſtumque palam profeſſus, eos, qui captivitatis ærumnis victi a Religione deſciverant, graviter reprehendit, atque ut futuræ vitæ memores in viam ſalutis revertantur, admonuit. Tandem is honor Chriſtiano heroi obtigit, ut Domini ſui exemplo cruci affixus, glorioſa morte coronaret triumphum martyrii.

Nec minus ad decus Religionis contulit anno 1645 *Celebus* Regis Tunetani filius primo genitus, ſucceſſor in regno jam deſignatus; is enim, Divina operante gratia, peculiari a prima juventute affectu in Chriſtiana ferebatur mancipia, multaque de Chriſtiana Religione ſciſcitatus, amorem illius deſideriumque concepit, atque nihil magis optabat, quam occaſionem, qua Chriſtianas in terras poſſet evadere; illam tandem nactus, cum navi, ad id præparata, Panormum in Siciliam appulit, ubi ab Archiepiſcopo & Prorege, prout tantam perſonam decebat, exceptus, imbutusque Chriſtianæ fidei principiis, inſigni cum ſolennitate fuit baptizatus.

Luculentius adhuc Divinæ virtutis in corda hominum exemplum dedit *Mulei Serif* Regis Marochii & Feſſæ filius, ceu ſenior in ſpem regni natus; ſiquidem is, omnibus corporis & animi dotibus a natura inſtructus, ingenio, ſapientia, virtute præcellens atque propterea a patre in conſortium regni aſcitus, dum Meccam iter inſtituit ad Mahometis ſepulchrum, ab Algeriis & Tunetanis regio honore exceptus, indeque mari ſe committens, a navi Melitenſi, cui Balthaſar Mendez erat præfectus, fuit interceptus, atque Melitam abductus, ubi multa de Chriſtiana Religione cum audiret, & in templis videret, fluctuare dubius animo cœpit. Perſoluto nihilominus ingenti lytro, diſceſſum cum comitibus adornavit.

At ſubito illapſa eſt nutanti tam clara lux, ut P. Rectori Collegii Melitenſis ſe inſtruendum traderet, & ſalutis laticem ſupplex peteret: hoc ſolenniter tinctus atque *Balthaſaris Mendez* nomine appellatus, comitibus ſuis Marochium redeundi copiam fecit, ſed ex 35 duo duntaxat erant, qui reverterentur; reliqui omnes ſunt baptizati. Ex Inſula Melita Meſſinam in Siciliam translatus anno 1654, magnoque honore cultus, duobus annis in Collegio S. J. ſacris diſciplinis operam dedit excellenti cum profectu.

Interea vero, patre ipſius mortuo, ad capeſſendum regnum vocabatur. Verum illo abdicato reſpondit, ſe non caducum, ſed æternum regnum quærere, nec venturum, niſi omnes abjecto Mahomete Chriſtum ſequerentur. In Societatem Jeſu ſubin admitti petiit, Romamque ab Alexandro VII Pontifice accitus, eandem ingreſſus eſt, dictus ejus voluntate *Balthaſar Loyola Mendez*, ut & illius, a quo feliciter captus, & cujus ordinem amplexus fuerat, nomen conjungeret.

Abſolutis Romæ ſtudiis, ordinatus ſacerdos, atque muneri Apoſtolico, ad quod præſtantes dotes attulerat, dicatus, in pluribus Italiæ civitatibus conciones habuit, ad quas ingens, ex remotis etiam locis, hominum concurſus, ut Africanum hunc Regiumque concionatorem audirent; interque eos præcipuæ Nobilitatis viri, qui ejus directioni ſe ſubjiciebant.

Præcipue vero ejus induſtria in convertendis Mahometanis enituit, quorum Genuæ 380, & univerſim ad duo millia Eccleſiæ inſeruit. Pendebant ab ore dicentis, ſtupebantque, cum patria lingua Alcorani fabulas fraudesque eruditiſſime detegentem audirent. Eorum unus pertinaciora, qui reliquos a baptiſmo abſterrebat, cum nihil efficeret, mortem Balthaſari machinatus, obtulit ei florem venenatum, cujus olfactu interitum attraheret. Advertit inſidias, &, cur hoc flore, inquit, me vis perimere? ſed quid, ſi innoxie olfaciam, an vis Chriſtum ſequi? annuente illo, ſacerdos, ducto vehementius ſpiritu odorem lethiferum valide attraxit prorſus innoxie. Procidens in genua proditor, veniam rogat & baptiſmi gratiam.

Similiter alius, qui capere P. Balthaſarem voluit, captus eſt. Fuit is celebris Feſſæ Alcorani Doctor, qui aptus ad eum reducendum videbatur. Scripſit proin eidem prolixam Epiſtolam, in qua Chriſti fidem calumniatus, & Alcoranum extollens, non potuiſſe ſe, inquiebat, nuntio credere, quod tantus Princeps, tot dotibus ornatus, in ſpes tantas genitus, regnum, opes, voluptates omnes abjeciſſet, ſeveramque Chriſti legem fuiſſet amplexus. Rediret ad ſe ipſum, regnumque ampliſſimum, jure naſcendi ſibi debitum, capeſſeret, ac felix gubernaret. Id rogare lachrymas fidelis populi, curvantis genua, & in amplexum extendentis brachia.

Reſpondit Balthaſar, omnes opes, voluptates, & gloriam hujus mundi, bona eſſe nimis exilia, vana, atque futilia, quam ut mentem, cælo natam, & boni infiniti capacem ſatiare queant. Solum Deum eſſe, infinitum bonum, quod cor humanum impleat. Plus ſolatii & veri gaudii percepiſſe ſe, poſtquam ſe totum Deo tradidiſſet,

quam

quam omnia regna mundi afferre poſſent. Deſineret jactare ineptas Alcorani fabulas. Æternam vitam, veramque beatitudinem ſpectandam, ad quam ſola Religio Chriſtiana perducat. Spurci dein prophetæ ſomnia, & Alcorani deliramenta tam dilucide demonſtravit, ut Doctor iſte Africanus Genuam navigaret, ubi a P. Balthaſare ita convictus eſt, ut Chriſto nomen daret, miſſusque Florentiam, ſponſore ipſo Magno Duce Ferdinando, baptizatus fuerit, vitamque vere Chriſtianam deinceps duxerit.

Balthaſar autem fervore ſpiritus flagrans in totum mundum, Mahometanos præſertim, quorum omnia arcana noverat, convertendos cogitationes ſuas direxit; obtentaque tandem a P. Generali in regnum Marochianum aut Mogoricum eundi licentia, per Pedemontium Galliamque iter inſtituit; ſed cum in Hiſpaniam veniſſet, Madriti morbo correptus, diem ſupremum pientiſſime obiit, ſexto, poſtquam Societatem ingreſſus fuerat, anno.

# CAPUT V.

## *Introductio fidei in Guineam, Congo, Loangam, Angolam &c.*

Regna hæc late extenduntur ad oram maris Occidentalem Africæ, ſicut auri & argenti, variarumque aliarum rerum, ſic barbarorum hominum, qui nigri ſunt coloris & prope nudi, atque beſtiarum, Leonum, Tygridum, Crocodilorum, Simiorum, Leopardorum, Elephantum, draconum, & ſerpentum portentoſæ magnitudinis, paſſim feracia. Cati ſylveſtres & marini prægrandes, manſuefacti ancillarum ſubeunt vices. Poſterioribus enim pedibus inſiſtentes & gradientes, prioribus veluti duabus manibus ad obſequia domeſtica utuntur, hydrias capiti impoſitas apportant, conterunt in mortario aromata, aliaque ſervilia opera præſtant. Delphini, balænæ, hippopotami, ſyrenes, aliaque monſtra marina ſunt admodum frequentia.

Religionem vix ullam multi coluerunt; alii ſunt Ethnici, Idololatræ aut Mahometani; nam hæc peſtis totam Africam, ſicut Aſiam, pervaſerat. Atque in his tenebris jacebant ſepulti mortales miſeri ad ultima uſque ferme tempora, quibus Luſitani illa obeuntes littora, & Miſſionarii, ab illis adducti, variis in locis fidei lucem affuderunt.

Et quidem, quomodo Henricus, Joannis I. Luſitaniæ Regis filius, Septa anno 1415 Mauris erepta, Inſula Madera anno 1420 occupata, Capite Viridi anno 1443 detecto, ad Guineæ fines anno 1460 navigationes promoverit, memoratum eſt ſupra. Anno 1471 ſub Alphonſo Rege Fernandus Gomez ad Regnum Congo, ubi poſtea permunita arx S. Georgii fuit conſtructa, pervenit. Anno 1684 Jacobus Canus, ope aſtrolabii, tunc inventi, Congi, Loangæ, & Angolæ littora legens ad ſexcenta ultra Æquatorem milliaria triumphale crucis vexillum provexit; indeque iter relegens, quatuor nobiles Congianos ſecum in Luſitaniam abduxit, ubi a Joanne II Rege ac tota aula humaniſſime excepti ſunt, variisque ludicris certaminibus, in quibus dexteritatem & velocitatem incredibilem oſtendebant, recreati.

Canus Legatus Regis cum Mauris & muneribus remiſſus ad Regem Congi, exceptus ab eo eſt publica & effuſa lætitia, & quoniam mandatum acceperat a Rege, ut omni induſtria adniteretur, Regem Congi ad Chriſtum perducere, homo militaris, ſimplici ſua relatione doctrinæ & adhortatione eundem conciliavit. Primus ſacro lavacro tinctus eſt Regis ſocer cum filio, anno 1491, cœpitque popularibus ſuis & ſubditis inſigni cum fervore Evangelium prædicare.

Rex ipſe conſtructo magnifico templo, cum uxore & liberis baptizatus eſt, ſequentibus tam illuſtre exemplum Aulicis ac regni Principibus. Quo autem magis Rex proceſſu temporis intepuit, eo magis, quem primo genuerat, fervebat *Alphonſus* filius; qui poſt mortem patris regni hæres, a minore fratre Panſo idolis pertinaciter addicto, pertulit grave bellum; ſed non ſine prodigio vicit perduellem, captumque cuſtodiæ tradidit, in qua tædio periit. 50 deinceps, quibus in pace feliciter regnavit, annis, virtutis Chriſtianæ heroem, ardentemque zelatorem animarum conſtanter exhibuit.

Succeſſit in regnum & probitatem patris, non deneger filius *Petrus*, qui obtento Epiſcopo, omnibusque ad inducendam in univerſum regnum Religionem adornatis, ad pietatis ſuæ fructum percipiendum in cælum abiit, nullo relicto filio. Conſecutus igitur regnum nepos *Jacobus*, ſolum nomen Principis Chriſtiani geſſit. Coluit Luſitanos propter commercia, ſibi proficua; Religionis nulla cura; unde fervor aliorum quoque Chriſtianorum magnopere intepuit.

Ad reſtaurandum igitur rurſus fervorem Joannes III Rex Luſitaniæ anno 1547 quatuor viros e Societate Jeſu in Congum miſit, quos perhumaniter Rex Jacobus excepit, conceſſa plena Evangelium

præ-

prædicandi libertate. Multa millia brevi converſa. Rex ipſe viſus incaleſcere, ſed brevi iterum, inſtar aquæ, ab igne remotæ, in priſtinum teporem, quin & frigus recidit, fruſtra ignes ſubjicere conante P. Gomeſio.

Mortuo Jacobo, corona celeri pede aliquot tranſiliit capita, donec in *Alvaro* ſubſtitit. Regnum is diſtortum prudentia & manſuetudine pacatum in ordinem ſuum repoſuit. Religionis quoque, quam dudum profeſſus fuerat, curam geſſit: verum vitæ illecebris & pellicum amoribus, communi Africæ Principum malo, in tranſverſum actus, non niſi per calamitates, a Deo immiſſas, reſipuit. Quippe a Giachis, gente barbara, ſede ſua Regia, totoque regno expulſus, nihil habuit reliquum, niſi ut primo a Deo culparum veniam peteret, miſſa dein ad Sebaſtianum Luſitaniæ Regem legatione auxilia precaretur; obtinuit. Miſſus Govea cum militum manu, devictis pulſisque Barbaris, Alvaro regnum reſtituit: qui in alium deinceps virum mutatus, ſe totum Religioni, virtuti, Deo impendit; miſſa frequenti legatione ad Sebaſtianum, Henricum, Philippum, Luſitaniæ Reges, & ad ipſum etiam ſummum Pontificem, cui obedientiam deferebat.

*Alvarus II,* ejus filius, majori adhuc multo in Religionem & probitatem morum ferebatur ſtudio. A fratre ſuo minore, regni cupido, bello appetitus, victoriam retulit. In loco, ubi frater perduellis cecidit, templum Deo conſtruxit, largitori tantæ victoriæ.

Vicinum Congano eſt regnum *Angolæ*, olim Congano Regi vectigale, donec unus, ſubjugatis Regulis, ſupremum dominatum obtinuit. Luſitani Congi Regno ad Chriſtum adducto, ſuisque commerciis in eo ſtabilitis, ulterius progreſſi, *Loandam* primum Inſulam, Angolæ veluti clavem ſalutarunt; in Angolam inde, quo a Rege invitati fuerant, cum Miſſionariis e S. Bernardi Sacro Ordine, profecti, perfidiam gentis ſunt experti, quæ mercaturam quidem exoptabat, Religionis autem memoriam vetabat.

Sed pientiſſimorum Luſitaniæ Regum eô ferebatur animus, ut vel Religio commerciis, aut hæc illi occaſionem præberent. Cum igitur Reges Angolæ, inconſtantes & perfidi baptiſmum quidem ſuſciperent, atque Chriſtianos ſe profiterentur, gentiliter autem viverent polygami, quin etiam naves Luſitanas vi invaderent, ac ſpoliarent, nautis in cuſtodiam datis; Rex Luſitaniæ miſſo Paulo Diazio cum aliquot militibus, injuriam vindicandam cenſebat. Ter ingens barbarorum multitudo a paucis fuſa eſt, P. Balthaſare Barreyra, Moyſis inſtar, orante, dum pugnaret Joſue. Petita a barbaris pax conceſſa, apertumque Evangelio grande oſtium.

P. Barreyra cum ſociis, circumlato late per Angolam & Loandam crucis vexillo, itinera ſua amplis ſignabat victoriis, quas ab Erebo, Nicromantia, & Ethnica ſuperſtitione retulerunt. Converſi complures Reguli, cum numeroſa aliorum multitudine: contrita idola, fana diruta, aut in Chriſtianas Eccleſias converſa. Celebriores ſunt Rex Serræ, Lioæ & Rex Toræ, cum ſubditis baptizati, atque ad omnem vitæ probitatem a P. Barreyra inſtituti. Non ita felix fuit Rex Benæ, qui laudabiliter cœpit ædificare, ſed non potuit conſummare.

## CAPUT VI.

### *Propagatio Fidei in Regnum Monomotapæ.*

Regnum hoc ſive Imperium multis ſæculis ſepultum jacuerat in ſua barbarie & ignorantiæ tenebris, donec anno 1556 Gonſalvus *Sylveria*, illuſtri natus proſapia, in Luſitania præcipuis Societatis perfunctus muneribus, ab ipſo S. Ignatio in Indias Provincialis miſſus, Goanæ Provinciæ præfuit. Verum ut non tantum alios ad gentium converſionem mitteret, ſed ipſe quoque munus hoc Apoſtolicum obiret, ardens animarum zelo, ad efferos primum Cafres cum PP. Andrea Fernandez & Andrea Acoſta contendit, ubi Regem Tongenſem cum filio probe inſtructum ſalutis unda abluit. Secuta eſt exemplum Regina cum præcipuis aulæ Proceribus. Erecta mox domus ſacra, Deiparæ Virgini in cœlum aſſumptæ dicata, quamvis non ſine turbis, ab Ethnicis motis, quas tamen Rex, Conſtantinus in baptiſmo cognominatus, auctoritate ſua compreſſit. Sylveria, relictis ad colendam hanc vineam duobus ſociis, ad regnum *Monomotapæ*, deſideriorum ſuorum metam, ſolus iter proſecutus, Cennam pervenit, populoſam urbem, ubi a Luſitanis & Indis mercatoribus benevole fuit exceptus, atque mox rete explicavit ad capturam, quæ tanta fuit, ut ſtabile ibidem, prout etiam Beſii Societati domicilium conſtrueretur.

Goſf. Sylveria.

Quatuor menſibus cum hic fuiſſet commoratus, Rex Monomotapæ, certior factus, eundem ad regiam ſuam urbem aulamque invitavit. Gaudio geſtiens Pater, ſacra ſupellectili tergo impoſita, pedes iter difficile ingreſſus, *Mahate*, urbe ampla, prope omnes incolas convertit, vaticinatus, verum Dei cultum ibidem conſtanter perſeveraturum.

Cum

Cum urbi Monomotapæ immineret, miſſi a Rege cum Cajado & aliis mercatoribus Luſitanis ei obviam proceſſere. In intimum Regis conclave, quod nemini conceditur, admiſſus, ſummo cum honore exceptus eſt, ad latus Regis ſede collocata. Munera vero, mirantibus, qui aderant, oblata acceptare renuit, præſtantiora multo auro, argento, gemmis, veſte pretioſa, afferre ſe dona inquiens, non caduca hujus mundi, ſed æterna, vera, ſumma bona: ſimulque finem, cur veniſſet, ut videlicet Regi omnibusque ejus ſubditis viam æternæ ſalutis & beatitudinis, in omne ævum perennaturæ, monſtret. A Rege excipitur.

Inceſſit Regem cupiditas hanc viam cognoſcendi, audiitque cum tota aula avide & attente de Regno Dei, animæ immortalitate, aliisque Chriſtianis veritatibus diſſerentem. Cum autem in hoſpitium ſuum receſſiſſet, coram imagine Deiparæ Virginis pulchre depicta preces fudit. Id advertentes Mauri, quos Rex ejus ſervitio addixerat, renuntiarunt; peregrinum illum habere ſecum ſponſam formoſiſſimam. Rex acciri Gonſalvum rurſus juſſit, & de ſponſa interrogavit.

Sylveria imaginem protulit, eamque Regi donavit, occaſionem captans, myſterium Incarnationis explicandi, quod videlicet Deus rerum omnium conditor & conſervator, ut hominem æternum felicem reddat, de Virgine naſci & pro ſalute humani generis mori, ac reſurgere voluerit, regnetque ceu ſupremus omnium dominantium Dominus in æternum: Matrem Virgineam regnare quidem in cælis cum Divino ſuo filio, imaginem tautem ſui reliquiſſe ad ſolatium hominum. Imago B. V. ...

Altera die Rex faſſus eſt, Divinam hanc Matrem in ſommo ſibi fuiſſe objectam, rogavitque, ut per vitæ fontem in hujus Cæli Reginæ Clientem aſſumeretur. Diſtulit Gonſalvus per tres dies baptiſmum, ut eum melius inſtrueret, & deſiderium magis accenderet. Præparatus itaque magna cum ſolennitate tinctus eſt ſalutis latice, aſſumpto *Sebaſtiani* nomine. Exemplum ſecuta eſt mater Regis, cum trecentis ex præcipua Nobilitate perſonis. Regem baptizat.

Quis non crederet, tantos ignes fore perpetuos? ſed ecce inſtabiles mortalium vices! vix hortus iſte ſpectatiſſime florere cœperat, cum ſubitus turbo ſpes omnes evertit. A Mahometanis, ad Chriſtiani nominis ruinam nato pecore, exitiale malum. Quippe Regis, adhuc juvenis, auribus præſtigiatores impii inſuſurrabant, peregrinum hunc hominem ab Indiæ Prorege, & Mozambizi, Sofalæ, & Ceputi (urbes ſunt munitæ Luſitanorum, haud procul diſtantes) Præfectis ſubornatum, ut regionem exploret, ſub religionis larva fabuliſque in- Mahometanorum fraudes.

inſulſis, incolas doloſe ad ſe trahat, atque hac fraude Luſitanis portam ad regnum invadendum aperiat: id genus emiſſarios etiam in Indiis præmitti ſolitos, ut armatis copiis viam complanent. Malis ejus artibus homines dementari, & aqua affuſa veluti philtro in amorem & obſequium flecti: Regis ipſius vitam præſtigiis appeti; præveniendum proin, & hominem tam noxium tollendum de medio, ne porro venenum poſſit ſpargere.

Occiditur. Rex male credulus his mendaciis irretitus in cædem Gonſalvi conſenſit. Irrumpunt igitur ſeptem ſicarii, & virum ſanctum, mortis ſuæ præſcium, immaniter trucidant. Hoc parricidium cum occulte ferme, nulloque ſervato judicii ordine fuiſſet patratum, Proceres, quos baptizaverat, & Luſitani, ubi innotuit, indigne ferentes, Regi impoſturas Mahometanorum ob oculos poſuerunt, & crudele ſcelus, quod Deus, criminum vindex, & Rex quoque Luſitaniæ, in quem injuria redundaret, eſſet ulturus.

Ultio. Quot verba tot tela pectus Regis vulnerabant. Converſa igitur in Mahometanos, cædis auctores, ira & vindicta, illos jugulari juſſit; atque ut agnoſceret ultricem dexteram, ingens locuſtarum examen, quod vel ſolem obſcuraret, campos depaſtum, publicam famem peſtemque attraxit.

Rex a Luſitanis reſtitutus. Suſpenſum deinceps propemodum fuit Religionis negotium ad annum uſque 1608, quo in Regem Monomotapæ gravem ſeditionem moverunt regni Principes. Supplex ille a Luſitanis flagitavit auxilia. Miſit Indiarum Prorex, Regemque exulem throno reſtituit, ea tamen lege, ut liberam Evangelium prædicandi Chriſtianis facultatem concederet. Cumque annuiſſet, confeſtim ad amplam hanc meſſem properarunt Patres S. Dominici, & Societatis Jeſu, qui multos quidem converterunt, ſed, pro mobilitate gentis, in priſtinas Alcorani fabulas plerique relapſi ſunt. Imperatores æſtimant quidem Religionem Chriſtianam, ſed polygamiæ vitium irretitos tenet carnales homines.

Cæterum Monomotapæ Imperium non modo eſt ampliſſimum, quod 20 ſub ſe regna continet, ſed etiam ditiſſimum, cum multos auriferos montes complectatur; aurum tamen parum æſtimatur, nec niſi, in quantum per illud varias a peregrinis merces poſſunt emere. Quod tunc potiſſimum fit, quando Luſitana navis Mozambico cum Indicis mercibus venit; tunc enim Imperator & ſubditi tantum auri colligunt, quantum pro rebus comparandis neceſſarium putant. Alio tempore non dignantur aurum eruere.

Tametſi vero Imperator ſit potentiſſimus, palatium tamen aulamque habet humilem, quam infimus in Europa Princeps dedignaretur.

Or-

Ornatus veſtium nullus, niſi quod faſcia ſerica medium corpus cingat, & vitta, a Luſitano aliquo donata, caput tegat. Thronus eſt ſcabellum, cui ad limen januæ poſito, decuſſatis pedibus, inſidet, cum legatos excipit. Principes ipſius filii non verentur ad noſtros Miſſionarios, quales plures ſunt diſperſi, excurrere, & fruſtum ſerici vel goſſipii, vel aliud quidpiam id genus recularum mendicare.

Nihilominus tamen, licet nihil pompæ appareat, ſubditi magnam Imperatori ſuo reverentiam exhibent, nec niſi obverſo eidem dorſo illum alloquuntur, ſummæ id reverentiæ ſignum exiſtimantes, cum non oporteat ſolem liberis oculis intueri.

# CAPUT VII.

## *Introductio Religionis in Cafreriam & Inſulas Africanas.*

Monomotapam & Meridionalem Africam, in Promontorium Bonæ ſpei excurrentem, duobus veluti brachiis amplectuntur *Cafres*, omnes inter Africæ barbaros maxime barbari, atque uti cute, ita animo nigerrimi, ſine Deo, ſine Religione, ſine lege. Barbariam hanc Patres noſtri ingreſſi omni induſtria adlaborabant, ut ex lapidibus ſuſcitarent filios Abrahæ, ſed labore plerumque incaſſo; nec tamen, ſumma inter licet verſarentur vitæ diſcrimina & calamitates maximas, locum voluerunt deſerere, tum ne paucos illos, quibus religionem inſpiraverant, deſtituerent, tum quia ſpe nutriebantur, fore, ut ſudore aut ſanguine perfuſa tellus, ampliores in fructus matureſceret. Ea, quæ ultra Promontorium Bonæ ſpei Cafreria porrigitur, Luſitanis parens, facilius admiſit cultricem manum. Cafreria.

Inſula circum Africam maxima eſt *Madagaſcar*, S. *Laurentii* a Luſitanis appellata. In hanc Goa miſſi ſunt anno 1616 quatuor Patres, qui tamen anno vertente Goam redierunt, ſive felicius alibi operam collocaturi, ſive ob præcipitem, Mahometanos & Ethnicos, quibus Inſula permixta eſt, convertendi deſperationem. Madagaſcar.

*Mozambicum*, Cafreriæ adjacens Inſula, Luſitanis eſt peropportuna; nam ex Europa navigantibus poſt ſuperatum Promontorium, ſive ad alimenta dulcemve aquam comparandam, ſive ad tutam ſtationem & naves reficiendas, ventumque exſpectandum, inſignes affert utilitates: nec mercimoniis inter Indos & Cafros aptius emporium. Luſitani Inſulam arce valida munierunt, firmoque militum præſidio, fixa ibidem Præfecti ſede, regiique ſenatus, qui præeſt Cafreriæ: quam Mozambic.

parva autem eſt & corporibus inſalubris hæc Inſula, tam dives eſt propter commercia; nam aurum, ebur, ambra, aliaque pretioſa ex *Senna* & *Sofala*; ubi fœcundæ ſunt aurifodinæ, huc convehuntur, mancipiorum inſuper ex Cafreria dives mercatura hic exercetur.

Jam S. Xaverius, cum anno 1541 in Indiam navigaret, excenſionem in hanc Inſulam fecit, eamque excoluit, relictis dein ibidem duobus ſociis, Paulo Camerte, & Franciſco Manſilla, ut ultimum converſionis operi complementum adderent. Gaſpar Barzæus poſtea multique alii Apoſtolicis ſuis laboribus Inſulam hanc in fide, morumque probitate confirmarunt. Conſtructum ſubin ibidem collegium, animarum propugnaculum, pro Cafris, & Indis opportunum.

Melinda. Eadem ferme beata ſors obtigit *Melindæ & Socotorræ*, quam utramque S. Xaverius ſanctitate & doctrina ſua illuſtravit. Melinda eſt regnum nobile prope Æquatorem. Religio potiſſimum fuit Mahometana: urbs tamen jam a primo in Indias ingreſſu amica Luſitanis fuit; ac propterea etiam ad recipiendos cœleſtes ſatus magis præparata. In Soccotorra Inſula, quam S. Thomas Chriſti doctrina imbuiſſe traditur, inventa ſunt adhuc veſtigia Evangelii, ſed variis erroribus & ſuperſtitionibus obliterata. S. Xaverius ſemen fidei ſparſit, quod ab aliis irrigatum, in uberem ſegetem crevit.

Atlanticæ. Dum autem eæ, quæ ſunt in orientali Africæ ora, Inſulæ ita excoluntur, occidentales etiam, quæ in mari ſunt Atlantico, *Azores*, *Canariæ*, *Heſperides* veritatis luce ſunt illuſtratæ. Poſtquam hæ ſæculo XV fuerant detectæ, cura Luſitaniæ Regum eo fuit intenta, ut Chriſtianæ doctrinæ myſteriis imbuerentur.

Anno 1546 tres e Societate operarii ad Azores iter dirigentes, poſt varios errores rejecti ſunt in Inſulam Maderam, quam piratæ Calviniani occupaverant, & præter alia crudeliter pro more geſta, ſtragem ſacrorum late fecerant. Itaque felix & optatus incolis Patrum adventus fuit. Anno ſequenti altera Patrum colonia in Canarias Inſulas a Turriano Epiſcopo eſt deducta. Dum ſocii præclarum hunc Antiſtitem imitari contendunt, dici vix poteſt, quantum laboris quanto cum fructo exhauſerint.

Ut autem ſtabiles eſſent Miſſionum ſedes, Rex Sebaſtianus in *Azoribus* tria fundavit Collegia: primum *Angræ*, primaria Inſulæ Tertiæ ſeu *Terceræ* urbe: alterum Funcaliæ in Inſula *Madera*: tertium in Inſula S. Michaelis, Azorum maxima. Anno dein 1593 quatuor e

Canariæ. noſtris comitati ſunt Epiſcopum in Inſulas *Canarias* ſive *Fortunatas*. Poſt diem ſeptimum, quam Hiſpali ſolverant, venerunt in *Palmam* civitatem, quæ eſt primaria Canariæ Inſulæ, cujus nomen vulgo etiam

reli-

reliquis tribuitur. Septem numerantur, Canaria, Teneriffa, Ferraria, Palma, Fortisventura, Gomera, Lancerota. Ubique ſic advenis, indigeniſque conſultum, ut dicerent, Inſulas ſuas ex eo Patrum acceſſu vere eſſe *Fortunatas*. Per Inſulas quoque *Heſperides* religio aut introducta, aut propagata, aut reſtaurata. At operi dum ardentius inſtat P. Emmanuel Alvarus, Inſularum illarum Apoſtolus, ad præmium laborum vocatus eſt, charitatis victima. Heſperides.

Anno 1618 ii, qui in Canariis Inſulis de Societate degebunt Patres, a ſuperioribus ſuis in Hiſpaniam ſunt revocati, quia nonnulli aliorum Ordinum Religioſi apud Regem erant queſti, imminutum iri jus ſuum, ſi Societas in Canariis ſedem figeret. Ægerrime eos dimiſit Regius Gubernator, & ampliſſimo elogio eſt proſecutus.

Non autem in Inſulis Fortunatis tantummodo variorum Ordinum Regularium, præſertim ex ſanctorum Dominici, Franciſci, Auguſtini Familia, zelus ardentiſſimus animarum emicuit, ſed in utraque etiam India & Africa, ſic Patres Prædicatores Monaſterium cum templo Mozambici conſtruxerunt, atque ex eo tanquam centro in omnes partes doctrinæ & virtutum radios diſperſerunt. Hieronymus de Couto & Petrus Uſſusmaris primi erant, qui tam utili pro ſalute animarum operi manum admoverunt. Zelus Religioſorum.

Ducta inde colonia in Inſulam Madagaſcarem, & Delgadenſem, in regionem Cuavam, Senam, Tetam, Melindam, Sofalam, Quirimbam &c. Erecta ubique Deo ſanctiſſimæque ejus Matri templa, eliminata ſuperſtitio, plantata religio, multa mortalium millia ſalutaribus undis tincta; atque ut zeloſiſſimi iſti in vinea Domini operarii monſtrarent, quo uſque ſe extendat charitas, graviſſima inter tormenta ingentes poſuerunt pro Chriſto animas in iis, quæ dixi, locis, Antonius de Peſtana, Hieronymus de Cruce, Joannes de S. Thoma, Nicolaus de Roſario, Joannes de Piedad, Franciſcus Cabaſſius, Joannes Travacos, Paulus Meſquita, Hieronymus de Maſcarenias, Joannes Suarez, Ludovicus Fonſeca, Gaſpar de Aſſumptione, Alvarus de Coſta, Ludovicus de Paixax, Sebaſtianus de Canto, multique alii a Mahometanis & Ethnicis in odium fidei occiſi. Fructus. Martyres.

Martyrem etiam pene dixerim *Emmanuelem Soſam*, Luſitanum, genere illuſtrem, ac præcipuis in India muneribus perfunctum, plurium ſcriptorum pennis celebratum. Is anno 1553 cum Eleonora, Garciæ Indiarum Proregis filia, conjuge & duobus filiolis ex India in Luſitaniam redux, ad Promontorium Bonæ ſpei cum veniſſet, tempeſtatum vi in ſcopulos impulſus, diſrupta navi paſſus naufragium, cum conjuge & liberis in cymbam ſe conjecit, tandemque in terram Soſæ fata.

eva-

evadens, magna premebatur inopia. Hanc ſublevabat Regulus Mauricus. Verum diffidens Soſa benevolentiæ ſignificationi, cum 120 ſuis comitibus (tot enim de 600 erant reliqui) iter inde proſecutus incidit in alium Regulum, crudelem ac barbarum, qui omnibus eos, quæ a naufragio ſupererant, ſpoliatos, ceu piratas ditione ſua ejecit.

Et Eleonoræ. Cum omnium egeni procederent, turba barbara etiam veſtimenta eis abſtraxit. Eleonora pudore ſuffuſa ſcrobem in arena eruit, atque in illam ſe immiſit, partem corporis ſuperiorem capillis tegens, ac fame extrema premente mortem, quam in votis habebat, opperiebatur, cum qua luctantem Soſa, ex ſylva, in quam ad alimenti aliquid comparandum excurrerat, redux invenit. Videre brevi debuit conjugem & utrumque filiolum fame extinctum. Poſtquam, eruta propriis manibus foſſa corpora ſepelivit, in ſylvam regreſſus eſt, nec amplius viſus. Creditur fame pariter & mœrore contabuiſſe, ſi non a latronibus aut beſtiis fuit occiſus. 26 de ſexcentis Soſæ comitibus in ſervitutem abſtracti, a Luſitano navarcho, qui Mozambico in eam oram venerat, poſtmodum ſunt redempti, atque in Luſitaniam vecti, hæc retulerunt.

Tota Cafreria propter immodicos calores eſt inſalubris, ſed herbarum ſucco adverſus morbos natura providit. Terræ, quas mare alluit, forent fœcundæ, modo eſſent, qui eas colerent. Palma miros fructus producit, ad vitæ uſus neceſſarios. Sylvæ Tigribus, Rinocerote, (qui cornu gerit, naſo inſertum) Urſis & Leonibus ſunt infeſtæ. Elephantes nusquam plures nec majores, nec ebur pretioſius. Homines baptiſmum facile recipiunt, ſed vitam ad leges Chriſtianas nolunt componere. Sicut nigerrimi omnes ſunt corpore, & ex eo colore pulchritudinem æſtimant, ſic etiam animo: Chriſtianis tamen Europæis in ſervos venundari facile patiuntur, iisque fideliter ſerviunt. Nec divitias, nec honores quærunt, nec cibos exquiſitos, ſed pulmento ſuo contenti hilares vivunt, ridentque Europæos, auro aut cupediis inhiantes.

# CAPUT VIII.

## *Introductio Religionis in Abiſſiniam.*

Abiſſinia, ſeu Æthiopia ſuperior, ſicut terrarum amplitudine, ſic potentia & opibus præcellit. Regitur ab Imperatore Chriſtiano, quem Preſbyterem Joannem appellant, ſed Eutychiana *Coptorum* ſeu *Jacobitarum* hæreſi infecto. Antiquiſſimis temporibus dicuntur fuiſſe ethnici, idolis ſervientes; tum vero a Regina Saba, a Salomone edocta, Judaiſmum hauſiſſe, donec ab evnucho Reginæ Candacis, Chriſtianæ legis notitiam percepiſſent: rudem tamen, & multis Judaicis ritibus mixtam, ac poſtea hæreſi quoque pollutam. Tempore quidem S. Athanaſii plenius veritate ſunt imbuti: ſed paulo poſt, ſub Schiſmaticis Patriarchis Alexandrinis, in Dioſcori & Eutychis hæreſes ſunt prolapſi. Primus eorum Epiſcopus Sæculo IV fuit Frumentius, a S. Athanaſio ordinatus.

Præter Baptiſmum circumciſionem adhibent: abſtinent ſuilla: 40 dierum jejunium rigide ſervant: nudis pedibus templum intrant: nemini in eo fas vel verbum loqui. Credunt realem Chriſti præſentiam in ſacra Cœna: Miſſam celebrant, ſed aliis multo ceremoniis. Quinque agnoſcunt ſacramenta, baptiſmum, pœnitentiam, Euchariſtiam, ordinem, & matrimonium, ſed nec materiam & formam, nec veros ſacerdotes habent. Chriſti, Mariæ, & S. Crucis magna apud eos veneratio. Templorum frequentia & decor nitet. Monachorum grandis numerus.

Joannes II Rex Portugalliæ, magis regnum Dei quam ſuum extendendi cupidus, Imperatorem Æthiopiæ per legatum ſalutavit, eique amicitiam & mutuum commercium obtulit. Acceptiſſima *Davidi* (hoc Imperatori nomen) venit legatio, miſſoque pariter in Luſitaniam oratore, ad Emmanuelem Regem, qui Joanni interea ſucceſſerat, munera & epiſtolam obtulit. In hac ſignificavit, quam gratum ſibi foret, ſi ambo Chriſtiani Reges amico fœdere jungerentur, ad eliminandos Mahometanos aliosque inimicos Chriſtiani nominis. Miſit Emmanuel alios legatos in Abiſſiniam, qui unionem pangerent.

Aliquot annis poſt David Imperator ad Clementem VII ſummum Pontificem prolixas dedit litteras, officii plenas, quibus eum ceu caput Eccleſiæ & Vicarium Chriſti ſummiſſe veneratur, addita profeſſione fidei. Verum poſt mortem Epiſcopi, qui Roma ipſi ſubmiſſus fuerat, cum orthodoxi deeſſent animarum paſtores, eos rurſus a Patri-

triarcha Alexandrino petiit, atque ſic Abiſſinia in antiquum Schiſma prope recidit.

Succeſſit *Claudius* filius, qui toto Imperio fuit expulſus, ſed a Luſitanis reſtitutus, amiſſo Chriſtophoro Gama, claſſis Præfecto. Verum Claudius, a fide orthodoxa omnino alienus, reddito regno, nihil eorum, quæ promiſerat, ſervavit, ſpreto Bermude Patriarcha. Joannes III Rex Luſitaniæ, tanto beneficio Claudium ad gratitudinis officia totum converſum ratus, a Julio III. & S. Ignatio Patriarcham cum aliis ſacerdotibus petiit, qui in Æthiopiam profecti unioni cum Romana Eccleſia manum admoverent. Miſſi ſunt anno 1555 Joannes *Nunnius Barretus*, Andreas de *Oviedo*, & Melchior *Carnerus*, primus Patriarcha, reliqui Epiſcopi, additis aliis 13 ejusdem ordinis Religioſis.

Tradidit eis S. Ignatius ad Claudium Imperatorem amplam epiſtolam, plenam ſpiritus & ſacræ inſtructionis; in qua oſtendit, Petrum ejusque in cathedra ſucceſſores viſibile eſſe caput Eccleſiæ, quæ ſit una tantum, Chriſto ſponſo ſuo unita; reliquæ omnes aridæ, a corpore ſeparatæ &c.

Goam cum veniſſent, intellectis Abiſſiniæ turbis, & averſo ab unione Claudii animo, Patriarcha Goæ ſubſtitit; Oviedus vero Epiſcopus cum 5 ſociis, pluribusque Luſitanis in Abiſſiniam abiit, ubi a Claudio Imperatore humaniter fuit exceptus, habitusque, nullam tamen de religione mentionem fieri voluit. At juſto Dei judicio, cum a Mahometanis invaderetur, a propriis ſubditis fuit interemptus, anno 1559.

Averſabatur Claudius veritatem, tolerabat tamen; at *Adamas Sequedus*, frater ejus junior, qui ſucceſſit, Princeps crudelis, immani illam odio eſt perſecutus, prædicatoribus illius, Oviedo Epiſcopo & ſacerdotibus in vincula & carceres conjectis, tandemque in exilium pulſis. Sed non diu furere licuit; nam a Mahometanis bello victus deſperatione interiit.

Filius, *Sequedus II*, fatiſcens undique adeptus Imperium, omne tempus bellis exegit; Catholicos vero nec amori nec odio habuit. Nunnio Patriarchæ, dum in Abaſſiam navigandi occaſionem exſpectat, anno 1562 Goæ mortuo, ſubrogatus eſt Andreas Oviedo; qui vitæ reliquum Abiſſinis impendit, ſummas inter calamitates, donec & ipſe anno 1580 vocatus eſt ad laborum & ærumnarum præmium. Ex ſociis Oviedi Andreas *Gualdanus* a Saracenis captus, cum ſacerdos eſſet agnitus, ſagittis transfixus eſt: Gonzalus Cardoſus a latronibus obtruncatus, Emmanuel & Antonius Fernandez laboribus

Apo-

Apoſtolicis ſunt immortui; ut adeo unicus ſupereſſet in Abaſſia ſacerdos Franciſcus *Lopez*, qui tamen & ipſe anno 1587 ad quietiorem vitam tranſiit. Abrahamus Georgius, ut deſtitutis in Æthiopia Neophytis & Luſitanis ſuccurreret, penetrare conatus eſt, ſed in ipſo aditu a barbaris fuit interemptus.

Plures equidem ſacerdotes, zelo animarum flagrantes, ſed a Saracenis intercepti, incredibile dictu, quot carceres, catenas, triremes, quamque barbaram ubique crudelitatem, verbera, famem, ſitimque ſint perpeſſi. Melchiori Sylva Sæculari Preſbytero ſors favit, ut in Abaſſiam cum ingenti Catholicorum ſolatio perveniret.

Secutus eſt mox, poſt toleratum ſeptem annis jugum Turcicum, P. Petrus Paez S. J. Fremonæ, urbe Luſitana, in finibus Abiſſiniæ ſita, ſolenni cum gratulatione exceptus. *Dangvil* ſive *Sequedus III*, Abiſſiniæ Imperator, id ubi cognovit, ſacerdotem ad Regiam ſuam invitavit, ſingularique cum honore venientem excepit: inſtruentem docentemque audivit; Miſſæ ejus cum devotione eximia interfuit. Singulari voluptate afficiebatur, cum ſacerdotem Chriſtiana doctrina juventutem imbuentem coram cerneret. Imo ſuperno lumine illuſtratus eo devenerat, ut unionis cum Romana Eccleſia negotium ſerio ſuſcipere ſtatueret, idque tum P. Paezio, tum ipſi etiam Clementi VIII ſummo Pontifici per epiſtolam ſignificaret. Verum ubi hæc res innotuit, duo Principes perduelles Imperatorem bello aggreſſi, cum pugna confereretur, eundem occiderunt.

Magnam in eo jacturam paſſa fuiſſet ſpes Chriſtiana, niſi ſucceſſorem nactus fuiſſet *Seltam Sequedum*, doctrinæ hominumque noſtrorum comprimis amantem. Scriptis ad Paulum V & Philippum III litteris unionem cum Eccleſia Catholica ardenter petiit. Cum autem tantam animi propenſionem in ſacra Catholica Abiſſini cernerent, multi, etiam ex Monachis, abjecta hæreſi, eadem ſunt amplexi.

Sed nihil ad augmentum fidei illuſtrius quam *Cella-Chriſtos*, Imperatoris frater, Prorex regni Gojam, Princeps incomparabilis, qui veritate perſpecta, Catholicæ Religionis Profeſſionem publice edidit anno 1613, idque Paulo V Pontifici per litteras ſignificavit: utque fructus converſionis ſuæ eſſet amplior, Colletæ in regno Gojam ſtabile Patribus S. J. domicilium fundavit: cum antea non niſi Fremonæ, & Gorgonæ prope Imperatoris regiam ſtationem haberent.

Imperator, ut hæreticorum ora obſtrueret, diſputationem ſolennem indixit, in qua diſcutiebatur quæſtio, an una vel duæ exiſtant in Chriſto naturæ; quam Patres Paez & Azevedius, propoſitis ab auctoritate & ratione argumentis adeo clare ſolideque explicarunt,

ut Imperator ſevere prohiberet, ne quis deinceps unam duntaxat in Chriſto naturam aſſereret.

Verum Pſeudo-Patriarcha & infinita Monachorum turba populum concitante, ſeditionibus & tumultibus omnia miſcebantur. Ipſum non raro Sequedi caput petebatur. Diu ſtetit invictus heros, & hydram unam poſt alteram decuſſit; donec tandem feſſus cædendo, hæreticis ſuos ritus, & ſectæ libertatem permittere coactus eſt.

Creſcebat nihilominus fidelium multitudo, ut adeo pluribus paſtoribus, etiam majoribus, opus eſſet. Miſit proin Gregorius XV anno 1623 in Abaſſiam novum Patriarcham Alphonſum Mendez cum Seco Epiſcopo, aliisque 12 e Societate Jeſu. Verbis concipi non poteſt, quanto cum gaudio, quantisque cum honoribus, Imperator ac regni Principes eosdem exceperint.

Patriarcha mox operarios per omnem Abiſſiniam diviſit, nova templa magno numero erexit, ac 13 domicilia, in quibus anno 1628 ultra 20 Patres S. J. habitabant, totamque viciniam excolebant, ea fructus ubertate, ut eo anno ad centum hominum millia converterentur. Anno 1630 venit in Abaſſiam novus Epiſcopus Apollinaris de Almeida S. J. cum novis Miſſionariis, ut cum ubertate meſſis creſceret meſſorum numerus.

Tam ſplendide profecto ampliſſimus hic ager effloruit, ut certa ſpes affulgeret, totam propediem Abaſſiam ab Alexandrino Schiſmate ad Eccleſiæ unitatem reductum iri. Sed quo minus ea felicitas obtingeret Æthyopiæ, duo obſtiterunt, & Sequedi Imperatoris ad extremum tepor, & Faciladæ ſucceſſoris ſæva impietas.

Profeſſus jam publice fuerat Imperator fidem Catholicam; damnatus error Dioſcori de una in Chriſto natura; agnitus Primatus Romani Pontificis; ſublata circumciſio; prohibiti ritus Æthyopici, cum Romanis pugnantes; ſancitæ in Miſſa & Sacramentis Ceremoniæ Catholicæ; cum hæretici, & præſertim Pſeudo-Patriarcha, ac Monachi Schiſmatici, obeundo Principes ſuæ factionis, ſeditiones ex ſeditionibus ſerebant; quas tamen Imperator tum per ſe ipſum, tum per duces ſuos, præſertim vero per præcellentem heroem *Cella-Chriſtos*, fratrem ſuum, feliciter comprimebat. Quapropter, ut regno ſuo quietem daret, hæreticos libertati ſuæ & ritibus priſtinis relinquebat.

Magnum ex hac indulgentia detrimentum paſſa eſt Religio; at Sequedus, acſi vindictam Divinam ſentiret, in lethalem morbum raptus, eoque extinctus eſt anno 1632. Obiit quidem Catholice, ſed inter vehementes animi angores. Gravius adhuc multo Eccleſiæ no-

nocuit, quod ſucceſſorem deſignarit *Faciladam* filium, cujus averſum ab Eccleſia Romana animum ignorare non poterat. Is quippe rerum potitus nihil antiquius habuit, quam funditus extirpare, quod pater plantaverat; & cum probe ſciret, unicum prope Religionis fulcrum eſſe Principem *Cella-Chriſtos*, patruum ſuum, illum omnibus bonis, honoribus & dignitatibus ſpoliatum in exilium ejecit. (*Anno* 1634.)

Eandem ſententiam tulit in omnes Miſſionarios, quorum plures per ſumma mortis diſcrimina Goam receſſerunt. Patriarcha Mendeſius cum novem ſociis in montium cavernis ſe abſcondit, ut orbato gregi ſe reſervarent. Sed a venaticis canibus, omnia ſcrutantibus, Turcis in diram ſervitutem ſunt venditi, donec tandem a Chriſtianis mercatoribus redempti, Goam, commune tunc exulum refugium, & ipſi penetrarunt.

Apollinaris Epiſcopus & alii ſex proſcripti Miſſionarii errabant mutato habitu per varias ſpeluncas, antra, & deſerta, omnium rerum inopes: ſed deprehenſi crudeli morte affecti ſunt, multique alii Catholici cum illis. Acceſſit tandem poſt 20 annorum exilium graviſſimum Princeps Cella-Chriſtos, glorioſa pro Religione morte defunctus, heros omnium ætatum memoriam promeritus. Solus ex ſacerdotibus in Abiſſinia ſupererat P. Bernardus Nugveira, qui occultis Catholicis Sacramenta miniſtravit; ſed anno 1653 & ipſe proditus, laqueo ad coronam fuit expeditus.

Jacebat deinceps Abiſſinia in cophticæ hæreſis tenebris ſepulta, donec ſub finem prioris Sæculi Patriarcha Alexandrinus cum Eccleſia Romana fuit unitus. Qua occaſione nova ſpes fuit concepta, Abiſſiniam, ab illo in ſacris dependentem, reducendi. Quapropter Ludovicus XIV Rex Chriſtianiſſimus, re cum Clemente XI collata, miſit per Ægyptum in Æthiopiam *Poncetum* Medicinæ Doctorem, cum P. Carolo Brevedente S. J. qui mutato habitu ſub ſpecie famuli eum comitabatur, ſed in itinere mortuus eſt. Medicus vero Gondarum, urbem regiam, profectus, humaniſſime a Jeſu Imperatore fuit exceptus, nec modica deſiderii Eccleſiam Abiſſinam dum Romana uniendi indicia dedit. Poncetus, explorato (quod commiſſum erat) rerum ſtatu, in Galliam rediit cum oratore, quem Æthiopum Imperator ad Regem Galliæ miſit.

Miſſi dein ſunt duo Patres Franciſcani cum dignitate legati Apoſtolici, & duo de Societate Jeſu Legati Regis Galliæ Ludovici XIV ad Jeſum Imperatorem, quem cum Eccleſia conciliarunt. Sed mo-

nachis perduellionis faces rurſus ventilantibus, throno dejectus fuit Imperator, & David quidam eidem intruſus, qui Miſſionarios anno 1716 ferali mortis ſententia perculit, & furenti populo lapidibus obruendos objecit.

# CAPUT IX.

## *De Coptis & Melchitis in Ægypto.*

Copti deſcendunt ex antiquis Ægypti incolis[1], qui primum Pharaonibus, potentiſſimis Regibus, tum vero Perſis, Græcis, Romanis, Cpolitanis Imperatoribus parebant. Cum autem in Eutychis & Dioſcori hæreſin prolapſi, concilium Chalcedonenſe, & S. Leonis ad Flavianum Epiſtolam nollent recipere, unamque in Chriſto naturam atque voluntatem cum Severo & Moggo pertinaciter aſſererent, ab Imperatoribus defecerunt, & Arabiæ Calyphis ſe ſubjecerunt, donec a Babyloniæ Sultanis, Mamelucis, ac demum a Turcis ſunt ſubacti.

Ingens in Ægypto eſt eorum numerus, habentque proprium Patriarcham, qui Alexandriæ reſidet; cui etiam Copti, per Abyſſiniam, Syriam, & Armeniam ſparſi parent; omnes communi vocabulo *Jacobitæ* appellantur, a *Jacobo* quodam *Zanzolo*, Monacho, Severi diſcipulo, qui per orientem diſcurrens, contra ſynodum Chalcedonenſem declamaverat.

Deteſtantur tamen Eutychen, qui humanam in Chriſto naturam a Divina abſorptam delirabat. At vero Copti Divinam & humanam deſtinctas aſſerunt, ſic tamen, ut unam conſtituant, ſicut corpus & anima unam naturam humanam conſtituunt.

Sacerdotes eorum ſunt rudiſſimi, quia ab officina fabrili aut ſtiva non raro ad aram attracti, redeuntque ad ſerviles ſuos labores; magno tamen apud eos propter ſacrum officium ſunt in honore. Sacramenta conferendi ritus & ceremonias habent varias, & aliquas plane ridiculas. Nemini confitenti abſolutionem negant. Sacram Euchariſtiam non aſſervant, ſed quoties ægro porrigenda, Miſſam legunt. Diuturna ac ſevera jejunia obſervant, ante Natalem Domini, ante Paſcha, & ante Aſſumptionem B. V. Mariæ, quam præcipua veneratione colunt.

Circa numerum ſacramentorum, proceſſionem ſpiritus S. a Patre & Filio, cultum ſanctorum & ſacrarum Imaginum, purgatorium, hierarchiam, & multa alia cum Eccleſia Romana quoad ſubſtantiam facile

cile conveniunt, quamvis varias fabulas & abuſus admiſceant, Romanum quoque Pontificem reverentur. Multi quidem eorum in favorem Mahometanorum circumciduntur, & propterea *Copti*, hoc eſt, *Circumciſi* vocantur; nequaquam tamen ſanguinarium hunc ritum ad ſalutem neceſſarium credunt.

Græci Schiſmatici, quorum multo pauciores ſunt in Ægypto, appellantur *Melchitæ*, quos Copti multo magis quam Catholicos exoſos habent, & tanquam hæreticos deteſtantur. *Melchitæ* dicuntur, ſeu Regii, quia in recipiendo Concilio Chalcedonenſi Martiano aliisque Imperatoribus fuerunt obſequentes; poſtea autem in errores, aliis Græcis in Europa & Aſia communes, a Photio & Cerulario potiſſimum, præſertim de proceſſione Spiritus ſancti invectos, inciderunt. Habent & ipſi proprium Patriarcham, qui plerumque Cairi degit.

Quamvis autem Ludovicus XIV, Rex Galliæ, Cairi fundarit Miſſionem, Copti tamen non multi ibidem convertuntur, tum propter radicatam tot annis averſionem a Concilio Chalcedonenſi, cujus ne quidem nomen ſuſtinent ob definitas duas in Chriſto naturas, magnam contra æſtimationem Dioſcori, Severi, & Moggi Patriarcharum præſeferunt, tum quia timent, ne Turcis graviter diſpliceret ſua cum Francis in Religione conjunctio, jugumque adhuc gravius redderetur, ac denique ab illis Chriſtiana Religio, quæ libere in Ægypto exercetur, omnino exſcinderetur.

Accedit craſſa ignorantia, & ſupina in rebus ad ſalutem pertinentibus oſcitantia, atque in erroribus, alte impreſſis, pertinacia. Fruſtra Coptum conviceris, fruſtra veritatem oſtenderis, fruſtra mutum reddideris: manebit, qualis ante fuit. P. du Bernat, S. J. Miſſionarius in Ægypto, ſcriptis anno 1711 Pariſios litteris, ſuggeſſit conſilium, ut pia liberalitate erigeretur ſchola, in qua cum litterarum elementis, teneris mentibus inſtillaretur Religio. Addit, magnam eſſe in Ægypto Græcorum, Syrorum, Armenorum, Gallorumque commercantium frequentiam, quorum cura pauci, qui adſint, Miſſionarii ita occupentur, ut ſe vix poſſint ad Coptos exporrigere. Rogat igitur, ut plures adjutores mittantur.

Sultanus Ægyptum, Romæ olim & Cpolis horreum, per Baſſam regit, qui ſingulis annis mutatur, ne ubertate ſoli nimium pingueſcat, & ſeditionem moveat. Sub eo autem multi ſunt provinciarum Gubernatores & adminiſtri. Quamvis autem Chriſtiani, plerique hæretici, numero ſuperent Mahometanos, hi tamen 24 fanorum millia poſſidere dicuntur. In nova & vetere Cairo 500 numerantur. Socie-

cietas noſtra domum, quam Cairi habet, mercatorum & conſulis Gallici favori debet. Ex trecentis Monaſteriis in eremo S. Macarii quatuor tantum ſuperſunt, eaque incolis ferme vacua. Sectæ ſunt Copticæ, auſteramque vitam agunt. P. Claudius Sigard S. J. anno 1714 ad hos Monachos inviſit, eosque inſtruxit, nec ſine fructu jacti ſeminis. Dolendum ſane, quod miſeri iſti homines magnos paſſus faciant, ſed extra viam.

Præter deſertum S. Macarii viſuntur ad Nilum Inferiorem rudera antiquæ eremi *Thebaidos*, ubi in cavernis terræ ac montium tabernacula ſua fixerant veteres Anachoretæ, Monaſtices ſanctæque Religionis cultores celeberrimi, Pauli, Antonii, Pambones, Paphnutii. Sed Dioſcori primum Schiſma, Arabum deinde Turcarumque barbaries omnia vaſtavit.

Vetera Ægypti monumenta, urbes, pyramides, monaſteria, eremos Thebaidis, mare rubrum, tranſitumque per illud Iſraelitarum, Nili monſtra, Crocodilos, Hippopotamos, &c. prolixe deſcripſit, addita mappa Geographica, P. Claudius Sicard S. J. multis annis per Ægyptum Miſſionarius. Novem annos Coptis convertendis fruſtra impendit, donec vir nobilis ingreſſus eſt, quem plures deinceps alii ſunt ſecuti. P. Sicard autem in obſequio peſte infectorum occubuit.

# LIBER TERTIUS.

## *Status Americæ.*

## CAPUT I.

### *Adumbratio Americæ.*

Cum America, quarta mundi pars, tres reliquas magnitudine ferme æquans, primum ſub finem Sæculi XV fuerit detecta, & ad id uſque tempus in barbarie ſua & litterarum ignorantia jacuerit ſepulta; vix aliquid certi conſtare de illa poteſt, ne quidem, quomodo homines poſt mundi diluvium in hemiſphærium illud, nobis obverſum, Oceano undique a reliquis orbis partibus ſeparatum, per-

pervenire potuerint, an videlicet ingentia illa terrarum ſpatia iſtmo aliquo cum veteri orbe fuerint conjuncta, an vero populi aliqui hyperborei ex Europa, aut Scythæ ex Aſia vel Æthyopes ex Africa navigando in illa penetrarint.

Primus erat *Chriſtophorus Columbus*, Ligur, qui a Luſitanis, Anglis, & Genuenſibus ſuis cum petitione ſua velut ſomnio exploſus rejectusque, apud Ferdinandum Catholicum, Hiſpaniæ Regem, proniores tandem aures invenit. Illius igitur auſpiciis anno 1492 cum tribus navigiis ex Hiſpania in Occidentem navigans *Antillas* Inſulas invenit. *Americus Veſputius*, Florentinus, cœpta proſecutus, in interiora anno 1497 penetravit, Braſilia quoque detecta. Ab ejus proin nomine novus ille orbis *America* fuit appellatus, non quod ille immenſos regionum tractus omnes explorare ſolus potuerit; hoc enim in hominis unius ætatem non cadit, ſed quod primus, ultra Inſulas adjacentes progreſſus, terram continentem ſit aſſecutus.

Plures deinceps viri magnanimi ſolertesque alias atque alias regiones detexerunt. Hos inter præcipuo loco memorandus venit Ferdinandus *Magellanes*, Luſitanus, qui in India Orientali inſignem Regi ſuo operam navarat; ſed a Luſitanis ſuis offenſus, in Europam redux, ad Carolum V Cæſarem & Hiſpaniæ Regem ſe applicuit, eique perſuaſit, prætervecta Auſtrali America, in Inſulas Moluccas opulentas Indiamque navigari poſſe. Obtentis igitur 5. navibus, iter ingreſſus, ſuperatoque Æquatore & Capricorno, in meridiem & occaſum tendens fretum invenit, & adjacentem terram, quæ ab eo nomen acceperunt; in hodiernam ſiquidem uſque diem dicitur *fretum Magellanicum*, *terra Magellanica*, *mare Magellanicum*. Magellanes autem navi una aquis hauſta, altera Hiſpalim redeunte, a perfido regulo eſt interemptus; reliquæ tres naves in Moluccas tandem devenerunt, inde vero per mare Indicum, prætervecta Africa, rurſus in Hiſpaniam. Atque hæc de inventoribus novi orbis ſeu Indiæ Occidentalis.

Dividitur America in *Auſtralem* & *Borealem*, Iſtmo ad *Panamam* urbem connexas.

In parte Auſtrali ſeu Meridionali eſt 1 *Terra Firma*, ſeu *Nova Caſtilia*, ex parte Auſtrali æquatorem attingens. Aurifodinæ ſunt in illa prope exhauſtæ. Argenti tamen & gemmarum adhuc eſt ferax. Sita eſt in ea *Carthagena*, portu inſigni inſtructa, commerciis maxime opportuna. Angli illam fruſtra obſederunt.

2. *Amazonum Regio* verſus Auſtrum proxima, atque ampliſſima, 150 diverſas nationes continere dcitur, quarum aliquæ ſunt valde

barbaræ. *Fluvius Amazonicus*, qui inter omnium maximos totius orbis numeratur, regioni interfluit, eamque fœcundat, ita, ut præter rem frumentariam & hortenſem, copioſe producat cedrum, ebenum, coccinum, goſſipium, ſacharum. Terra autem Idololatris ſcatet, tanquam noxiis zizaniis. Fabulantur aliqui, regionem Amazonum appellari, quod fœminæ in montibus habitent bellicoſæ, ſine viris, ad quos ſemel in anno deſcendant, ad ſexum ſuum propagandum. Credo, ab antiquis famoſis Amazonibus Aſiaticis fabulam eſſe deſumptam.

3. Regnum *Peruvia*, omnium opulentiſſimum, e regione Amazoniæ ad occaſum & mare Pacificum in meridiem eſt extenſum ab Æquatore ultra Tropicum Antarcticum. Veteres incolæ urbem condidiſſe feruntur, quam *Cuſco* nominabant, Reges vero omnes *Incas* nominati. *Lima*, *Potoſis*, *Quitum* urbes ſunt principes. Immenſam auri vim Hiſpanis hinc aſportant, prout etiam gemmas, præſertim ſmaragdos, vina pretioſa, argentum hydrargyrum, ſacharum &c. Pizarrus hoc regnum anno 1533 ſubegit. Hoc ſæculo ingentia a terræ motibus, incendiis, eluvionibus damna paſſum eſt.

4. Regnum *Chilenſe* infra Peruviam a Tropico Capri longo pariter littorali tractu ad auſtrum excurrens, montoſa licet & frigida ſit regio, eſt tamen fertilis, auro, jaſpide, cupro dives. Ab Hiſpano Gubernatore regitur, qui tamen Peruviæ Proregi ſubjectus eſt. Non omnes tamen incolæ Hiſpanis parent. Anno 1730 hoc regnum inaudito terræ motu concuſſum, accedente horrendo aquarum diluvio prope everſum eſt, infinita mortalium multitudine aut ruinis obtrita, aut undis ſuffocata.

5. *Terra Magellanica* extrema ad Auſtrum eſt portio, infeſto frigore, & æterno preſſa gelu. Nivoſa montium cacumina in cœlum exſurgunt. Incolæ immani ſunt ſtatura, efferis moribus, crudis in cibum carnibus aſſueti. Hiſpani ex Chilenſi regno hanc provinciam ſunt ingreſſi, ſed cum ad lucrum parum faceret, alibi utilius operam poſuerunt.

6. *Paraquaria*, ampliſſima terrarum portio, Tropico Capricorni ſubjecta, ab Auſtro terram Magellanicam, ab occaſu Chile & Peruviam, a ſeptentrione regionem Amazonum, & Braſiliam, ab ortu oceanum attingit. Sacharo, goſſipio, vino, frumento, abundat. Hiſpani in ea ſeptem habent provincias, *Paraquay* videlicet in ſpecie, *Chaco*, *de la Plata*, *Uraquay*, *Tucuman*, *Parana*, *Guayra*. Interfluit illi *fluvius Januarius* (*Rio de la Plata*) qui ad urbem Boni Aeris (*Buenos Ayres*) ingenti oſtio, 30 leucis lato, in oceanum ſe effundit.

7. Bra-

7. *Braſylia*, ſpatioſus terrarum tractus, intra æquatorem & tropicum ſitus, ab Auſtro Paraquaria, ab occaſu Amazonia, ab Aquilone & ortu Oceano concluſus, quadrati velut figuram refert. Partes littorales Luſitanis parent, qui magnas inde opes colligunt, ex ligno Braſylo (unde nomen Braſyliæ derivatum creditur) a Croco, Ambra, Goſſipio, Balſamo, Sacharo, Tabaco Braſylo, pellibus boum & ferarum. In provincia autem *Janeiro* locupletes aurifodinæ ſunt inventæ, unde Luſitanis largæ opes accreſcunt. Urbs in ea princeps eſt *S. Sebaſtiani*, portu inſtructa, ad trajiciendos Braſiliæ theſauros in Luſitaniam. Anno 1711 Galli hanc urbem occuparunt. Interiora terræ occupant homines nudi, barbari, antropophagi diverſarum nationum. Quando Luſitania erat conjuncta Hiſpaniæ, Hollandi ſæpius in Braſiliam irruperunt, ſed ablata reſtituere poſtea coacti ſunt. Nunc Angli, in Braſylia commercantes, in magnam lucri partem veniunt. Joannes IV primogenitum Regis Luſitaniæ *Principem Braſiliæ* appellari voluit.

Ex parte *Americæ Septentrionalis* viſuntur 1, *Mexico Vetus* ſeu *Nova Hiſpania*, ab Iſtmo Panamico longo tractu in occaſum & ſeptentrionem extenſa. Habet largas auri & argenti venas, profertque ſacharum, ſericum, balſamum, cacaum, aliaque cum ad voluptatem, tum ad vitam neceſſaria. Licet enim ferme tota ſit in Zona torrida, alluente tamen inde Oceano hinc Sinu Mexicano mire fœcundatur. Hiſpani in ea habent tria ſuprema tribunalia, Archiepiſcopum, Proregem, & Academiam *Mexici*, urbe principe. Prope Iſtmum ſunt *Panama* & *Portus Bellus*, urbes mercatu celebres.

2. *Nova Mexico*, quam etiam *Novam Granatam* appellant, Novæ Hiſpaniæ eſt proxima, ab occaſu fretum magnum Vermeyum ſeu Californium, a ſeptentrione terram incognitam, ab ortu Loviſianam & Canadam attingit. Anno 1583 ab Hiſpanis inventa eſt, qui varias eo colonias deduxerunt. Multi tamen adhuc barbari ſui juris ſunt, qui per *Caſiques*, quos ſibi eligunt, gubernantur. Terra montoſa eſt, ſed fertilis argento, cryſtallo, ſmaragdis &c.

3. *Florida* ab occaſu Novum Mexicum attingit, a meridie Sinum Mexicanum, ab ortu mare Mexicanum, a ſeptentrione altis montibus a Nova Francia ſeparatur. Hiſpani illam olim occupaverant; ſed Galli ſub Carolo IX partem ſibi decerpſerunt, quam ab ejus nomine *Carolinam* dixerunt. Galli ab Anglis expulſi ſunt. Neque Hiſpani de Florida ultra duas colonias retinent. Reliqua inter varias gentes, etiam barbaras ſunt diſtributa. Regio autem eſt fœcunda frumento, vino, moro pro bombycibus, & texendo ſerico.

4. *Virginia* a meridie conjuncta eſt Floridæ, ab ortu Oceano, ab aquilone & occaſu barbaris gentibus. Spectat ad Anglos, quorum multa millia in ea degunt. *Virginia* dicta eſt in honorem Eliſabethæ Reginæ, quæ virgo habebatur, quia nullum habuit maritum. Regio uberes fructus profert, præſertim Sacharum, Balſamum, Tabacum, Aromata, plantasque varias. Accenſetur Canadæ.

5. *Penſilvania* Virginiæ proxima, ſic appellata a Wilhelmo *Pen*, Quackero Anglo, cui Jacobus II illam donavit. Anna Regina variis illam privilegiis ornavit, Reipublicæ ſtatum politicum ibidem conſtituendi. Quackeri urbem ibidem condiderunt, quam *Philadelphiam* appellarunt, a fraternitate Quackerorum.

6. *Canada* generice ſumpta eſt ingens ille terrarum tractus, qui a Florida & Novo Mexico in ſeptentrionem excurrit ad fretum Hudſonicum. Dicitur etiam *Nova Francia,* quia Franci anno 1504 has regiones detexerunt, & conditis in iis urbibus nomina Gallica impoſuerunt. Putant aliqui, Hiſpanos jam prius terras illas acceſſiſſe, ſed theſauris vacuas cum reperiſſent, receſſiſſe, & *Promontorium Nihili* appellaſſe. Verum Galli, Angli, aliæque Europeæ gentes labore & induſtria effecere, ut non modicum inde lucrum reportent ex fibrorum & luporum marinorum pellibus, atque ex piſcibus exſiccatis, quorum ingens eſt copia. Tellus etiam ad fertilitatem, exciſis ſylvis & dumetis fuit perducta. Quadrupedes eædem, quæ in Europa, cum qua in iisdem ferme ſunt parallelis. Alces præterea ibi ſunt, grandes belluæ, quarum ungulis miras ineſſe virtutes Medicas prædicant. Incolæ barbari ſunt & truculenti, præſertim *Iroquæi*; nullius religionis homines. Viri bello & venationi vacant, agriculturam & labores ſerviles fœminis relinquunt.

Sunt in Canada multæ famoſæ provinciæ, uti *Loviſiana*, ad Gallos ſpectans; *Acadia*, quæ in pace Ultrajectenſi a Gallis ceſſa eſt Anglis: relicto tamen Gallis Portu Regio (*Port Royal*). Propter hanc potiſſimum cœptum eſt inter Anglos & Gallos bellum ultimum, cum de jure piſcandi eſſet controverſia. Haud procul abeſt Caput *Breton*, Gallorum Inſula, ſæpius pomum diſcordiæ. Princeps vero Canadæ civitas eſt *Quebecum*, præcipua Gallorum colonia, anno 1668 erecta, Gubernatoris Novæ Franciæ & Epiſcopi ſedes, cum arce Ludoviciana impoſita. Ultimo bello Anglis hæc obtigere.

Duo magni fluvii Canadam interfluunt, alter *Canada*, a quo tota regio nomen traxit, hodie flumen *S. Laurentii* dictus, quod in ſinum S. Laurentii ſe effundit. Alterum eſt flumen *Miſſiſippicum*,

quod

quod a ſeptentrione in meridiem devolvitur; Lawſil deceptiõnibus, quibus Europæ hoc ſæculo illuſit, famoſum.

*Canada propria*, ſive *Nova Francia in ſpecie*, Peninſulæ formam refert: nam Sinu S. Laurentii, freto Hudſonico, atque mari ab ortu & occaſu ferme cingitur, ſolumque a meridie continenti adhæret. Pertinet ad Gallos, qui primi anno 1504 in has terras veniſſe dicuntur.

Præter iſtas regiones in America ſeptentrionali ſunt multæ famoſæ Inſulæ, uti *California*, omnium maxima, a parte occidentali ultra mare Vermejum, a meridie in ſeptentrionem 500 leucis Gallicis extenſa. Regio eſt frigida & ſterilis. Gemmas tamen incolæ piſcantur. Hiſpani in ea habent coloniam. Ultra fretum Hudſonicum ad circulum polarem Arcticum exporriguntur *Nova Anglia*, *Nova Dania*, *Nova Hollandia*, *Nova Grœnlandia*, frigore rigentes. Ad Sinum vero S. Laurentii jacet Inſula Terræ Novæ, piſcatu celebris, in pace Ultrajectina Anglis a Gallis ceſſa. Ultimo bello a Gallis occupata, ſed in pace reddita.

In Archipelago Mexicano *Antillæ*, maximi momenti Inſulæ, quæ variarum Europæarum Nationum propter ſuam fœcunditatem jam dudum uſſerunt oculos. Earum maxima eſt *Cuba*, & in ea urbs princeps *Havana*, Hiſpanæ ditionis, quæ bello ultimo ab Anglis fuit expugnata, ſed in pace reſtituta. Eſt ſedes Gubernatoris Hiſpani, duabus arcibus egregie munita, & portu inſigni inſtructa, ad mercatum utiliſſima. Hinc in ea ſe congregant claſſes aureæ & argenteæ Hiſpanorum, indeque in Europam ſolvunt. Præter Havanam habent Hiſpani quatuor adhuc Colonias in hac Inſula. Profert aurum, cuprum, aromata, ſacharum, Aloe, pelles &c.

*Hiſpaniola*, ſeu *Inſula S. Dominici*, admodum ampla. Ad occaſum habent in ea Galli aliquot colonias; cætera pertinent ad Hiſpanos, cum urbe primaria S. Dominici, in qua eſt Archiepiſcopus, Gubernator, Academia, Tribunal, cujus Præſes a ſolo Rege dependet. Inſula ſuppeditat aurum, argentum, ſacharum, ambram, ceram, corium, aromata.

Portus Dives (*Porto Rico*) Inſula, anno 1493 a Columbo detecta, & ab anno 1510 ab Hiſpanis poſſeſſa. Habet Auri & Argenti fodinas, quæ tamen jam ferme dicuntur exhauſtæ. Amnes autem habet adhuc auriferos. Dives præterea eſt Sacharo & Salibus. Urbs princeps eſt fanum *S. Joannis*, Epiſcopi & Gubernatoris ſedes. Unde etiam *Inſula S. Joannis* appellatur.

*Jamaica* ad Anglos ſpectat. Egregie culta eſt, præbetque Sacharum, Tabacum, Goſſipium, Corium, Cacaum. In 14 circulos diviſa, 170 leucas Anglicanas longa, 70 lata eſt.

Hæ quatuor Inſulæ vocantur *Antillæ Majores*, præter quas aliæ minores ſunt plurimæ, trans Tropicum Cancri omnes ſitæ; cis vero Tropicum, verſus circulum Polarem arcticum ſunt Inſulæ *Lucayicæ* ſeu *Bahamæ*. Centum numerantur, exigui pleræque momenti. Maxima a *Providentia* nomen ſortita eſt, alias etiam *Abacoa* appellata. Spectant ad Anglos: prout etiam Inſulæ *Bermudes*, ſupra Lucaicas, e regione Floridæ & Virginiæ, quæ cedros, palmas, mala citrea, aurantia, melopepones ferunt.

Antillis Inſulis a quibusdam etiam accenſetur Inſula *Matanina* (*Martinique*) quæ ad Gallos ſpectat, populo & commerciis frequens. Suppeditat Cinnamomum, Sacharum, Goſſipium, Tabacum &c. Inſula quoque *Trinitatis*, in qua Hiſpani habent *Coloniam S. Joſephi*. In littoribus copioſas margaritas piſcantur.

Hanc generalem de America adumbrationem præmittendam putavi, nunc vero de præcipuis ejus partibus, & Chriſtianæ Religionis in eas introductione prolixius aliquid memorandum venit.

# CAPUT II.

## *Regnum Peruanum.*

## Articulus I.

### *Imago Peruviæ.*

Regnum hoc ad mare Pacificum in longum extenſum in montes aſſurgit, & in valles deſcendit. A Prorege gubernatur, & in tres circulos, ſeu tres *Audientias*, prout ab Hiſpanis appellantur, dividitur. Primus eſt *Quitenſis* haud procul ab æquatore, omnium primus ab Hiſpanis frequentatus. Urbs princeps in eo *Quito*, Epiſcopatu, Academia, auriferis montibus, & pannificio illuſtris.

Secundus Circulus eſt *Limanus*, cujus *Lima* eſt caput, totius Americæ princeps; duabus leucis a mari diſtans, a Franciſco *Pizarro* anno 1535 ædificata; præſtans pro commerciis emporium, quo aurum & argentum Peruanum convectum Panamam indeque in Euro-

pam

pam avehitur. Eſt Archiepiſcopi & Proregis ſedes: Academia, anno 1614 fundata, nobilis. Sed hoc ſæculo a terræ motu, & eluvionibus multum paſſa eſt.

Tertia *Audientia* eſt Charca, ſive *la Plata*, cujus caput eſt urbs *Potoſi*, ſeu *Argyropolis* dicta, quia argento abundat & auro. Certe montes aurei ibidem nequaquam ſunt ſomnia: ſed immenſa auri argintique vis inde exportatur: & quamvis pleræque Americæ provinciæ hujus pretioſi metalli ſint feraces, Peruvia tamen omnes multum ſuperat.

Hæc autem ferme eſt Hiſpanorum navigandi, aurumque & argentum ex America exportandi ratio. Gadibus evecta claſſis octidui ſpatio tenet Canarias: quatuor inde hebdomadis in Hiſpaniolam navigant: Carthagenam poſtea 12 dies, ubi per tempus aliquod mercatus exercetur, & pro Europæis mercibus aurum recipitur. Tum 6 dierum navigatione Portum Bellum pergitur, ibique claſſis Hiſpana ultra menſem moratur; quo tempore celeberrimæ nundinæ habentur, & plerumque Europeæ merces pro auri & argenti laminis, e Mexico & Peruvia apportatis, commutantur. Reditur inde Carthagenam, ſimilisque ibi rurſus fit nundinatio, denique Havanam pergitur; ubi ſtato tempore omnes naves conveniunt, & duorum vel trium menſium ſpatio Gadibus invehuntur, aut etiam Hiſpali. Ubi inter Hiſpanos, Gallos, Anglos, Hollandos, aliarumque nationum mercatores pro ſuis rationibus gaza cum proportione expenſi dividitur. Regi ſua peculiaris eſt portio, quæ tamen non modice defraudari dicitur.

Porro Peruani *Incas* ſuos ſeu Reges habebant, a quibus ex ſylvis, antris, & ſpecubus paulatim extracti ad cultiores aliquantum mores vitamque civilem perducebantur. Litterarum loco coloratis funiculis, in certos nodos flexis utebantur, quibus res geſtas ſignificabant. Arma eorum enſes, ſpicula, bipennes, ſecures, clavæ, olim ex argento confectæ. Seminudi incedebant. Victum herbæ & frumentum Indicum ſuppeditabant, potum liquor, ex oriza expreſſus, noſtræ cereviſiæ ſimilis, quo pariter bibebant crapulas. Indole ſunt fera, ſæva, ingrata, ad laborem pigra, ad artes tamen diſcendas & exercendas, imo & inveniendas perquam idonea & perſpicaci. Regum palatia, & idolorum fana conſtruxerunt magnifica, privati in mapalibus male materiatis habitant. Raro pluit; tellus tamen a mari & fluminibus, ex monte *Andes* ortis fœcundatur.

Urbs

Urbs regia fuit *Cuſco*, ampla, magnifica, plateis & palatiis ſuperba. Extat ingenioſæ antiquitatis monumentum, pons prælongus, ex ſtramine & juncis arcte contextus, compactusque, qui flumini impoſitus, & ab aquis ſuſtentatus, animalibus & curribus onerariis firmiſſimum tergum præbet. Delubra idolorum erant ſtupendi operis. Colebant autem honore præcipuo animam mundi, quam *Pacbacama* appellabant, ceu rerum omnium creatricem; poſt illam autem, ſolem, lunam, & alia aſtra adorabant, prout etiam iridem, fulgura, tonitrua, montes, jaſpides, fluvios, mare, leones, tygrides; omnibusque, quæ mira ipſis videbantur, Numen ineſſe credebant, eisque victimas, etiam humanas, præſertim infantum, crudeliter immolabant.

Scelera ſua ſacrificulo confiteri ſub gravi pœna jubebantur. Rex ſoli, planetarum principi, confitebatur. Poſtea in aquam immerſus omnia delicta ſua ſuffocari credebat. Animæ immortalitatem & reſurrectionem mortuorum non negabant. Feſtos dies varios colebant ſaltu, modeſtiore, quam Chriſtiani ſoleant. Modus homagii præſtandi erat plane exoticus; nam Principem flagris cædebant, aures ipſius perforabant, & totam ejus faciem, ſanguine victimarum, quæ Diis fuerant immolatæ, deturpabant. Puellas nobiles velut monaſteriis tanquam veſtales includebant, Regi poſtea aut aliis Principibus collocandas. Adoleſcentes pariter includebantur, a Popis inſtruendi.

## Articulus II.

*Pizarrus Ataguałpam vincit & occidit.*

Sapientiſſimus juxta ac potentiſſimus omnium Peruviæ regum erat *Guaynacama*, in cujus aula omnia auro puro nitebant. Duos is filios poſt ſe reliquit, *Guaſparem* regni hæredem, & *Ataguałpam*, quem alii *Atabalipam* appellant. Hic junior ſeniorem fratrem throno dejecit, & immanem tyrannidem exercuit: dignus ſane, quem Hiſpani deturbarent.

Primus Hiſpanorum Peruviam anno 1513 detexit *Blaſco Nunnez*, magno auri argentique theſauro in ea potitus. At *Arias Avila*, a Rege Hiſpaniæ in eas partes cum copiis miſſus, Nunneſium, inventorem Peruviæ, atque de re Hiſpanica optime meritum, ſtimulante invidia, interfici juſſit. Verum cædem hanc iniquam, in Hiſpaniam nuntiatam, magnus Indiæ ſenatus improbavit, & Avilam omni poteſtate & dignitate privavit.

Per has diſcordias hebetabantur aliquot annis ulteriores in Peruvia progreſſus, donec anno 1525 *Franciſcus Pizarrus*, & Didacus de *Almagro*, Hiſpani, obſcuri quidem generis, ſed opulenti Panamæ incolæ, novam expeditionem cum 120 duntaxat viris ſuſceperunt. Navigabant ſecundum Peruviæ littora, ſubitoque in terram deſcendentes, magnam auri argentique prædam reportabant.

Pizarrus cum ea in Hiſpaniam ad Carolum V ſolvit, expoſuitque immenſas regni Peruani divitias. Carolus eundem, S. Jacobi equitem creatum, ſuum in Peruvia vicarium conſtituit, id monitum, ut Chriſti religionem propagaret, & cum incolis amica commerciorum fœdera pangeret. Addidit in hunc finem duos Miſſionarios, Vincentium Dominicanum, & Joannem de Soſa ſæcularem ſacerdotem, cum 150 militibus, quos inter 4 Franciſci Pizarri fratres.

In reditu Panamæ incidit in ſocium ſuum Almagrum, mœrore affectum, quod opes ſuas in expeditionem Peruanam profudiſſet. Tacite invidiæ ſtimulis agitabatur, quod Pizarri expeditio fuerit pinguior, & nunc honoribus a Cæſare auctum & poteſtate cerneret, ſe vero neglectum: atque inde prima diſcordiarum ſemina.

Pizarrus autem anno 1531 poſtquam audivit, internecina bella in regno Peruano duos inter fratres, Guaſparem & Ataqualpam ardere, novam expeditionem ſuſcepit in turbido piſcaturus. Et quoniam Ataqualpa ſeniorem fratrem acie vicerat, & potiſſimam regni partem ad ſe traxerat, Pizarrus victo auxilia offerebat, quæ ille perlubenter acceptavit.

Miſit Bizarrus legationem ad Ataqualpam, quæ indigne habita nihil æqui retulit. Igitur Pizarrus cum 400 viris obviam proceſſit Regi, qui cum innumerabili multitudine ad pugnam ſuperbus venerat. At ibi Macedones cum Alexandro, hic Perſas cum Dario ſtare diceres. Datum utrinque ſignum ad prælium. Verum cum Peruani tubas & tympana, cum tormentorum & bombardarum tonitruis audiſſent, viderentque plures ex ſuis, globis petitos, cadere, ad rem ſibi inauditam attoniti, atque in effuſam fugam effuſi, regem ſuum Ataqualpam in manibus Hiſpanorum captivum reliquerunt.

Incredibile videtur, quantum auri argentique pondus Ataqualpa pro libertate ſua obtulerit. Acceptatum eſt, atque inter Hiſpanos milites largiter deſtributum, ſed ea lege, ne quid contra Hiſpanos moliretur, neve contra prædicationem & introductionem Chriſtianæ Religionis ſe ullo modo opponeret. Verum Ataqualpa, dum captivus detinebatur, cum Peruanis liber ad eum acceſſus pateret, Guaſca-

rem captivum fratrem ſuum cum multis aliis, eidem adhærentibus, occidi præcepit.

Ad hæc Philippus, homo Peruanus, ad Religionem Chriſtianam converſus, quo Pizarrus interprete utebatur, ut pellicem Ataqualpæ formoſam obtineret, eundem apud Pizarrum variorum criminum poſtulavit, & præſertim, quod cum Peruanis conſilium conferret, qua ratione Hiſpani ſubito invadi & opprimi poſſent. An vera diceret, ob linguæ ignorantiam explorari non poterat. Habita accuſatori fides, pronumque erat ſuſpicari, nullam Hiſpanis in Peruvia fore ſecuritatem, quamdiu Ataqualpa Rex viveret. Acceſſit Almagri, qui primum poſt pugnam advenerat, avaritia, qua ſtimulante, ut in partem prædæ veniret, Pizarrum in necem Regis vehementer urgebat.

Lata igitur in Ataqualpam mortis ſententia, qui fruſtra petiit, ut catenis oneratus ad Hiſpaniæ Regem, aut in perpetuum carcerem abduceretur, ſed reſti collo inſerto ſtrangulari debuit.

Non levem hæc cædes labem affricuit Pizarri gloriæ; ſunt enim ſcriptores, qui acerbe eum crudelitatis & injuſtitiæ arguunt, quod promiſſæ libertatis fide non ſtetiſſet, & regnum alienum, nulla cauſa data, invaſiſſet. Quod Ataqualpa Guaſcarem ſeniorem fratrem ſuum regno ſpoliarit, & occidi præceperit, quod tyrannidem etiam in alios exercuerit, aliaque crimina commiſerit, nihil pertinuiſſe ad Pizarrum; non enim eum in foro alieno competentem fuiſſe Judicem. Adhæc ſacratiora eſſe Regum capita, quam ut demeti debeant. Jus Naturæ & Gentium eſſe violatum, læſione pacti, cæde captivi Regis, & rapina alienæ terræ. Si timuit Peruanos, jure timuiſſe, ceu raptorem rei alienæ. Et cur non ſaltem flagitantem Regem in Hiſpaniam miſiſſet ad Imperatorem, ut, ſi quod in ipſum jus, ibidem judicaretur? Nunquam futurum fuiſſe, ut ab æquiſſimo & mitiſſimo Cæſare tam atroci ſententia condemnaretur.

Qui Pizarrum excuſant, adhæc reſpondent: miſſos a Pizarro legatos ad Peruanos, ut amicitiam & fœdus, commerciumque, utrique parti utile, cum ipſis contrahant: legatos contra omne jus Gentium fuiſſe cæſos; vindictam poſtulaſſe tantam injuriam, belloque juſto cauſam dediſſe. Guaſcarem victum, regnoque inique privatum a fratre, petiiſſe a Pizarro auxilia; hæc oppreſſo infelici Principi omni jure addici potuiſſe contra violentum uſurpatorem; bello proin juſto victum captumque Ataqualpam: nec promiſſionem libertatis eſſe violatam, cum uſurpator conditiones non ſervarit, ſed fratrem, Hiſpanorum ſocium, parricidali manu interemerit, aliaque, captivus licet, cum ſuis Peruanis, capita conferentibus, contra Hiſpanos clancu-

culum ſit molitus: jure igitur contra eum, qui nunquam Rex fuiſſet, actum videri, & poſt Guaſcarem Regem iniquiſſime cæſum, Peruviæ regnum jure belli ad Hiſpanos fuiſſe devolutum.

Si Hiſpania injuſtitiæ arguenda propterea, quale de aliis Nationibus Europæis ferendum judicium, quæ in America integras provincias populosque ſibi ſubjeciſſent? quid de Virginia, Canada, Braſilia, nova Anglia, nova Scotia, nova Hollandia, nova Dania? quid de Inſulis Lucaycis, Bermudibus, Jamaica? quid denique de tot Inſulis, provinciis, urbibus, portubus, littoribus, orisque maritimis in Africa & India Orientali occupatis? de tot arcibus & munitionibus, in ſolo alieno conſtructis, quæ de jure ſolo deberent cedere? Si hæc ſint juſta, cur ſoli Hiſpani ſint arguendi. A Proteſtantibus, qui Hiſpanos accuſent, proprios ſuos Principes damnari.

Tandem clarum eſſe jus Divinum, inquiunt, qui Hiſpanos defendunt, quo Chriſtus miſit Apoſtolos ſuos in univerſum mundum, prædicare Evangelium omni creaturæ. Jure eodem nituntur Miſſionarii, Apoſtolorum ſucceſſores; neque enim providentia Chriſti erga ſuam Eccleſiam ad Apoſtolorum duntaxat tempora ſe extendit, ſed ad omnia, donec fiat unum ovile & unus paſtor. Licet igitur Eccleſia Jurisdictionem directam non habeat in Infideles, utpote qui foris ſunt, ſeu extra Eccleſiam, habet tamen jus, mittendi ſacros per totum mundum operarios, qui Evangelium Chriſti prædicent; & ſi Infideles illis reſiſtant, Juri Divino reſiſtunt; cum teneantur inſtructionem admittere, & per Baptiſmum ingredi Eccleſiam. Si igitur ſe opponant Miſſionariis, injuriam inferunt, quam ſummus Pontifex vindicare poteſt per ſæculares Principes.

Hoc factum in caſu noſtro; Pontifex Romanus, & Rex Hiſpaniæ cum Pizarro miſerunt duos, quos dixi, ſacerdotes, Vincentium & Joannem in Peruviam ad prædicandum genti illi Evangelium. Oppoſuit ſe illis Ataqualpa, & rejecta cum deſpectu, quam expoſuerant, Evangelica doctrina, prædicare prohibuit, quod nullo jure facere poterat, ac proin Juri Divino, legi Evangelicæ, ipſisque Miſſionariis intulit injuriam, quam vindicare Pizarrus poterat, tanquam delegatus ſupremi Eccleſiæ capitis, & Imperatoris, Protectoris Eccleſiæ. Unde ex hoc etiam capite juſtum habere poterat bellum.

Quantum autem ad cædem Ataqualpæ ſpectat, ea eſt factum particulare Pizarri, falſis fortaſſe delationibus circumventi; quod approbare non poſſem: neque Carolus V Imperator approbavit. At Divina providentia, quæ etiam ex malo elicere bonum novit, hoc facto uſa eſt ad gloriam ſuam, & propagationem ſuæ, quam fundavit

In terris, Eccleſiæ; quippe ea nacta eſt per Americam incrementa, quæ apoſtaſiam Borealis Europæ abunde compenſarent.

## Articulus III.

### *De turbis & bellis, poſt mortem Ataguälpæ.*

Procelloſi inſtar pelagi æſtuabat poſt mortem Ataguälpæ Peruvia. Pizarrus urbem regiam Cuſco, timore perculſam facile ſibi ſubjecit, & ex ea immenſos auri argentique theſauros eruit; palatium regis, templum ſolis aliaque delubra puriſſimo fulgebant auro: pavimentum ipſum ſolido auro, ut apud nos lapidibus, erat ſtratum. Mox Limam occupavit, urbem hodie principem. Sed atræ nubes coeuntes grandem tempeſtatem præſignabant. Multi erant Peruviæ Principes, multæ Domus Regiæ Clientelæ, Mangus ipſe, occiſi Ataguälpæ frater. Hi populi peregrini jugo ægre cervices ſubjiciebant. Sopita in una parte belli flamma, in altera exardeſcebat.

Verum facilius tumultus iſti potuiſſent componi, niſi remoram injeciſſent cauſæ communi ipſi Hiſpani, civili bello inter ſe colliſi. Movit illud *Didacus de Almagro*, Pizarri alias ſocius; nam cum is a Carolo V meridionali Peruviæ Gubernator fuiſſet impoſitus, urbem Cuſco, tanquam ad provinciam ſuam pertinentem, a Pizarro repetiit. Negavit Pizarrus. Inde bellum, Hiſpanis & Peruanis in factiones iſtas diviſis. His bellis plura Hiſpanorum millia, & ultra millionem Indi perierunt. Tandem Almagrus, poſtquam urbem Cuſco & duos Franciſci Pizarri fratres interceperat, prælio victus, captus, & Pizarri juſſu capite plexus eſt (*anno* 1538.)

Pizarrus, cum quietem partam crederet, miſit Ferdinandum fratrem ſuum, per quem multa geſſerat, cum quinta parte gazæ Peruanæ in Hiſpaniam ad Cæſarem. Verum cum nuntius Almagranæ cædis, quam aula improbabat, jam prævolaſſet, aurum quidem acceptum eſt, ſed Ferdinandus in cuſtodiam datus, viderique perpetuo deſiit.

Hæc cum in Peruviam eſſent nuntiata, crevit animus *Didaco*, Almagri interempti filio, aliiſque multis, quibus inviſa erat Pizarrorum potentia, atque, ut interpretabantur, tyrannis. Eorum unus, Joannes *Rada*, cum ſeptem armatis in forum prorumpens, exclamavit: *vivat Rex, & pereat tyrannus.* Quo dicto in domum Franciſci Pizarri irrumpens, obluctantem & palpitantem trucidavit. Immenſas reliquit

liquit divitias, quæ tamen omnes mox fuerunt diſſipatæ, rapiente quovis, quantum poterat. Corpus occiſi diu inſepultum jacuit, donec quædam mancipia Indica illud in ſcrobem abjecerunt.

Hic finis erat magni conqueſtoris Peruviæ, documentum rurſus & ſpeculum non fallax humanarum rerum. Vires omnes mundo impenſæ: hæc merces. Et quis animæ ſtatus? natus erat in Hiſpania, Hiſpali educatus, atque inde in Americam transmiſſus Panamæ conſedit, donec fortunam experturus in Peruviam navigavit, ibique magna, quæ diximus, geſſit.

Funeſta hac ſcena necdum finita erat tragœdia; quippe interfectores ſanguineis mucronibus oſtentatis altum clamabant: *vivat Rex, & Didacus Almagrus.* Populus attonitus in duas partes ſcindebatur, & arreptis armis altera pro Almagris, altera pro Pizarris pugnabat, Penes priores ſtetit victoria. Unde *Didacus Almagrus* pro Gubernatore ſe geſſit, receptoque fidelitatis ſacramento, Radam, Pizarri parricidam, militiæ Præfectum renuntiavit.

Verum Rex alium Gubernatorem miſit *Caſtrium*, qui turbas componeret, & ceu judex omnibus jus diceret. Detrectavit comparere Almagrus, niſi paterna dignitas ſibi confirmetur. Ventum ad arma, victus acie a Caſtrio Almagrus, captus, & carnificis manu capite truncatus eſt, ambitionis & pervicaciæ triſte exemplum.

Querelæ interea non leves ad Regem Carolum fuerant perlatæ, quod Peruani, etiam ii, qui ſe ultro Hiſpaniæ Regi ſubjeciſſent, tanquam mancipia graviſſimo ſervitutis jugo a crudelibus Præfectis Hiſpanis premerentur; & velut olim Iſraelitæ in Ægypto immanibus tributis & laboribus in aurifodinis vexarentur, quæ res animos Indorum nimium quantum a nomine Hiſpano & Chriſtiana Religione alienet.

Pientiſſimus Imperator indignum cum Indis agendi modum graviter reprehendens, ut tanto malo efficacius mederetur, *Nunnium Vela*, additis 4 Conſiliariis, cum Diplomate Regio in Peruviam Proregem miſit, ſevereque mandat Præfectis aliisque officialibus, ut Peruanos non tanquam mancipia ſervituti ſubjiciant, aut ad metalla damnent, ſed tanquam ingenuos & liberos homines, fidosque Regis ſubditos, leniter & manſuete tractent: neque ad fodinas, aut piſcationem margaritarum, aut alias operas ſerviles adigantur; ſi autem ultro operam ſuam locent, merces ipſis fideliter ſolvatur; neque fructus aut alimenta ab ipſis exigantur, niſi pro debito pretio: ſed neque tributis a quoquam privato graventur, ſed ſoli Regi ſint vectigales. Mancipia mortuo domino ſint libera, nec a ſucceſſore retra-

bantur ad ſervitutem. Exules revocentur, & Chriſtiana fide imbuantur. Hæ aliæque ad 40 leges continebantur iſto Decreto, in favorem Indorum latæ. (*Anno* 1542.)

Dici non poteſt, quantum hoc Diploma, in Peruvia promulgatum, concitarit fermentum inter Præfectos provinciarum, aliosque officiales regios, quorum avaritiæ, & ſævæ dominationi frænum hoc pacto injiciebatur, ne pro libidine in Indos graſſari poſſent. Multi, ſeditione mota, aperte detrectabant obſequium. His ſe junxit *Caſtrius*, animo æger, quod redactus in ordinem, *Velam* ſucceſſorem ſit nactus. Hinc Magiſtratu, cujus dulcedinem guſtaverat, decedere noluit, excluſo ab urbium ingreſſu Vela. At hic callido uſus conſilio, Caſtrium tandem in rete tractum, atque compedibus onuſtum, in cuſtodiam dedit, quod pervicax mandata Regia ſpreverit, miſeros Indos tanquam mancipia inter Hiſpanos diſtribuerit, Almagrum Rege inſcio occiderit.

At Vela ſibi ipſi nexuit vincula; nam ſeditioſi, miſſa ad *Gonzalum Pizarrum*, qui ſolus e fratribus ſupererat, legatione, rogarunt, ut cum copiis, quæ eum ſequebantur, veniret ſibi auxilio, atque antiquas gentis Hiſpanæ libertates & juſtas conſuetudines, quæ everſum irentur, defenderet: Peruviæ Præfecturam locatæ operæ præmium fore. Venit ille, & Velam in fugam conjecit, ſupremus Peruviæ Gubernator Limæ renuntiatus propterea. *Vela* ter a Pizarro victus prælio, in ultimo miſere periit. Pizarrus vero Limam triumphans ingreſſus eſt.

Tanta rerum confuſio cum Regi Carolo fuiſſet nuntiata, miſit is anno 1546 novum in Peruviam Proregem *Petrum Gaſca*, cujus prudentiam & manſuetam indolem habebat perſpectam. Is Panamam cum veniſſet, capta de omnibus, quæ acta fuerant, informatione, plenam omnium actorum amneſtiam promiſit iis, qui ad obedientiam & obſequium Regis eſſent redituri, tractisque ſuavitate ſua ad ſe militiæ ducibus, effecit, ut plerique, deſerto Pizarro, in verba Regis jurarent. Solus Pizarrus, cum mille viris, qui ei remanſerant, reſtitabat, deditionem ſui detrectans facere; nec leve Gaſcæ negotium injecit, cæſis etiam ejusdem Ducibus: verum cum multitudine hoſtium tandem obrueretur, Gaſcæ ſe dedidit.

Vocatur in jus, ceu refractarius, rebellis, majeſtatis reus capite damnatus eſt, ut, qui imploratus a rebellibus, ducem ſe eisdem, correptis armis, præbuiſſet adverſus mandata Regia: Gubernatorem ſe ipſum conſtituiſſet, Velam vero Regium Gubernatorem, illato eidem bello, occidiſſet, aliosque ad rebellionem concitaſſet. Caput

ejus

ejus decuſſum ad terrorem palo fuit ſuffixum: truncus in urbe Cuſco terra obrutus. Complicum alii in Chilen relegati, alii ad triremes damnati, alii capite plexi.

Atque hic tandem fuit tragœdiarum, bellorum, turbarumque finis, quæ ultra 40 annos florentiſſimum multoque ditiſſimum Peruviæ regnum conquaſſatum ſurſum deorſum volverant. Reductus ordo, & quies; ſubventum per leges Regias Indis, graviſſimo jugo preſſis: poſita meta officialium avaritiæ; cameræ proventus ordinati; conſtitutus ſenatus perſonis idoneis; errores gentis emendati; templa & monaſteria erecta; ſacerdotibus & ſacris operis proviſa; converſi populi & Eccleſia Chriſti mirifice propagata; ager Domini martyrum etiam ſanguine irrigatus, prout nunc breviter enarratum ibimus.

## Articulus IV.

### *Chriſtiana Religio in Peruviam introducta.*

Primus Peruviæ Miſſionarius fuit *P. Vincentius de Valverde*, Ordinis S. Dominici, cui additus Joannes Sola ſacerdos ſæcularis, cum Franciſco Pizarro, quod ſupra memini, anno 1529 eo miſſus. Quem deinceps ſecuti ſunt multi alii ex eodem ſacro Ordine zelatores animarum. Vincentius, conſecratus Epiſcopus Cuſcenſis, ab Infidelibus anno 1741 in odium fidei occiſus eſt. Incrementum autem Religionis vel exinde deſumi poteſt, quod jam anno 1611 17 fuerint in Peruvia ex eodem illuſtriſſimo Prædicatorum Ordine Epiſcopi, virtute & doctrina clariſſimi. Effloruit eo tempore inter ſpinas Peruanas *Roſa Limana*, anno 1586 enata, & anno 1617 in paradyſum tranſplantata.

Ordo Seraphicus S. Franciſci pariter eximio ſuo animarum zelo in Peruvia inclaruit. Jodocus de Rycke Brabantinus, primum Limæ Monaſterium conſtruxit, Miſſionariorum Seminarium; & alia deinceps 40, cum ingenti Eccleſiæ emolumento.

Jodocus anno 1556 in Europam ſcripſit, ſe jam per 20 annos in urbe Quito degere; meſſem eſſe multam, operarios autem paucos. Incolas Baptiſmum ferventer expetere. Licet Peruani ſint litterarum expertes, non tamen malæ indolis: parce eos vivere; honeſtatis ſcintillas ex eis emicare, ad probrum plurium veterum Chriſtianorum. Facile eos capere doctrinam Chriſti. Agnoſci ab eis rerum omnium con-

conditorem, ſed hanc fidem multis erroribus & ſuperſtitionibus eſſe obfuſcatam. De cætero eſſe dociles, ad diſcendas artes admodum idoneos. Rogat denique, ut mittantur plures operarii in vineam Domini.

Ex Seraphica hac diſciplina prodiit S. Franciſcus Solanus, Americæ Apoſtolus, qui multa Indorum millia ad veritatis lucem perduxit. Anno 1589 ſolvit ex Hiſpania. Cum Panama in regnum Peruanum navigaret, ex naufragio mire ereptus eſt. Lima in Tucumaniam, ut omnibus omnia fieret, abiit. Tandem ſanctitate & meritis plenus migravit ad Dominum anno 1621, prodigiis in vita & poſt mortem clarus.

Anno 1552 ſacras ſuppetias in Peruviam deportavit ordo Eremitarum S. Auguſtini. Primus eorum Præſes erat *Andreas de Salazar*, qui ſubditos ſuos in omnes Peruviæ partes dimiſit, ad converſionem gentium. Unde merito ipſius Monaſterium appellatum eſt armamentarium Peruviæ ad profligandas tenebrarum poteſtates. Celebris inter Miſſionarios hujus Ordinis eſt Venerabilis P. Joannes *Ramirez*, qui per montes & valles, per invios calles, barbaros fugitivos eſt inſecutus, donec errantes has oviculas cicuratas ad Chriſti ovile perduceret.

Succeſſerunt plures ejusdem Ordinis ſacri heroes, qui idola conterebant, tigrides domabant, dæmones ejiciebant, erecto ubique victrice crucis ſigno. Eos inter, quos converterant, erat etiam Princeps ex Ataguálpæ progenie. Garcias inter iſtos labores ſuos Apoſtolicos ſignabat victoriis, & Didacus Ortizius ſanguine.

Magni quidem erant ſanctorum, quos dixi, Ordinum labores, amplique animarum proventus, ſed major in vaſto regno erat ſeges, quam ut eidem metendo ſufficerent. Igitur anno 1567 novæ acceſſerunt operæ, Miſſionarii videlicet Societatis Jeſu, & quidem primum Hieronymus *Portilus* cum ſeptem aliis, Carthagenæ, dein Panamæ, in Peruvia demum labores Apoſtolicos auſpicatus, animarum culturæ vitam conſecravit.

Et invenerunt ſane crudæ & informis ſatis materiæ, quam in virtutem elaborarent, quodque evellerent, deſtruerent, ædificarent, & plantarent. Poſt diuturna bella, quibus ſacra omnia profanis erant permiſta, confuſaque, languebat Religio, exulabat pietas: infelix lolium bonam meſſem ſuffocabat: injuſtitia, uſura, avaritia, oppreſſio pauperum, luxuria, aliorumque vitiorum monſtra paſſim dominabantur; veteres & originarii Chriſtiani novis & aſcititiis erant in petram

ſcan-

ſcandali: averſabantur eorum religionem, quorum malam vitam & corruptos mores videbant.

Opus igitur aggreſſi Patres, ſecurim radici admovere, ſcelera exſcindere, virtutem plantare, rudem pueritiam rectis credendi vivendique principiis imbuere, probe gnari, parum bonæ meſſis exſpectandum, poſtquam teneras plantas pruina decoxit. Catecheſis igitur publicæ inſtituta ratio. Quot Dominicis feſtisque diebus habebatur ad frequentem juventutem; adultioris etiam ætatis homines, Indi præſertim, catervatim confluebant. Acceſſit æſtimatio & favor populi. Prorex voluntate Philippi II Regis Limæ conſtruxit auguſtam Baſilicam & amplum, in quo hodie 170 perſonæ degunt, collegium, cui primum Archiepiſcopus lapidem poſuit. Habitæ frequentes conciones ad undantem populum; apertæ ſcholæ; inſtillatum cum litteris virtutis ſtudium, adſtitum ægris: diſperſi per provincias ſacri coloni: extenſa cura ad mancipia quoque, ex Africa & Guinea maxime, in Americam deportari ſolita, cautumque, ut in nigris corporibus candida habitaret anima.

Mira brevi ſecuta, Limæ præſertim, morum emendatio, ut adeo plures Epiſcopi ſociis annuerent, ut in partem ſollicitudinis & paſtoralis curæ venirent, miſſæque ſint non parca manu ex Europa ſuppetiæ. Portillus, ut totum ſe daret charitatis obſequiis, Rectoratu Collegii in Bracamontium translato, jam Canonicis & Clericis Jus Canonicum explicavit, jam ad populum dixit, jam comitante Nobilitatis Hiſpanæ caterva in noſocomiis ægris inſerviebat, Indis rei novitate attonitis, dum aſpicerent eos ſibi demiſſe famulari, quorum elatos & arrogantes ſpiritus ante perſenſerant.

Portillus compoſita Limana civitate, Cuſcanam, veterem regiam, laborum ſuorum centrum fixit, atque ſtabilita ibidem quoque ſede, velut ex corde per magnos Peruviæ artus vigorem diſpenſavit. Ultra 40 jam aderant ex eodem ordine Miſſionarii, qui provincias inter ſe partiti, Quarocirim, Hicamos, Truxillos, Ciaciapojos, Uritanos, Potoſios, Ciucutos, Tingamacos, Ciarcares, Chitos, Cuiquiſacos, Ambares, aliasque barbaras gentes excoluerunt, indefeſſa induſtria & laborum patientia, protenſa uſque in Paraquariam & Chilenſe regnum expeditione Apoſtolica.

Celebrantur a ſcriptoribus uberrimi fructus, quos retulerunt Joſephus a Coſta præſertim, Alphonſus Barbazana, Samaniego, qui narrat notam Hiſtoriam de Catharina Peruana puella, æterna morte punita ob reticitum in confeſſione grave peccatum. Ibidem monti a natura inciſa inventa eſt effigies Divinæ matris, filium brachiis ge-

ſtantis, tam perfecta, ut nullus ſtatuarius tam ſcite elaborare poſſit. Mirantibus barbaris expoſuit ſacerdos incarnationis myſterium, eosque ad fidem adduxit.

Acceſſit Martyrum ſanguis, qui, ut olim, ſemen fuit Chriſtianorum. Diverſis quippe in locis a barbaris in odium fidei occiſi ſunt Antonius Lopez, Michael Urrea, Martinus Aranda, Valdivia, Raphael Ferrerius, Bernardus Reus, Miſſionarii Peruani Societatis Jeſu; quorum glorioſo ſanguine ita tellus illa eſt irrigata, ut paucis poſt annis prope totum Regnum Peruanum fuerit Chriſtianum, paucis videlicet angulis exceptis, in quos barbari, Hiſpanorum dominationem fugientes, ſe receperant; ſed nullus tam abſtruſus erat locus, in quem animoſus Miſſionariorum Zelus eos non inſequeretur.

Hos inter erat P. Dominicus Mair, natione Suevus ex ſuperioris Germaniæ provincia, qui uſque ad Moxos, gentem barbaram excurrit, eosque cicuratos Chriſti jugo ſubjecit, pluresque novos populos detectos fidei lumine illuſtravit, Heriſchoconos inquam præ reliquis efferos. Numero hi & armis prævalidi Chriſtianos rapinis & cædibus perſequebatur. P. Dominicus, cum in aciem ordinati conſiſterent, ſolo crucis ſigno armatus eosdem intrepide acceſſit, & torvo vultu tenſoque arcu in ejus necem intentos, verbis amicis ac munuſculis ita delinivit, ut omnes haberet in poteſtate, & velut manſuetos agnos, quo vellet, duceret. Intra breve tempus anno 1728 octo eorum millia ſunt baptizata, ex hoſtibus infenſiſſimis ardentiſſimi fidei defenſores effecta. Horum exemplum mox alii ejusdem gentis plurimi ſequebantur; dum interim Xaverius Dirrheim, Caſparus de Prato, Joſephus Schwentner, & Petrus Biron, ex eadem provincia Miſſionarii alios barbaros populos, ceu errantes oviculas inquirerent, & ad ovile Chriſti adducerent.

## CAPUT III.

### *Regnum Chilenſe.*

Longo tractu infra Peruviam in meridiem excurrit, oramque ad mare Pacificum occupat. Multas habet urbes, quas inter eminet, quæ a *S. Jacobo* nomen accepit, 800 domibus, diverſisque monaſteriis frequens, Prætoris Hiſpani ſedes. *Urbs Conceptionis* Academia floret; ex qua plures in Religioſos Ordines aſſumuntur. Ex 120 Jeſuitis, quibus provincia Chilenſis anno 1688 conſtabat, tantum

tum 24 erant Europæi, quales tamen maxime deſiderat, & non raro etiam conquirit. Pluribus in locis propter niveos præaltos montes omnia frigore rigent. Valles fluminibus metalliferis irriguæ opimos fructus proferunt.

Cum Hiſpani Peruviam occupaſſent, in Chilenſe quoque regnum effuſi, plures provincias ſui juris fecere, eas maxime, in quibus mineræ diverſi metalli, auri & argenti venæ ſunt fœcundiores. Illatum ſimul erectumque crucis trophæum, tantisque incrementis propagata Religio, ut duos Epiſcopatus erigere neceſſe fuerit, alterum in urbe S. Jacobi, in urbe conceptionis alterum.

Noſtræ Societatis provincia Chilenſis ſub initium huius ſæculi numerabat ex omnibus prope Europæis Nationibus perſonas 150 in Collegia, Reſidentias & 14 Miſſiones diviſas. Sed anno 1724 Collegium & duas Reſidentias amiſit in ſeditione, quam Chilenſes concitaverant adverſus Hiſpanos, propter graves exactiones & vexationes. Pergunt tamen ſacri homines Regnum Chriſti ulterius ſemper ulteriusque barbaras inter gentes extendere; ut adeo ager ille, in altiſſimos montes aſſurgens ad voluptatem floreat.

# CAPUT IV.

## *Paraquaria.*

## Articulus I.

### *Deſcriptio Paraquariæ. Difficultas converſionis.*

In quatuor magnas provincias dividitur: 1 *Magellanicam*, a Borea in Auſtrum ad fretum uſque Magellanicum per 200 milliaria Germanica extenſam, in qua Hiſpani ad fretum duas munitiones conſtruxerant; ſed propter intenſa frigora & alimentorum defectum eam reliquerunt; quamvis juriſdictionem in illam ſibi adhuc vendicent. Incolæ *Patagones* appellantur, aut idololatræ, aut nullius fidei, giganteæ ſtaturæ homines.

2. Tucumanniam, quæ fructus, quadrupedes, piſces, volucres, aliaque ad uſus humanos ubertim profert. Hiſpani tres in ea urbes condiderunt, S. *Jacobi*, Epiſcopatu illuſtrem: S. *Michaelis*, & *Cordubam*, ubi Societas Jeſu Academiam pro inſtitutione Juventutis habet.

Præter iſtas primarias, aliæ plures minores urbes ſunt in poteſtate Hiſpanorum.

3. *Paraquariam* (*Paraquay*) ſpecifice dictam, in qua urbs *Aſſumptionis* regionis caput, ſede Epiſcopali inclita: *S. Fidei*, aliæque. *Parana* quoque & *Uraquaya*, ſpatioſæ provinciæ ad Paraquariam ſpectant.

4. Præfecturam fluminis *de la Plata*, in qua urbs *Boni Aeris* (*Buenos Ayres*) primaria, ſedes Epiſcopi, portu aliquantum remoto inſignis, in quo Hiſpanæ naves, quæ Paraquariam, Chile, & Peruviam tendunt, ſolent appellere. Intra hanc civitatem & Cordubam extenduntur ampliſſimi campi, & optima paſcua, in quibus ferocia animalia, uti equi & boves indomiti ingenti numero multiplicantur, imo & cicurati ad ingenium facile redeunt, ad feros in campos notos dilapſi, barbari quoque homines eorum indolem non raro æmulantur, poſtquam ſunt manſuefacti, barbariem reſumentes. Tauri innumeri cæduntur, ſed non niſi pelles & lingua auferuntur. Caro corvis relinquitur. In iisdem campis & ſylvis multæ aliæ ſunt feræ beſtiæ, leones, tigrides, leopardi, pantheræ, urſi, lupi, canes, cati, inter quæ mirum ſæpe certamen.

Sunt autem in Paraquaria & reliqua America Auſtrali plurimæ adhuc gentes barbaræ, quæ Hiſpanorum & Luſitanorum gubernationem exoſæ, libertatem ſuam mordicus defendunt. Unde eorum converſio eo eſt difficilior, quo magis timent, ne a Miſſionariis, quos ſæpe pro exploratoribus habent, exterorum poteſtati ſubjiciantur. Vivunt ſine Rege, & ſine Lege: ipſa tamen neceſſitate perſuaſi diverſi populi, elegerunt ſibi ex ſenioribus ſuæ gentis Præſidem, quem *Cacique* appellant, cui vis ferme directiva tantum fuit commiſſa, non autem coercitiva; quia pro arbitrio ſuo volunt vivere; quamvis vivant miſerrime in tuguriis, ex juncis, virgultis & arborum ramis contextis, quorum oſtium tam eſt exile ac humile, ut humi rependo penetrare debeant.

Facile autem mutant domicilium, dum omnia ſua ſecum portant, & ſub alio Caciquio agros, qui ſunt primo occupantis, colunt, ſi tamen colant, cum ad labores ſint pigri, & ex venatione & piſcatione lubentius ſe ſuſtentent. Veſtibus vix ullis utuntur, niſi diebus eorum feſtis, quibus plumis verſicoloribus ſe cingunt. Pulchrior ille cenſetur, qui longiores habet capillos, per corpus defluentes, eosque impexos, quia pectine carent.

Bella inter vicinos populos frequentia. Cum vero adverſus exteros procedendum, factis induciis, ſe conjungunt. Arma eorum, ſicut plerorumque barbarorum, arcus & ſagittæ, fuſtes quoque nodoſi, ex uno latere acuti. Cauſa bellandi, ſicut in Canada & Braſilia, ſæpe non eſt alia, ac ſpes, cæſorum & captorum carnibus in feralibus ſuis conviviis veſcendi. Potus ordinarius eſt ſuccus quidam, quem *Cicejam* appellant. Hoc ebrii per triduum ſæpius helluantur, ſaltant, & luxuriantur, raro ſine rixis & cædibus.

Numen aliquod ſupremum agnoſcunt & immortalitatem animæ. Hinc defunctorum ſepulchris cibos apponunt, arcum & ſagittas. Lunam matrem ſuam dicunt, & quando eclipſatur, cum horriſona vociferatione vulneribus ſe cruentant, ut dolorem ſuum demonſtrent, quod luna vim patiatur; cum vero rurſus ex umbra terræ emergit, tripudiis exultant, quod canis, qui eam deglutiiſſet, evomere rurſus debuerit. Cum tonitrua audiunt, augurantur, Mammelucos irrupturos, a quibus in ſervitutem ſint abſtrahendi, unde in antra & ſpecus ſe recondunt. Solem quidam virum putant, ex Majorum traditione de virgine conceptum, ac poſt patrata miracula in cælum aſcendentem & in ſolem converſum. Multis aliis ludibriis *Mapon*, ſupremus ſuperſtitionum Præſes, cæcum populum dementat.

Jam vero quanta fuerit difficultas, populum adeo barbarum, vagum, & ſuperſtitioſum, fera ſua & aſſueta indole abducere, atque ad humanitatem & Chriſtiana ſacra transferre, facile æſtimabit, qui conſiderat, quantæ molis ſit naturam, a prima juventute prava conſuetudine duratam, vitiisque innutritam, exuere, novumque hominem, a carnis & ſenſuum illecebris depuratum, induere.

Ludovicus Antonius *Muratorius*, Ducis Mutinenſis Bibliothecarius, celebris ſcriptor, in libro, quem de Paraquaria more ſuo eruditiſſime ſcripſit, parte 1 cap. 7 alias adhuc graves rationes affert, cur in America, & præſertim in Paraquaria difficillime Religio ſit propagata, easque refundit in duram quorundam Hiſpanorum incolas tractandi rationem, qua in eos, contra mandata Regum Hiſpaniæ, crudeliter ſint graſſati. Recenſet grave jugum, mancipatus, ſervitutes, labores & onera impoſita &c. inde factum, ut Indi, libertatis ſuæ tenaces, nomen Hiſpanum ſimulque Miſſionarios ſint execrati. Alteram cauſam derivat a ſcelerata, in civitatibus præſertim, vita, quam intuentes Indi perſuaderi non potuerint, bonam eſſe eorum religionem, quorum tam vitioſa eſſet vivendi ratio. Hinc factum, ut Miſſionarii in locis, Europæorum habitationi propinquis multo

difficilius Indos converterent, quam in remotis, quæ Europæorum mores ignorabant.

Tertiam cauſam refert in *Mammelucorum* irruptiones, de quibus ſupra dixi. Quia autem non exiguam Hiſtoriæ Americanæ partem faciunt, aliqua adhuc addenda reſtant. Trans fluvium Januarium ad promontorium S. Vincentii ſita eſt urbs *S. Pauli*, *Piratininga* alias appellata, rupi impoſita, natura & arte egregie munita. Ædificavit illam Luſitanorum colonia, eo deducta. Cum autem fœminæ Luſitanæ deficerent, duxerunt Luſitani Braſilas. Nati ex iſtis liberi Chriſtianum quidem nomen profitebantur, ſed moribus erant plus quam barbaris, *Mammeluci* propterea a Luſitanis appellati. P. Anchieta, aliique Patres, qui in ea urbe collegium habebant, omnem impenderant operam, ut eos ad frugem revocarent. At illi in gratiarum actionem, everſo collegio, Jeſuitas expulerunt, ſimulque obſequium, Regi Luſitaniæ Domino ſuo debitum, penitus ferme excuſſerunt.

Orta proin ſpecies aliqua Reipublicæ, cumque facinoroſi homines, ut pœnas evitarent, ex Luſitania, Hiſpania, Anglia, Hollandia, Italia ad illos paſſim confluerent, ita aucti ſunt, ut multa millia conflarent. Mauri quoque, a dominis ſuis profugi, civitatem refugii, Piratiningæ apud prædones iſtos invenerunt. Negabant tandem ſe Regis Luſitaniæ eſſe ſubditos; quamvis enim quintam partem auri, quod effoderent, Regi penderent, proteſtabantur tamen, ſe id non facere ex obligatione, aut ullo debito, ſed ex ſola liberalitate & reverentia erga Regem.

Incredibile dictu, quanta prædones iſti non Braſiliæ modo, ſed Paraquariæ quoque aliisque regionibus damna intulerint, quanta itinera ſuſcipiant, ut prædas agant, quot colonias, pagos, urbes, provincias vaſtarint, quam infeſtas reddant vias publicas, quot Braſilos, quot Paraquarienſes in diram ſervitutem abſtraxerint; cum enim circum Piratiningam, tellus, ſi colatur, ſit feraciſſima, ipſi vero culturæ labores fugientes, graſſationibus, rapinis, prædationibus, latrociniis, ſe totos dedant; mancipia vi conquirunt, quæ pro ipſis agriculturam exerceant, ſacharum præparent, in metallorum antris fodiant, aliosque ſerviles labores ſuſtineant. Conſtans eſt fama, quod fex iſta hominum ad duos Indorum milliones, & inter eos quingenta Chriſtianorum millia aut atrociter occiderit, aut in ſervitutem abſtraxerit. Miſſa ſunt equidem tum a Prætoribus Braſiliæ, tum ab ipſis etiam Luſitaniæ Regibus gravia ad eos mandata, quibus tanta barbaries & prædandi licentia ſevere fuit interdicta; ſed cum ſe liberum populum dicerent, a barbaro ſuo inſtituto non receſſerunt.

Cum

Cum autem latrones iſti Chriſtianos ſe nominent, facili conjectura eſt aſſequi, quantum ipſi Religioni propagandæ obicem ponant.

Unum exemplum attingam: Cum 800 ex ſuis & 3000 Indis, ſibi ſubjectis, in Reductionem Paraquarienſem improviſo irruperunt, P. Mazeta, ſacerdotalibus veſtibus indutus, cum cruce in manu obviam eis proceſſit; ſed Chriſtiani hæc nominis probra machæram in eum librarunt, Caciquium prope ſtantem ferreo globo trajecerunt, incolas omnes, cujuscunque ætatis & ſexus in ſervitutem abſtraxerunt. P. Mazeta & P. Diax oviculas ſuas ultro ſecuti, querelam ad Prætorem Braſiliæ deferebant, qui per litteras ſuas a prædonibus impetrare plus non poterat, quam ut de 15000 captis 50 dimitterent.

## Articulus II.

### *Introductio Chriſtianæ Religionis in Paraquariam.*

Tot licet eſſent obſtacula, linguarum difficultas, barbaries & feritas hominum, per ſylvas & montes ſine lege vagantium, continua inter ipſos bella, effuſæ libertatis amor, vitiorumque omnium impunis aſſuetudo, odium exterorum, quorum crudelitatem multi erant experti, alii timebant, humanarum carnium ferales epulæ, & ebrietas: mala exempla Chriſtianorum, Mamelucorum graſſationes, qui eodem nomine gloriabantur; Miſſionarii nihilominus, animante animarum zelo, & fiducia in eum, in cujus manu ſunt corda hominum, opus arduum generoſe aggreſſi, ad barbaros convertendos ſe totos exprompſerunt.

Quia autem prudenter judicabant, formandos prius homines quam Chriſtianos, in id omni ſtudio incubuerunt, ut barbaros, ex antris ſuis elicitos, in communitatem aliquam civilem colligerent, humanamque ſocietatem. Quod cum poſt multam induſtriam denique obtinuiſſent, colonias eas *Reductiones* appellabant; quas ut conſervarent, agriculturam, præbito eis ſemine, barbaros docebant, ut inde victum haurire poſſent. Conſtruebant ex ligno templa, erudiebant populum, baptizabant infantes primum, tum etiam adultos, ſufficienter inſtructos, Divina officia celebrabant, ſacramenta diſpenſabant, tanta concurrentis populi devotione & modeſtia, ut Patres erumpentes præ ſolatio lachrymas continere non poſſent.

Cum

Cum autem rumor hac de re ad vicinos populos perveniſſet, Miſſionarii per ſylvas & montes diſcurſantes, barbaros ex antris eductos ad ſimilem vitæ civilis normam colligebant, erectis continua ſerie, in quibus habitarent, ædibus; & ſic una poſt alteram *Reductio* ſurgebat, adeo, ut ultra 30 numerarentur, in quarum ſingulis plura hominum millia ad Chriſtianam vitam inſtituebantur, priſtinæ vero magnopere augebantur. Cuivis civi ſua agri, quem excoleret, portio pro magnitudine familiæ aſſignabatur, quoniam nemo ante fundum proprium habebat, ſed omnia erant communia. Ubi vero ſterile erat ſolum, incolas ad fœcundius traducebant. Reductionum termini prælta cruce ſignabantur; ulterius ſemper ulteriusque coloniæ illæ inter Indos ſunt propagatæ. Miſſionarii non tantum animas curabant, ſed etiam quæ ad ſuſtentationem corporis requiruntur, ſollicitudine ſua providere cogebantur.

Cum tantam in ſe charitatem & curam Indi cernerent, eos amabant, nec pauci fuerunt, qui zelo accenſi, populares ſuos convertendi, Miſſionarios, ad barbaros euntes per longiſſima & difficillima itinera comitabantur, tum ut eos a noxiis beſtiis & barbaris hominibus defenderent, tum ut viæ duces, & verborum interpretes ſe præberent, tum denique, ut & ipſi Infideles iuſtruerent, & ad fidem amplectendam perſuaderent. Captivos etiam, maxime infantes redimunt, eosque Chriſtiane educant ad libertatem filiorum Dei. Non raro contingit, ut Indi Chriſtiani, Caciquii quoque, ad barbaros ſine Miſſionario diſcedant, multosque ſecum in Reductionem ſuam Chriſtiana fide imbuendos adducant.

Quantus vero fervor, quanta modeſtia, quanta devotio, & reverentia in Deum & ſacra! dignum profecto cælo ſpectaculum, videre homines innumeros, qui antea feris beſtiis conſimiles, in ſylvis cum iisdem vagantes, ebrietati & luxuriæ immerſi, trucidandis devorandisque hominibus toti fuerant intenti, jam vero ex lupis, urſis, tigribus, in manſuetos agnos & innocuas columbas converſos, qui fervore pietatis, charitate, morum integritate, primævam Chriſtianitatem repræſentent. Stupenda hæc mutatio gratiæ comprimis Divinæ, Miſſionariorum dein inſtitutioni, catecheſibus, concionibus, bonis exemplis, & indefeſſæ induſtriæ debentur. Hæc rationem inſtillavit, hæc humanitatem docuit, hæc ab ingluvie & helluationibus ad temperantiam & ſobrietatem, a vitiis ad virtutem, ab effrænata graſſandi licentia ad civilem vitæ rationem, ad animæ curam, ad Dei cultum prorſus eximium admiranda ſane metamorphoſi traduxit.

Sicut

Sicut apud Romanos olim & Græcos, conſtituti ſunt ex primoribus morum cenſores, qui in delicta notoria animadvertant. Reus pœnitentis habitu indutus in medio templi a populo dati ſcandali veniam petit, tum in forum eductus pro gravitate delicti flagellatur: oſculatur manus correctorum, & gratias agit, promiſſa emendatione. Quidam ultro accedunt cenſores, & occultum ſuum delictum manifeſtant, rogantque, ut ſimili pœna publica plectantur.

Eccleſiæ initio ex lignis erant conſtructæ: poſtquam autem plures Fratres Coadjutores, Architectonicæ, aliarumque artium periti in Paraquariam venerant, ex lapidibus ſunt erecta, ornata ſacris Imaginibus altaria, Chriſti præſertim & Beatiſſimæ ejus Matris, quam ſpeciali cultu venerantur: paramenta non quidem ſunt pretioſa, ad decorem tamen compoſita. Quamvis autem Eccleſiæ & ſacræ aræ, nec auro, nec argento, nec gemmis fulgeant, viva nihilominus Dei templa, etiam in humili ſuo veſtitu, dici poſſunt aurea; quia incredibili modeſtia & devotione ad omnem venuſtatem ſplendent.

Divina officia ſolenniora redduntur devota Muſica, quam docuerunt Miſſionarii, præſertim adoleſcentes, qui hujus artis ſunt admodum capaces. Memorant ſcriptores, hanc, tam choralem quam figuratam, ut vocant, talem eſſe, ut nulli in Hiſpania concedat: vix ullum eſſe in Europa inſtrumentum muſicum, quod non amœne & ex arte tractare norint, imo & conficere. Mirum, quantum Indi delectentur ſono harmonico; unde etiam barbari infideles frequentes in Reductiones Chriſtianas venerant, & muſicæ atque Divinorum officiorum majeſtate capti, inſtrui & baptizari petebant: qua innocua arte aut auctæ ſunt Reductiones antiquæ, aut ad novas erigendas data occaſio.

Imo Miſſionarii, qui muſicam callebant, etiam cum primo in Paraquariam pervenerant, ad littora maris, vel fluminum ripas conſidebant, & qua voce, qua inſtrumentis concinentes, barbarorum multitudinem ad inauditum ſibi melos, alteri velut Orphei, attraxerant, & Evangelium deinde magno cum fructu collectis prædicabant. Extra Reductiones certo intervallo ſacella ſunt conſtructa, ad quæ ſtatis Eccleſiæ diebus fiunt ordine optimo proceſſiones, ſeu ſupplicationes publicæ, harmonico juvenum cantu animatæ; ad quas ingens eſſe conſuevit populi concurſus.

Cantor ex viris ſeu muſicæ Præfectus a Miſſionariis conſtituitur, qui magni æſtimatur, quia Evangelium & Breviarium legere novit; unde rudiores parentes eum conſulere ſolent, cujus ſancti nomen incidat in diem, quo recens ipſis natus eſt infans, ut illius nomen

illi poſſint imponere; quia autem cantor latinum non intelligit, factum ſæpius, ut inde cora eis nomina ſuggeſſerit, uti *Caiphas*, *Piſtina*, *Capharnæum*, quæ dein Miſſionarius, errore animadverſo, mutari juſſit.

In qualibet porro Reductione duo ſunt Patres; alter Parochi munere fungitur, & in loco remanet, alter in pertinentes ad Reductionem pagos excurrit. Præſtant omnia, in Europæis parochiis conſueta. Quotidie catecheſi inſtruuntur pueri, quibus prima fidei rudimenta traduntur, ubi mille ſæpe conveniunt. Alia habetur pro juvenibus, alia pro adultis, alia pro catechumenis, alia pro iis, qui ad ſacramenta confeſſionis & communionis primo ſunt admittendi. Quot Dominicis feſtisque diebus habetur concio ad congregatum populum: celebratur ſolenne Miſſæ ſacrificium; promulgantur incidentia in hebdomade feſta & jejunia. Denuntiantur ad Tridentini præſcriptum ineunda matrimonia. Celebrantur illa ſolenniter in Eccleſia ſub Divinis officiis: ubi etiam ritu ſolenni præſente populo confertur baptiſmus: audiuntur confeſſiones. Viſitantur ægri. Defertur ad eos ſacrum viaticum, comitante devoto & concinno ordine, atque concinentibus muſicis frequentia populi. In Eccleſia mares a fœminis ſunt loco diſcreti, imo ne quidem per eandem januam intrant & exeunt. Aſpicere in templo fœminam pro magno piaculo habetur: uti etiam, ſi quis vel verbum loquatur.

A prandio diebus Dominicis habentur congregationes Marianæ, cum fervente parænesi ad 800 non raro ſodales, ſummæque gratiæ loco ducunt, qui eisdem aggregantur; viſunturque præclara eorum exempla: dum ſingulis octiduis ad S. Confeſſionis & Communionis Sacramenta devote accedunt. Veſperis omnes interſunt, qui non ſunt impediti, & ad ſolis occaſum Roſario piisque cantibus, & precibus lytaneuticis, in templo quotidie frequentatis. Nemo de caupona, nemo de choreis cogitat; ſed dies feſti, cultui Divino dicati, ſanctificantur. Scholas quoque in ſingulis Reductionibus Patres erexerunt, in quibus juventus docetur legere, ſcribere, computare; nam ultra quatuor numerare non poterant. Si quinque exprimere volebant, manum oſtendebant, ſi decem, utramque manum, ſi viginti, manus & pedes monſtrabant. Ulteriorem numerum non niſi ſub ratione generica multitudinis expreſſerant.

Morbis, qui ſunt frequentes, graſſantibus maxime exercetur Miſſionariorum indefeſſa charitas: nam ſacerdos diu noctuque ægris aſſiſtit, curatque animam, frater vero coadjutor, cogente neceſſitate, corpus; cum nec Medicus, nec pharmacopæus habeatur. Ad noxias

ex-

exhalationes & evaporationes vitandas nullus mortuus, ne quidem Caciquius in Eccleſia ſepelitur, ſed in cæmiterio ſacro, aliquantum remoto.

Barbari longos capillos nutriunt, idque ad ornatum ſpectare putant, converſi autem eosdem abſcindunt; ex quo Chriſtiani ab Infidelibus dignoſcuntur; quamvis ex ipſo etiam habitu & moribus facile diſcrimen pateat. Quando Indus Chriſtianus in urbem aliquam Hiſpanam venit, uti propter modeſtiam, morum probitatem & devotionem Hiſpanis eſt admirationi, ita non parum ſcandalizatur perverſa quorundam vita, ut adeo non modicus ſit Miſſionario labor, quo reverſi in ſuam Reductionem doceantur, inter ſanctitatem Chriſtianæ legis, & mala quorundam contra legem facta diſtinguere. Reddendam Deo rationem ab iis, qui talia male agunt. Atque hinc, ne Indi ſcandalum patiantur, Regium mandatum Miſſionarii impetrarunt, quo vetatur, ne Hiſpani Reductiones accedant, niſi tranſitum neceſſitas imperet.

Maximopere quoque admiranda eſt Chriſtiana charitas, pax, & tranquillitas, dum ii, qui rixis, & cædibus erant aſſueti, ſumma inter ſe vivant concordia, ut adeo dici de illis poſſit, quod de primis olim Chriſtianis, fuiſſe unum cor eorum & animam unam. Si quæ cauſa, quod raro contingit, controverſa incidit, ad judices aut arbitros compromiſſarios defertur, qui, percepta facti ſpecie, abſque ambagibus & forenſi ſtrepitu, rationis præfulgente lumine, ex Juris naturalis, & Evangelicæ legis principiis pronuntiant, & litem diriment. Nec difficilis erat executio, cum nulla interponeretur appellatio aut reductio ad arbitrium boni viri, ſed condemnatus ſimpliciter ſententiæ adquieſceret.

Cum una Reductio ſterilem annum patitur, aut grando meſſem profligat, ſuccurrit altera, & quidem gratis. Eandem charitatem & liberalitatem exercent erga Reductiones noviter erectas; nam collatis ſtudiis frugum ſemina large ſuppeditant, omniaque alia neceſſaria, donec poſſint metere, ipſisque ex fundo proprio ſit proviſum; cum vero ex barbaris quiſpiam ad fidem convertitur, gaudio exultant, non aliter ac Paſtor Evangelicus inventa ove perdita, & eum certatim donis cumulant. Idem obſequium charitatis prolixe exhibent locupletiores erga egentiores. Quod cum Miſſionario, vel etiam ſine illo, per longa terrarum ſpatia excurrant, ut Neophitos conquirant, alias memini.

Feſta Eccleſiæ præcipua prorſus eximia ſolennitate, cultu ac devotione celebrant, feſtum præſertim SS. Corporis Chriſti. Pluribus ante diebus ad illud ſe præparant. Quidquid domi rarum, quidquid tellus pulchrum & amœnum habet, feſtivitati huic ſervire debet. Plateæ, quæ amplæ ſunt, per quas ſanctiſſimum deportatur, tegmine ex juncis pulchre contexto ſternuntur; ſuperſparguntur innumeri flores, odore amœniſſimo & diverſo colore præſtantes, latera platearum venuſtis frondibus, eleganter inflexis, intermixtisque floribus, cinguntur. Certis ſpatiis arcus triumphales, ad omnem pulchritudinem & majeſtatem exornati ſplendent, frondeis lateribus annexi ſunt funiculi, quibus alligatæ verſicolores aves ſaltitant & cantitant. Collocati certis locis vivi catuli leonum & tigridum, arcte & caute, ne turbent, conſtricti: quia hos multum ad pompam facere exiſtimant. Sed hæc omnia ſuperantur a pulcherrimo ordine, modeſtia & devotione populi, elevatis ante pectus manibus incedentis.

Cum pauciſſimi ſint in Paraquaria pro ratione terrarum Epiſcopi, ampliſſimæ ſunt Diœceſes; quapropter poſſunt rariſſime eas viſitare. Quando autem id contingit, ſumma cum reverentia a Chriſtianis excipiuntur: ſacramentum confirmationis conferunt, &, cum modeſtiam, fervorem, vitæque integritatem vident, lachrymis, præ ſolatio fluentibus, temperare non poſſunt; nec unus eorum fuit, qui, poſtquam hæc præſens viderat, Societatis Miſſionarios, omnium dictarum Reductionum fundatores & Præſides, contra malevolorum calumnias, apud ſummum Pontificem & Reges Hiſpaniæ non ſummopere laudarit.

Indi eodem ferme ritu excipiebant Miſſionarios noviter ex Europa ad Reductiones ſuas advenientes. Per centum & ultra leucas obviam illis procedebant. Inventos omni humanitatis genere exceptos ad Reductionem deducebant. Dici enim non poteſt, quanto amore Miſſionarios ſuos, veneratione & obſequio proſequantur. Nam eosdem non tantum ut Patres ſuos ſpirituales, omni virtute & zelo animarum ornatos, ſed etiam ut patres ſuos familias, qui omnia ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria provident, qui eos agriculturam, variasque utiles artes docuerunt, tenere diligunt. Cum barbari Miſſionarium ad lanienam deſtinaſſent, fuit, qui ejus habitum indutus tela exciperet. Alias tota aliqua Reductio, correptis armis, longum iter acceleravit, ut ſacerdotem furori barbarorum eriperet.

Atque hinc Chriſtianorum Indorum opera accedente plures ſemper pluresque gentes barbaræ convertebantur; protenſo etiam late in Amazonum regionem Evangelio. Enituit zelus Miſſionariorum,

po-

poſterioribus præſertim temporibus, ex Provincia Germaniæ ſuperioris; ut alios taceam, multa millia converterunt Patres Xaverius Dirrheim, Caſparus de Prato, Petrus Piron, Joſephus Schwendner (aſſumpto nomine Baſilii) Sebaſtianus Schmid, & Dominicus Mayer, qui anno 1717 in Paraquariam, atque inde ad Chiquitas & Mockos, barbaros profecti, ſinguli colonias erexerunt. P. Dominicus vero primus novam gentem barbaram convertit.

## Articulus III.

### *Eccleſiaſticum & Politicum regimen in Reductionibus.*

Novi hi Chriſtiani, ſicut omnes aliæ gentes vere Chriſtianæ, venerantur Romanum Pontificem tanquam caput totius Eccleſiæ, & Vicarium Chriſti in terris, cum ſuprema poteſtate Juriſdictionis Eccleſiaſticæ in omnes Fideles. Subjecti inſuper ſunt Epiſcopo, cujus Diœceſi ſunt adſcripti. Tales Epiſcopi pro amplitudine Paraquariæ ſunt pauci; nec propter infinitam locorum diſtantiam conſuetas alias viſitationes poſſunt peragere, niſi rariſſime, quanto Indorum ſolatio, tanto ſuo incommodo. Totum igitur ferme, quod remotis illis ſubditis præſtare poteſt, in mandatis & ordinationibus Romanis & ſuis ad Parochos vel eorum Provincialem mittendis conſiſtit.

Omnis itaque actualis Reductionum illarum cura incumbit Miſſionariis S. J. qui Parochorum in iis officio funguntur. Cum novi, ex Europa advecti, linguam didicerunt (quod eſt difficillimum) & idonei cenſentur, à P. Provinciale proponuntur Prætori Regio, qui eos præſentat Epiſcopo, ut Parochi inſtituantur. Multis ſimul privilegiis & facultatibus, prout in tam remotis barbariſque terris neceſſarium eſt, tum a ſummo Pontifice, tum ab Epiſcopo ornantur.

Quantum ad temporale Regimen ſpectat, Reductiones, quas dixi, liber antea populus, Regi Hiſpaniæ ſe ſubjecerunt, ſed conditionibus adeo mitibus, ut totidem velut liberæ Reſpublicæ cenſeri poſſint. Quamvis enim Juriſdictioni Gubernatoris Regii ſubjaceant, illam tamen ferme non aliter ac per ipſos Indos exercet. Nominat enim Judicem, quem *Corregidorem* appellant; qui tamen non poteſt eſſe Hiſpanus, ſed eſſe debet natus Indus. Reliquos officiales, judiciales, militares, alioſque ſibi populus per electionem conſtituit, a Prætore tamen confirmandos: cui cauſæ etiam capitales ſunt reſervatæ. Cæteræ cauſæ criminales & civiles ad domeſticos Judices ſpectant; nec

ulli Hiſpano integrum eſt, in aliqua reductione domicilium figere, imo neque in illam ingredi, niſi neceſſarii tranſitus gratia.

Tributum annuum, quod Regi in recognitionem ſupremæ Juriſdictionis tribuere debent, eſt valde moderatum, nummus videlicet, qui thalerum Imperialem circiter, ſeu florenum & dimidium æquat; *Peſo* Hiſpani appellant, Germani ein Stücke von Achten, quia octo Realibus Hiſpanicis conſtat. Cum Regi adverſus barbaros aut Europæos eſt bellum, aut munimentum eſt conſtruendum, debent operam ſuam & auxilium conferre. Hiſpani autem debent eis præſtare protectionem & tutelam, atque, ſi a barbaris aut Mamelucis Paulianis invadantur, ſuccurrere. Inſignia autem privilegia, ut facilius converterentur, & in communitates redigi poſſent, eis collata ſunt a Philippo II, a Carolo II, & Philippo V pientiſſimis Regibus.

Nummum enim, quem dixi, ſoli viri præſtare tenentur, non autem fœminæ, nec juvenes, qui vigeſimum ætatis annum necdum expleverunt, aut 50 ſuperarunt. Exempti etiam ſunt nobiles, Caciquii, & ii, qui Eccleſiæ ſervitio ſunt deputati. Neque poſſunt Hiſpani plus exigere; neque poſſunt alteri in feudum aut commendam concedi, ſed immediate Regi debent manere ſubjecti. Contra vero Indi, qui ſunt extra Reductiones Hiſpanis ſubjecti, quintuplo plus debent contribuere, aliiſque inſuper gravibus oneribus ab officialibus premuntur.

Cæterum Reges Catholici non tantum authoritate ſua & armis, ſi neceſſe ſit, Reductiones defendunt; ſed etiam, Catholicæ Religionis propagandæ zelo accenſi, grandes ſumptus impendunt, ut Miſſionarios in Indiam transferant, ibique cum Eccleſiis ſuſtentent. Vinum pro ſacrificiis, oleum & medicamenta ex Europa liberaliter mittunt; addunt largas in annos ſingulos eleemoſynas, ut adeo plus dare videantur, quam accipere ex Paraquaria, nullius auri, & argenti aut alterius metalli ferace. Et hinc Deus illis benedicit, ut jam in tertium ſæculum poſſideant immenſa terrarum ſpatia, a tam paucis Hiſpanis occupata, nec unquam alii Europæi, Americæ tanto numero inhiantes, penetrare potuerint in Mexicum & Peruviam, auri & argenti matrem.

Beatæ profecto dici poſſunt, de quibus loquimur, Reductiones, quibus in ſpiritualibus & temporalibus tam bene proviſum eſt. Luxum Europæum neſciunt. Fructibus, quos terra profert, ſunt contenti. Mitiſſimo ſubſunt imperio. Quilibet ſub vite & ficu ſua quietus degit. Nullis advocatis, procuratoribus, notariis indigent; ſumma inter eos concordia, charitas, & ſubveniendi ſtudium. Divites non

non ſunt; ſed neque pauperes dici poſſunt, quibus, pauca habentibus, nihil deeſt. In Europa propter pugillum terræ armatæ concurrunt acies; hic homines quæruntur, in quos terræ ampliſſimæ diſtribuantur, eæque non ſteriles, ſed, ſi cultura accedat, omnino fertiles. Prata pecoribus, fluvii piſcibus, ſylvæ uti lignis ita feris abundant. Duo duntaxat ſunt, quæ dedoceri nunquam ſatis poſſunt: alterum eſt ingluvies, alterum deſidia in agricultura, niſi a Miſſionariis urgeantur. Promptiori ſtudio feruntur ad varias artes addiſcendas, non mechanicas duntaxat, ſed etiam liberales. Et pollent præclaro ad eas ingenio. Quidquid vident, capiunt, & dextre imitantur. Scientias etiam haud dubie facile apprehenderent, niſi ſatius eſſet viſum, homines iſtos in ſua mediocritate relinquere. Mendici non tolerantur, ſed ad laborem adſtringantur. Senibus & infirmis, ſi egeni ſint, ex communibus bonis providetur.

Ut contra barbaros & Mamelucos, ex Braſilia non raro incurſantes, ſe poſſent defendere, imbuti ſunt aliqua arte militari. Quælibet reductio in pedites & equites eſt diſtributa. Arma eorum olim erant funda, ſagittæ & nodoſi fuſtes. Quia autem Mameluci cum gladiis, lanceis, & ſclopis veniebant, graves clades intulerunt. Quapropter Rex his populis conceſſit, ut ſimilibus armis uterentur, quæ tamen in armamentario debent recondere, ſi hoſtis fuit abactus. Ut autem in armis exerceantur, ſingulis octiduis in aciem educuntur, & umbratilem pugnam conſerunt. Equos nunc ſine horrore ſcite agitant, quos barbari ceu leones & tigres fugiebant; hoc autem equitatu, his armis, hoc exercitio inſtructi, non tantum barbaris, Reductiones invadendi fiduciam ademerunt, ſed Mamelucos quoque plerumque in fugam averterunt. Quia vero iſti ſæpe noctu & improviſo incolas obruerunt, per multas leucas vigiliæ fuerunt diſpoſitæ, ut adventum nuntiarent.

Hiſpanis quoque, cum Barbaris aut Europæis, uti Anglis, & Luſitanis, bella gerentibus, fidam fortemque operam attulere, ita, ut magna fuerint victoriarum pars; Hiſpanis tamen Ductoribus egebant. Certe cum locus munitus impetu capiendus eſſet, primi erant Indi, qui mœnia generoſo aſſultu ſcanderent, & victoriam reportabant. Præda autem cum eſſet dividenda, aurum, argentum, gemmas, veſtes pretioſas, ultro Hiſpanis reliquerunt, ipſi vero cibariis, cultris, fuſcinulis, gladiis, aliisque ferramentis, multo ſibi gratioribus, inhiabant. Laudata ſæpe a Prætoribus apud Regem eorum fides, alacritas, & fortitudo, oſtenſumque, quantum non ſolummodo

ad Chriſtianam Religionem, ſed ad commune quoque rei Hiſpanicæ bonum conferrent Societatis Patres, ſub quorum diſciplina fidem in Regem inconcuſſam imbibiſſent.

## Articulus IV.

### *Quanta paſſi ſint Miſſionarii in Paraquaria.*

Optandum ſane foret, ut, qui tam maligne Miſſionariis Societatis Jeſu Paraquarienſibus detrahunt, coram, quanta agant, patianturque, inſpicerent: quanto labore, ſudore, patientia, quantis itineribus atque vitæ periculis conſtet, dum per avia & invia ex ſylvis, antris, & ſpecubus extrahendi ſunt barbari, in quibus vix aliquid hominis apparet; qui ferarum more per ſaltus vagantur, in id maxime intenti, ut humanis carnibus paſcant ingluviem: qui belluarum inſtar ſe mutuo, & præſertim cæteros, lacerant, mactant, devorant: qui immani odio Europæos perſequuntur, fugiuntque, ne in ſervitutem abſtrahantur, & ea perſuaſione ſunt imbuti, Miſſionarios eſſe Hiſpanorum emiſſarios & exploratores, qui Indos ſint proditurí, & in Hiſpanorum manus traditurí: qui ſine religione, ſine lege, beſtiali ſuæ libertati innutriti, ebrietati, luxuriæ, omniumque vitiorum cœno porcorum inſtar ſe volutant.

Tales, inquam, centauros & lamias inquirere, cicurare, a ferina ſua conſuetudine abducere & perſuadere, ut naturam exuant, mobiles ſuas ſtationes relinquant, civilem in communitate vitam amplectantur, novam religionem & virtutem arduam ſectentur, quantæ molis, laboris, periculi? Barbarorum quidam, cum Miſſionarium de Deo & æternitate pœnarum diſſerentem audiret, reſpondit, nos talem Deum nolumus, qui omnes actus noſtros præſens inſpiciat, & æternum punire poſſit. En indolem! en difficultatem!

Sed demus, barbaros de religione jam eſſe perſuaſos, baptiſmum petere, novum hominem velle induere, ad communitatem civilem condicere: quantum laboris ſupereſt, donec trunci formentur, conſtruantur ædes, comparentur veſtes ad tegendam turpem nuditatem, provideantur alimenta multitudini; agri colantur, ſeges metatur, trituretur, molatur, coquatur, inſtrumenta ad hæc omnia ſubminiſtrentur? Tota hæc cura ſoli Miſſionario incumbit: ille fabrum murarium, ferrarium, lignarium, ſerrarium, carpentarium, ſartorem, ſutorem, coquum, lanionem, molitorem, piſtorem, agricolam debet agere,

do-

donec barbaros iſtas artes edoceat, & ut exerceant perſuadeat; cum uni venationi & piſcationi intenti, ad ſerviles labores præſertim agriculturæ, ſint prorſus pigri. Contigit non raro, ut laboris pertæſi, boves, a Miſſionario ad arandum ſibi aſſignatos, mactarent, & aratrum comburerent, ut ad ignem aſſatos devorarent.

Et quoties contigit, præſertim in Reductionum initiis, ut ſeveritatem Chriſtianæ legis exoſi, atque ad priſtinam vitæ licentiam ſuſpirantes, Miſſionario inſidias perfide ſtruerent, aut eo clam deſerto ad priſtinam vivendi conſuetudinem redirent: ubi Miſſionario nihil erat reliquum, niſi ut fugientes & errantes oviculas inſequeretur, easque, ſale doctrinæ porrecto, precibus & adhortatione reducere conaretur.

Quid jam dicam de annuis prope Paulapolitanorum ex Braſilia in Reductiones irruptionibus; ubi prædones iſti totam non raro coloniam devaſtant & rapinis implent, abductis in ſervitutem crudelem incolis? quis tunc dolor paſtori, oviculis per ſummam iniquitatem orbato? Comitatur abſtractas, & contempto mortis periculo lupis rapacibus eripere nititur. Contigit etiam, ut latrones iſti quosdam, Jeſuitarum habitu indutos præmitterent, ut Indos fraudibus deceptos in caſſes & inſidias perducerent. Quam ob cauſam factum, ut Miſſionarii pro Mamelucis a barbaris haberentur, eorumque converſio difficillima hoc etiam ex capite redderetur.

Omitto decumanas difficultates, quæ ſe oggerunt in perdiſcendis tot linguis intricatis; nam quælibet in Paraquaria gens, quarum ſunt plurimæ, alia atque alia, diverſa omnino lingua utitur; ut adeo neceſſe ſit, Miſſionarios, qui novas gentes conquirere & convertere volunt, elementaris inſtar pueri easdem addiſcere. Taceo concatenatos labores alios, miſerias, curas, ærumnas, pericula, quæ Apoſtolus enumerat.

Tandem vero in compenſationem tot laborum Apoſtolicorum multis imminet mors cruenta, quam Chriſtiano, id eſt, heroico animo ſuſtinuerunt e Societate plurimi, quorum aliquos tantum recenſebo. Igitur pro Chriſti nomine vitam & ſanguinem profuderunt, P. Rochus *Gonzalez*, qui eo delatus, quo Hiſpanorum & Luſitanorum arma nunquam penetraverant, tot barbaros convertit, ut ſeptem eorum communitates erigeret, optimisque inſtitutis temperaret. Verum, dum rei ſacræ operam dat, fuſte inſtinctu magi percuſſus, glorioſæ mortis palmam obtinuit: cumque ad tumultum accurreret P. Alphonſus *Rodriquez*, Rochi ſocius, exclamaretque: o filii quid facitis? crudeli ceſtu ei pariter cerebrum eliſum eſt. Additus tertius

martyrii ſocius P. Joannes *Dicaſtillo*, per varia tormenta a barbaris, quibus Evangelium prædicaverat, interfectus (*anno* 1628). In occiſa quoque corpora ſævitum, Eccleſiæ dirutæ, ſacra omnia profanata.

Per plures pagos hic furor graſſabatur: in eo, quod a S. Nicolao nomen habet, P. Alphonſus Aragonius, loci parochus, ad necem quærebatur. Sed adoleſcentes Chriſtiani ſagittis armati, barbaros in fugam egerunt: acie poſtea a Chriſtianis, e diverſis pagis collectis, victi, captique multi, facinus ſuum deteſtati Chriſtiane obierunt. Verum barbari, quibus baptizati quidam, a magis decepti, ſe miſcuerant, non deſierunt Miſſionariorum vitæ inſidiari. P. Chriſtophorus *Mendoza*, ut Neophytis ſuis fugiendi ſpatium faceret, inermis ſe ſolum impiæ turbæ objecit, a qua invaſus, occiſusque, documentum dedit, neminem majorem charitatem habere, ac eum, qui animam ſuam dat pro ovibus ſuis.

Eadem moriendi gloria anno 1637 obtigit P. Petro *Eſpinoſæ*, ab Infidelibus barbaris atrociter trucidato, & poſtea P. Didaco *de Alfaro*, Gaſpari *Oſorio*, Antonio *Ripario*, Petro *Romero*, Bartholomæo *Blende*, Petro *Ortizio*, Joſepho *de Arce*, Lucæ *Cavaliero*, qui omnes poſt innumeros exantlatos labores, ærumnas, erecta plantaria, converſa multa Indorum millia, in odium fidei a barbaris in Paraquaria crudeliter occiſi ſunt. His accedunt ex eadem Societate Jeſu Patres, *Fernandez*, *Arias*, *Mazo*, *de Sylva*, *Solinas*, *Sanchez*, pluresque alii, temporibus poſterioribus martyrii palmam conſecuti.

Horum ſanguis, ut in primæva Eccleſia, ſemen erat Chriſtianorum, in ampliſſimos fructus efflorescens. Nec deterruit horum mors alios Europæos, quo minus Miſſiones Indicas ardentiſſime expeterent, imo deſiderium accendit magis, prout etiam fervorem Indorum, cum viderent, quanta ſacerdotes iſti pro ſe paterentur.

Nihilominus tamen, quamvis tanta agerent, paterenturque Miſſionarii Societatis in Paraquaria pro fide & re Hiſpana, non tamen defuere, non modo ex heterodoxis (quod non miror) ſed etiam Catholicis, odio & avaritia excæcatis, qui mendaciis & calumniis eos inceſſerent, per totam Europam ſparſis: proficiſci in Paraquariam Jeſuitas propriæ utilitatis & quæſtus gratia. Vivere eos ibidem velut Principes, in Reductionibus ſuis regnum ſibi conſtituere. Commercia in eorum eſſe poteſtate: immenſas colligi opes. Ab incolis tributa exigi, quamvis nihil proprium poſſideant. Quod venatione caperent, tradendum Miſſionariis, qui ſibi vendicarent etiam omnes auri & argenti fodinas.

Ve-

Verum ex iis, quæ hactenus de Paraquaria & Reductionibus diximus, ſatis liquere exiſtimo, quam falſa & inania ſint hæc commenta.

Reductiones, de quibus loquuntur obtrectatores iſti, ex converſis barbaris, qui ſui juris fuerant, opera Miſſionariorum fuerunt erectæ, & Regi Hiſpaniarum iis, quas ſupra dixi, conditionibus ultro ſubjectæ. *Corregidor* Regius adminiſtrat juſtitiam, Prætor nomine Regis juriſdictionem exercet. Miſſionarii munus parochorum obeunt: ab Indis nec tributum nec decimas exigunt. Exequias, benedictiones nuptiales, baptiſmum, aliaque ſacramenta prorſus gratis adminiſtrant, nec quidquam proprium habent, ſed alimenta aliaque neceſſaria Rex Catholicus illis præbet, aſſignatis certis annuis proventibus. Si quid tenui ſuſtentationi ſupereſt, in pauperes erogatur. Miſſionariis nihil remanet, niſi paupertas, curæ, labores, calamitates, ærumnæ, diurna & nocturna vitæ pericula, cruces, mortes, ut profecto nemo illa ſubiturus eſſet, niſi Spiritus Divinæ gloriæ, & Chriſtiana charitas perſuaderent.

Ubi ergo & unde grandes illæ divitiæ? montes aureos ſomniant calumniatores iſti, & aurifodinas a Jeſuitis vendicari dicunt; cum tamen in tota Paraquaria nullæ ſint aurifodinæ, nullæ venæ, nullæ auriferæ aquæ, nihil auri, nihil argenti, nihil ferme alterius metalli. Europæi, qui ſunt in Paraquaria, hæc ſatis norunt; ſed aliud eſt, quod odium inflammat. Defendunt Miſſionarii Reductionum incolas. Obſtant, ne in mancipatum & ſervitutem abſtrahantur: ut Decreta Regia obſerventur, urgent. Ne exteri in Reductiones ingrediantur, cavent, ne Indos contra fas premant, ne malo exemplo lucem afflent. Si attentent, Miſſionarii ab Aula Hiſpana quærunt remedium. Hoc urit invidiam, hoc dolet avaritiæ, hoc odium in Jeſuitas accendit. Hinc iræ, hinc mendacia, hinc fabuloſæ calumniæ, hinc Principatus, hinc Joſephus aliquis aut Nicolaus Rex Paraquariæ, hinc milliones auri & argenti; hinc integri exercitus; quaſi vero ad Miſſionarios caſtrenſes totus exercitus ſpectaret.

Quod autem Paſtores iſti oves ſuas defendant, & ſanctiſſima mandata Regia executioni dari velint, neutiquam verti ipſis poteſt vitio, quamvis avaritiæ & rapacitati frænum injiciant; hoc enim ni facerent, non tantum via præcluderetur barbarorum converſionibus, quibus tamen identidem aut nova Chriſtianorum plantaria eriguntur, aut antiqua augentur, ſed ipſæ Reductiones etiam, in deſperationem actæ in antiquos mores & chaos dilaberentur, ipſaque Hiſpania multa ſubditorum millia perderet. Unde potius odia, calumnias & ob-

trectationes graviſſimas ſibi perferendas exiſtimant, quam ut tantum vulnus Eccleſiæ Catholicæ totque animabus inferri patiantur.

Sunt homines, qui augendo principis ærarium magnam ſe gratiam inituros rati, nova ſubditis opera imponenda ſuadent. Talis erat Martinus de *Barna* Paraquariæ Prætor, qui anno 1735 varias querelas ad Regem detulit contra Reductiones, tanquam magis parochis ſuis, quam Regi ſubjectas, augendaque eis tributa contendit.

Sed P. Jacobus *Aquilar* Provincialis Regem veracius informavit: diſcrimen eſſe faciendum inter eos, qui Hiſpanorum armis fuiſſent ſubjugati, & eos, qui ſe ultro certisque pactis Regi ſubjeciſſent, oſtenditque mala, non tantum Religioni, ſed rei quoque politicæ oritura, ſi pacta iſta intringerentur. Exhibet fidem Indorum conſtantem in Regem, reverentiam & obedientiam erga Prætorem Regium, diligentiam in perſolvendo tributo annuo, prompta auxilia, quæ ingruente bello afferrent Regi, & quidem propriis ſtipendiis.

## Articulus V.

### *Ordinationes Philippi V, Hiſpaniarum Regis.*

Cum inimici Societatis non deſinerent, Miſſionarios calumniis, per totam Europam ſparſis, proſcindere, & Reductiones Paraquarienſes turbare, cum non modico Religionis periculo, Patres Regi ſupplicarunt, ut totam cauſam examinare, & ſententiam definitivam pronuntiare dignaretur.

Rex Joannem Vaſquez miſit in Paraquariam cum mandato, ut in omnia, quæ Miſſionariis objicerentur, quæque mutari Reductionum adverſarii peterent, diligenter inquireret, omniaque, authenticis teſtimoniis munita, ad ſe referret. Hanc informationem poſtquam accepit, Senatui Indico negotium dedit, ut cauſam totam probe cognoſceret, & quid ipſi videatur, ſibi exponeret. Senatus re diſcuſſa ad Regem retulit; qui, laudata Miſſionariorum induſtria, ampliſſimum ad eorum defenſionem diploma anno 1743 edidit. Per plures autem quæſtiones materiam tractat, quas breviſſime attingam.

Quæritur 1, quot ſint in Paraquaria plantaria ſeu Reductiones, curæ Patrum Societatis Jeſu commiſſæ, quot in eis incolæ, & quomodo ſubjecti? *Reſp.* tales Reductiones eſſe 30, nempe 17 in ditione Boni Aeris, & 13 in provincia Paraquay. Incolas autem in illis 130000 anno 1649 tanquam vaſallos coronæ fuiſſe receptos, ut

ſi

fines adverſus Braſilos defendant; ac propterea ab omnibus contributionibus & ſervitiis perſonalibus pronuntiatos liberos, excepto nummo Hiſpanico, octo Realibus, ſeu duobus circiter florenis conſtante, in ſignum ſupremæ Jurisdictionis & dominii alti annuatim cameræ Regiæ præſtando. Ex hoc autem tributo Miſſionarios eſſe ſuſtentandos. Hæc anno 1661 fuiſſe confirmata.

*Quæritur* 2, an in futurum (prout aliqui ſuadebant) hoc tributum augeri debeat? *Reſpondit* Rex ex conſilio ſenatus Indici, ſe jam anno 1711 ſtatuiſſe, nihil in hac re eſſe innovandum: idemque anno 1716 a ſe mandatum Prætori Boni Aeris, & nunc iterum confirmari, ne Reductionum incolis ullum novum onus imponatur, & ſi impoſitum fuiſſet, remittatur.

*Quæritur* 3, quinam fructus ibidem plantentur? quibus in locis commercia tractent, & quodnam pretium mercium? quantum ex herba colligant, & quo vehatur? ad quid ſerviat, & quo pretio vendatur? *Reſp.* ex herba, tabaco, aliisque fructibus percipi annuatim centum circiter thalerorum millia. Hos fructus autem, propter incolarum hebetudinem, vendi a procuratoribus Miſſionum: atque inde tributum Regi pendi, Eccleſiis provideri, & inſtrumenta neceſſaria ad artificia & agriculturam comparari. Rex, his perpenſis, ſtatuit, ut in hac re mutatio ſuſcipiatur.

*Quæritur* 4, an Indi linguam Hiſpanicam diſcere debeant? *Reſp.* Rex, incumbendum Miſſionariis, ut ſcholæ, in quavis Reductione erectæ ad diſcendam linguam caſtilianam, accurate conſerventur, & promoveantur, tum ad obſequium Regium, tum ut Miſſionarii diluant objectamenta, contra ipſos in hac parte propoſita.

*Quæritur* 5, an Indi proprietatem ſuorum bonorum habeant, & quomodo communia bona adminiſtrentur? *Reſp.* cuivis patrifamilias aſſignatam eſſe ſuam, quam excolat terræ portionem, reliqua eſſe bona communia, ſub adminiſtratione Patrum S. J. ad ſuſtentanda communia onera, templorum ornatum, ſubveniendum viduis, pupillis, ægris. Atque hæc ita adminiſtrari ait Rex, ut aliis Americæ provinciis exemplo eſſe poſſit. Mandat igitur, ut neque in hac parte aliquid innovetur, ſimulque laudat Miſſionarios, quod non modo res Eccleſiaſticas, ſed & temporales tam ſolerter & prudenter adminiſtrent. Refert ſe ad relationem duorum Epiſcoporum Boni Aeris, Farardum, & Peraltam, ex Ordine S. Dominici, teſtem, credo, non ſuſpectum; quorum ille ad Regem ſcripſerat, ſe tota vita non vidiſſe meliorem ordinem, quam in Reductionibus, hic vero in litteris, anno 1743 ſcriptis, mire extollit cultus Divini ſplendorem,

modeſtiam & devotionem Indorum in Reductionibus, ſpirituale ac temporale ordinatiſſimum regimen.

*Quæſt.* 6, quos Indi habeant Judices, & a quo conſtituantur? *Reſp.* ſi Hiſpani *Corregidores* conſtituerentur, orituras turbas. Igitur Rex præcipit, antiquam ſervari conſuetudinem, & ad mentem Miſſionariorum, qui dignos ac habiles melius norunt, a Gubernatore Regio in ſingulis Reductionibus conſtitui corregidorem, & quidem Indum, alioſque Judices independentes, pariter Indos.

*Quæſt.* 7, an Indis arma relinquenda? *Reſp.* Rex, cum Reductionum incolis arma, etiam igniaria, a Regibus ſint conceſſa, ut a frequentibus Braſilorum irruptionibus ſe poſſint defendere, etiam in hac parte nihil eſſe mutandum. Poſt ſuperatum tamen irruptionis periculum arma Miſſionariis eſſe tradenda ad cuſtodiam: armamentarium autem in urbe Aſſumptionibus eſſe conſervandum. Provinciali vero Paraquariæ mandat Rex, ut in viſitatione cum Miſſionariis conſilium ineat, qua ratione ſeditio, ſi qua forte moveretur, comprimi poſſet.

*Quæſt.* 8, an Reductiones Epiſcopó decimas præſtare debeant? *Reſp.* Rex, licet Epiſcopus Boni Aeris ſit conqueſtus, ſibi a Reductionibus, curæ Patrum S. J. commiſſis, non ſolvi decimas neque primitias, cum tamen neque a plantariis ſacerdotum ſæcularium, & Ordinis S. Franciſci ab immemoriali tempore ſint ſolutæ, hoc novum onus Indis non eſſe imponendum. Cum tamen præſtatio decimarum ſit æqua, Provinciali cum Miſſionariis ineundam eſſe rationem, qua Indi nomine decimarum aliquid conferre poſſent.

*Quæſt.* 9, cur tot Miſſionarii in Paraquariam navigent, cum tamen tantum 30 ſint Reductiones? an novas colonias erigant inter barbaros? *Reſponſum.* Juniores Cordubæ vacare ſtudiis, iiſque abſolutis, aut in collegiis aut reductionibus ſubrogari in officiis ſacerdotibus mortuis, aut ſenibus, qui laboribus non amplius ſunt pares: alios vero non paucos Patres, ex Europa venientes, deſtinari ad novas Miſſiones inter Barbaros, ubi non raro nova plantaria Neophitorum erigant, ut Coloniæ, inter Ciquitas, Ciriquanos, Chacenſes, Pampas, Mockos recens plantatæ demonſtrent. Si autem ſtabilis inter barbaros ſedes figi non poſſit, converſos duci ad antiquas Reductiones, illiſque adjungi. Rex, fidei propagationi intentus, hæc omnia rata habet, prohibetque, aliquid mutari, addito mandato, ut Patres de Miſſionum progreſſibus ſenatum Indicum edoceant.

*Quæſt.*

*Quæſt.* 10, an Epiſcopi viſitaverint & in Reductionibus ſacramentum confirmationis contulerint? cumque Rex hoc factum eſſe intellexiſſet, neque aliquid ordinandum cenſuit.

*Quæſt.* 11, qualis ſit ſtatus Eccleſiarum, Patribus S. J. concreditarum, cultusque Divini? *Reſp.* Rex, ſibi ex relationibus Epiſcoporum, ſuorumque Prætorum compertum eſſe, eximio nitore, vaſis ſacris, & paramentis Eccleſias eſſe ornatas, cultum vero Divinum non poſſe eſſe accuratiorem ac ſolenniorem: fateri hoc ipſos Societatis adverſarios. Quare pientiſſimus Rex, ſolatio plenus, Patribus pro ſua induſtria & fervore grates dicere eſt dignatus.

*Quæſtio* 12 concernit jus nominandi parochos, ſtatutumque, ut ſuperiores Societatis tres proponant Gubernatori Regio, qui unum ex his deſignet, ab Epiſcopo inſtituendum: penes Societatem tamen ſit, quemcunque ex ſuis pro arbitrio, nulla etiam manifeſtata cauſa, a parochia amovere, & iterum tres alios Prætori proponere. Placuit etiam, ut deinceps non amplius *Reductiones* appellentur ſed *Parochiæ*, a Rege dependentes.

*Quæſt.* 13, quænam ſit cauſa, quod plantationes iſtæ (in Barbarorum olim ſolo a Jeſuitis erectæ) non ſubſint Prætori Paraquariæ, cum tamen in ejus ditione ſint ſitæ? *Reſp.* Hanc rem ſæpius in controverſiam fuiſſe adductam, tandem vero Regi placuiſſe, ut nihil innovetur, atque adeo Reductiones aliæ manerent ſubjectæ Prætori Boni Aeris, aliæ Paraquarienſi. Quia autem Societas etiam fuit accuſata, quod ex aliis nationibus homines mittat in terras Americanas, Regi Hiſpaniæ ſubjectas, Rex concedit, ut quarta pars ex illis mittantur, præſertim ex Germanis, quorum fides ſibi ſit maxime perſpecta, & in peculiaribus etiam occaſionibus demonſtrata, uti cum anno 1737 P. Thomas Werle, natus Bavarus, in Reductione Sacramenti ab hoſtibus fuerit occiſus. Cautelam tamen commendat, præſertim circa ſubditos eorum Principum, qui mari ſunt potentes.

Rex in definitiva ſua ſententia addit, ex omnibus documentis, novis & antiquis, a ſenatu ſuo diligenter diſcuſſis, conſtare, in nulla Indiarum parte majorem reverentiam & ſubjectionem erga Regem vigere, quam in his parochiis: ex viſitationibus porro & relationibus Prælatorum atque Gubernatorum, & ex prompta horum Indorum obedientia manifeſtum eſſe, quod ad quodvis mandatum ſex vel octo armatorum millia compareant ad defenſionem alicujus regionis, aut expeditionem ſuſcipiendam.

Quapropter ſe poſt tot lites definitivam ſententiam proferre, in qua gratum erga P. Provincialem animum oſtendat; & Societatem contra tot obtrectationes vindicet, ea ſpe fretus, Societatem, quæ hactenus cultui Divino, Regiis obſequiis, & pauperum Indorum utilitati tantopere fuerit intenta, etiam in futurum ſic perrecturam.

Denique mandat Proregi Peruviæ & novi Regni Granatæ, Præſidibus Regii Tribunalis in Charcas, Gubernatoribus Boni Aeris & Paraquariæ, aliiſque officialibus, prout etiam Archiepiſcopo de Plata, Epiſcopis, eorumque capitulis, atque omnibus ſuis Judicibus in America, ut ſecundum hanc ſententiam definitivam procedant, atque ſe certiorem faciant, quod eandem acceperint, & in libros rationum ſenatus Indici aliaque Archivia provinciarum relata executioni dederint. Scripſit quoque Epiſtolam ad P. Provincialem Paraquariæ & aliam ad Miſſionarios, in quibus, collaudato eorum zelo & fervore, confidit, eos ſecundum hanc finalem ſententiam proceſſuros.

Datum ex arce Buenretiro 28 Dec. 1743.

Ex his ſane liquet, quam falſa de Jeſuitis in Paraquaria ſint per Europam a malevolis ad conflandam invidiam ſparſa, de grandi eorum potentia, eaque independente, de immenſis divitiis, de iisdem anno 1732 ex tota regione ab incolis Reductionum expulſis, prout fingit Joannes Hübnerus in ſuo Converſationis Lexico ad verbum *Paraguay*.

## Articulus VI.

*Epiſtola Joſephi Peralta Ord. S. Dominici, Epiſcopi Boni Aeris ad Regem Hiſpaniæ anno 1743.*

Exponit in hac epiſtola Epiſcopus Regi viſitationem ſuæ Diœceſis, &, quantum ad Reductiones Paraquariæ inter alia ſcribit, per difficillima, longiſſima & admodum periculoſa itinera ſe tandem ad eas penetraſſe; ſed omnes difficultates ſibi large fuiſſe compenſatas per abundantem conſolationem, quam percepiſſet, dum præſens cerneret largam Dei benedictionem, quam per Miſſionarios S. J. ſuper hos populos effudiſſet; illos enim ſumma cura eſſe intentos, ut gentes iſtæ rite inſtruantur, in Catholica Religione & obedientia erga ſuam Majeſtatem Regiam confirmentur.

Aſpe-

Aſpectu templorum, ornatu cultus Divini, devotione & reverentia in altaris miniſterio, ſolennitate Miſſarum, amænitate ſacrarum cantionum, modeſtia & fervore populi, tam tenerum ſibi ſenſum fuiſſe impreſſum, quem exprimere nequeat: exemplo ſane, quod pudore ſuffundat Chriſtianos veteranos. Singulari ſe piaque admiratione raptum, cum ſummo mane devotam juventutem pulchro agmine ad templum confluere, ibique piis cantibus Deum laudare cerneret; idemque veſperi rurſus factitare.

Res etiam temporales Indorum optime adminiſtrari: coli agros, qui ſteriles jacerent, propter ignaviam & innatam pigritiam gentis, niſi Miſſionarii illos educerent, & laborantes excitarent, atque dirigerent, ſuppeditatis bobus, aratro, ſemine, tanta cura & amore, quem calamo concipere non poſſit. Pro pauperibus, pupillis, viduis, ſenio vel morbo infirmis peculiarem fundum plantari, & quidem loco proximo. Reliquam anni partem a fœminis fila ducendo, nendo, conſuendo, ut honeſte veſtiri poſſint, curando rem domeſticam tranſigi, nec ulli licere eſſe otioſo. Cum hac porro meſſe & pecore nullam exerceri mercaturam, cum propria neceſſitas illa abſumat.

Commercii vero materiam illis naſci ex arborum quadam ſpecie, quarum folia decerpant, & ad ſolem exſiccata in pulverem comminuant, atque in ſalubre alimentum piſta, tum propriis uſibus paſſim adhibeant, tum etiam in Regnum Peruanum & Chilenſe avehant, easque Reductiones, in quibus talia folia non creſcunt. *Herba Paraquarienſis* appellari hæc eſca ſolet, ejusque portio ſingulis mane & veſperi diſtribuitur.

Hac inquam herba totum ſtat Reductionum commercium, inquit Epiſcopus: atque ex pecunia inde comparata ſolvitur Regi tributum annuum, ad templa & divinum cultum neceſſaria providentur, ſuſtentantur Miſſionarii aliique Eccleſiarum Miniſtri; præbetur ſtipendium militibus, ad obſequium Regis paratis, pro comparandis armis, equis, veſtitu, alimentis, in expeditione neceſſariis, ac denique pro defenſione patriæ, contra prædatores barbaros, & Mamelucos. Propter tot expenſas Miſſionarii ſæpe rediguntur ad ſummam egeſtatem, annis præſertim ſterilibus, cum tertio tantum anno ea folia poſſint colligi, aut quando eorum exportatio prohibetur.

Suadet dein Regi, ut Reductionibus a decimis ex herba aliisque fructibus, eam immunitatem relinquat, qua hactenus ſemper fuiſſent gaviſæ; ſe ipſum inſpecta Reductionum paupertate, non poſſe decimas, Epiſcopo alias debitas, exigere.

Laudat denique conſtantem in Regem fidem & obſequii promptitudinem, in qua jugiter conſerventur Indi a Miſſionariis, expeditiones bellicas pro eodem Rege, comitantibus, & adhortantibus Patribus, ſuſceptas, non ejusdem ſed propriis Reductionum ſtipendiis, collatam operam in locorum munitionilus &c. (ſicut jam a pluribus annis urbem Montis *Videi* munirent). Recenſet novas colonias & plantaria, inter barbaros erecta, & Catholicam Religionem ulterius ſemper ulteriusque ſumma inter mortis diſcrimina prolatam, ut adeo ſpes affulgeat, omnes illas barbaras in Paraquaria gentes ad ovile Chriſti adductum iri: propterea Miſſionarios Societatis Jeſu ſummopere Regi commendat, ut eam contra obtrectatores protegat, ceu viros, qui gloriæ Dei, animarum ſaluti, Regiæ authoritati amplificandæ ſe totis ſint intenti.

Hæc & alia plura in laudem Societatis Miſſionariorum anno 1743 ad Regem ſcripſit Joſephus Peralta, ex Ordine PP. Prædicatorum S. Dominici, Epiſcopus Boni Aeris, teſtis utique idoneus, qui ſe tanto ſolatio in viſitationibus reductionum perfuſum eſſe ait, ut non niſi ægerrime & inter lachrymas avelli potuerit.

## Articulus VII.

### *Alia pro Reductionibus teſtimonia.*

Similem epiſtolam jam antea (anno 1722) ad Regem Philippum V dederat Petrus *Farardus*, Epiſcopus Boni Aeris, in qua Societatem contra obtrectatores defendit, & inter cætera ait, non poſſe ſe ſatis mirari virtutem horum Patrum, & obfirmatam fortitudinem in tolerandis tot obtrectationibus & calumniis: ſtudio indefeſſo eos conniti, omnibus benefacere, & nil niſi ingratitudinem & acerbas vexationes inde reportare: nullum eſſe genus hominum, cui prodeſſe non ſtudeant, convertendo gentes, defendendo adverſus hæreticos Chriſti Eccleſiam, prædicando verbum Divinum, docendo juventutem in ſcholis & catecheſibus, audiendo ſacras confeſſiones, aſſiſtendo infirmis diu noctuque, largiendo eleemoſynas, viſitando carceres, triremes, mapalia, &c. ſuccurrendo conſilio, auxilio, ſolatio.

Pauciores hoſtes habituram Societatem ait, ſi paucioribus benefaceret: gratiorem mundo fore, ſi minus virtutis haberet, ſi minus laboraret, ſi plus otio indulgeret. Per Miſſiones Patrum ſe non raro tranſiiſſe, nec tota vita ſua meliorem ordinem, diſciplinam, cultum

Divinum, Eccleſiarum nitorem, populi innocentiam, uſquam vidiſſe. Mirum proin non eſſe, quod animarum hoſtis graves tempeſtates cieat, ut tam ſanctum opus diſturbet.

Impedire equidem Patres converſationem cum Hiſpanis; ſed id eſſe neceſſarium ad innocentes gentis iſtius mores conſervandos, ne malum exemplum contagium illis affricet. Patere id ex incolis quatuor pagorum, qui urbi Aſſumptionis, Paraquariæ primariæ, ſunt vicini, quorum alii longe ſint mores, ac 30 Reductionum, curæ Patrum commiſſarum. Verum etiam eſſe, eos populos Patribus, quos diligant, eſſe obſequentes, ſed id nullatenus eſſe culpandum; id mirum videri, barbaros iſtos, in quibus ante converſionem nihil humanitatis apparuerit, plus gratitudinis exhibere, quam ab incunabulis Chriſtiane enutritos.

Quæ de divitiis horum pagorum in vulgus ſpargantur, mera eſſe commenta malevolorum. Quæ a pauperibus his Indis manuum labore comparentur, non extendi ultra modicum carnis, frumentum Indicum, legumina, viles & crudas veſtes, & conſervationem templi. Patres vix habere ad victum tenuem & groſſum veſtitum neceſſaria, provinciam ære alieno premi, Collegia inopia.

Quæ Epiſcopus hic teſtatur ex propria, quam hauſit, experientia, confirmat *Bruno de Zabula*, Præfectus Boni Aeris, in ſua anno 1722 ad Philippum Regem epiſtola; in qua laudare non ſatis poteſt Patrum pro Regia Majeſtate zelum, ac Indorum, quos dirigunt, fidem conſtantem atque in expeditionibus militaribus, & muniendis urbibus promptum obſequium, ad confuſionem aliorum Indorum, qui a Patribus S. J. non diriguntur. Addit amplum de eorum probitate & integritate teſtimonium. Conqueritur denique de calumniis, in Patres jactis, de Monarchia Hiſpana & Religione tam bene meritos.

Quidam nihilominus Eccleſiaſtici Ordinis Gallus Regi Philippo libellum obtulit, mendaciis & calumniis in Miſſionarios Paraquariæ plenum. Rex libellum famoſum rejecit. At auctor in Galliam profectus, ut Jeſuitas odioſos redderet, eundem in Gallicam & Latinam linguam traductum, per Belgium, Hollandiam & Angliam ſparſit. Anno 1732 cum turbæ, quas mox referam, in Paraquaria fuiſſent ortæ, obſoletas ſuas eſcas recoxit, rurſusque mundo obtruſit. Objectat immenſas divitias, regno pares, Patrum potentiam, & ſummum Imperium, cæcam gentis ſubjectionem, auri argentique fodinas, herbæ Paraquarienſis proventus, hortaturque Regem, ne Jeſuitas dominari ultra permittat, privilegia abroget, tributa augeat, ſeque tandem populi illius Regem meminerit.

Scriptum hoc prolixe confutavit *P. Gaſpar Raderus*, Procurator Generalis Miſſionum, quas Patres S. J. in Paraquaria erexerunt, oſtenditque, auctorem de rebus ſibi incognitis, terrisque nunquam viſis ſcribere, aut potius, quæ livor, invidia, & calumniandi voluptas illi dictaſſent, fingere. Terras illas ipſi amœniſſimum eſſe paradiſum, in quem omnes auri argentique rivi, fœcundaque rerum omnium abundantia confluant.

Ut cæcum de colore ſcribere: pagos illos occupare ſolum ſterile, ardore ſolis exuſtum, nec niſi labore & ſudore domandum, ut fructus aliquos ad vitam ſuſtentandam proferat. Miſſionarios arborum ſurculos ex terra, ducentis milliaribus diſtante in Reductiones adportari curaſſe, ac terræ inſeruiſſe; atque ex illis progigni herbam Paraquaricam, quamvis viliorem quam in nativo loco. Oſtendit, quam enormiter a veritate aberret auctor libelli, dum eam herbam 500000 thaleros annuatim importare fingit: prout etiam dum montes aureos ſomniat. Omitto plura, quæ Apologiſta contra has aliasque auctoris fabulas argumenta ac teſtimonia affert: quia pleraque jam ſupra ſunt perſtricta.

Quoniam vero omnes inimicorum conatus eo tendebant, ut Rex Jeſuitis 30 illas parochias, quæ centum quinquaginta ferventium Chriſtianorum complectuntur, Indis vero privilegia conceſſa adimat, eosque gravioribus tributis oneret, Apologiſta demonſtrat, præter religionem omnino eximiam, & mores in barbaris admirandos, quanta hic populus, quantaque fide & conſtantia pro Regia Majeſtate jam geſſerit. Incolere eos amplam planitiem ad Paranam & Uraquayum fluvios, per quam Paulani Mameluci ex Braſilia cum aliis barbaris gentibus, nec minus Hollandi Anglique uſque ad auriferos in Peruvia Potoſinos montes penetrare poſſent. Hoc ne fieret, Patrum induſtria obſtitiſſe Indos iſtos, qui honori Divino Regisque obſequio intenti, hoſtes irrumpentes variis præliis victos fortiter repuliſſent, multis cæſis, multisque captis.

Refert deinde heroica eorum facinora, quæ contra Mamelucos aliosque Hiſpanæ Monarchiæ hoſtes, ab anno præſertim 1640 in America ediderint: nullam fuiſſe expeditionem, nullam victoriam, nullam defenſionem, nullam expugnationem, nullam munitionem, in qua fideles iſti Regis ſubditi non primas partes, & quidem ſine ſalario, ſine ſtipendio, occuparint: ab iis non raro, antequam venirent Hiſpani, hoſtem profligatum: ipſos Hiſpanos Præfectos & Gubernatores fida eorum fortique opera e manibus hoſtium ereptos, liberatos captivos, ſervatas urbes, conjurationes detectas diſſipatasque.

Ho-

Horum ope & Miſſionariorum induſtria in dies quodammodo novas gentes barbaras Chriſto ſubjici, & quo ſignum crucis, eo etiam proferri Hiſpanum Imperium, ſubjicientibus ſe ultro novis coloniis.

Qua igitur ratione ſuadeatur, ut his Chriſtianis, tam promptis ad omnem evocationem, tam fortibus, tam fidis probisque, ſua adimantur privilegia, tot meritis parta, nova imponantur tributa, & paupertas paupertate cumuletur? quid aliud inde conſecuturum, niſi ut in deſperationem acti, deſertis laribus, in ſylvas & montes rurſus confugiant, atque in antiquam barbariem relabantur, quo pacto Rex centum quinquaginta fidiſſimorum ſubditorum millia amitteret, fortiſſimumque adverſus hoſtes coronæ propugnaculum? Non tam Jeſuitarum quam Regiæ Majeſtatis inimicos eſſe, qui talia ſuadeant: optare hoc eos, quibus Catholici Regis in America potentia, amplitudo, opes diſpliceant.

Quam autem neceſſaria ſit Patrum S. J. cura, exemplo demonſtrari: Epiſcopum quendam Paraquariæ, ab inimicis Societatis noſtræ circumventum, duas Reductiones, optime cultas, nobis ademiſſe, ac ſacerdotibus ſæcularibus, quos virtute & doctrina excellere credidiſſet, tanquam parochis tradidiſſe. Sed vix quatuor menſes fuiſſe elapſos, cum Paſtores iſti, relictis ovibus, ad Epiſcopum confugiſſent, querulos, quod in locum barbarum eſſent miſſi, in quo incolæ tam eſſent pauperes, ut nec ſtipendium Miſſæ ſolvere, nec pro nuptiali benedictione, nec pro ſacris ſepulturis quidquam poſſent contribuere, reditus quoque alios tam eſſe exiles, ut fame ſibi fuiſſet pereundum, ſi diutius ibidem ſubſtitiſſent; ut adeo capere nequeant, quæ Jeſuitis ſit voluptas, commorari apud tales barbaros, qui ſemper parati ſtarent, paſtores ſuos obtruncare, niſi in dies ſingulos alimenta ipſis præberentur. Fugiente autem paſtore mercenario, barbaros iſtos in montes & ſylvas nativas, ex quibus a Patribus S. J. magno labore in communitatem fuiſſent extracti, rediiſſe; atque ſic Regem octo ſubditorum millia amiſiſſe, Eccleſiam vero totidem filios. Eſſe nempe modum agendi cum iſtis hominibus, quem non omnes capiant, vel capere velint, qui non virtute, zelo animarum, & amore Dei ad laborem & patientiam ſint durati. Revocati Jeſuitæ, ut rem perditam reſtituant.

Deceptum ſimiliter a malevolis Valeſcum Boni Aeris Epiſcopum plantaria illa, a Societate erecta, convertere voluiſſe in parochias cleri ſæcularis; convocatos in eum finem ſacerdotes; ſed nemini animum fuiſſe, eos adeundi barbaros, apud quos laborum & moleſtiarum multum, redituum temporalium parum. Miratum Epiſcopum cu-

curatius in eam rem inquiſiſſe, atque in intimum Societatis amicum & fautorem fuiſſe converſum.

Idem eventurum, ſi Rex (id quod ſuaſiſſent alii) eas colonias ſæcularibus officialibus adminiſtrandas committeret; nam, ſi conſuetum hactenus modum imitarentur, præter laborem & paupertatem, quam non ſuſtinerent, iisdem ac Societatem obnoxios fore querelis, eos ad quæſtum intentos, Regem defraudare, & theſauros aureos, immenſosque proventus ad ſaginandam avaritiam, in proprios uſus convertere. Sin vero novum regendi modum vellent introducere, actum fore de fructu ſpirituali & temporali: duo propemodum centena ſubditorum millia Deo ac Regi peritura.

Argumentum peti poſſe ex Nova Hiſpania, ubi cum Indis Lagunanis adempti fuiſſent Miſſionarii, eos dilapſos ex ſubditis in hoſtes & prædones converſos, vias ad aurifodinas obſidere, ut Hiſpani non niſi cum armato comitatu, magnis impenſis alendo, penetrare valeant. Idem contigiſſe cum duabus aliis nationibus, Nocomiis & Abiponis, quæ Jeſuitarum ſuaſu Evangelio ac Regi ſe ſubjeciſſent, ea tamen lege, ut nemini niſi Regi & Regiis Gubernatoribus in ſe jus eſſet. Quod cum non ſervaretur, Indos jugo abjecto in hoſtes mutatos, omnes in Peruviam vias infeſtas reddere. Urbem Fidei ab illis obſeſſam, & Cordubæ, Tucumaniæ primariæ, obſidionem intentatam. Hos fructus eſſe præcipitis conſilii, & ſpreti pacti. Amore & religione magis, quam vi armata, populos in obſequio contineri.

Anno 1732 urbs Aſſumptionis, Paraquariæ prima, in rebellionem acta, Præfectum ſuum depoſuit, & alios officiales ſubſtituit, Epiſcopo etiam indigne habito, & Jeſuitis ex urbe pulſis. Latius graſſata fuiſſet hæc lues, niſi pagi, Patrum curæ commiſſi, ocius malo obviam iiſſent, & rebellionem compreſſiſſent.

CA-

# CAPUT V.

## *Braſilia*

## Articulus I.

### *Brevis Deſcriptio.*

Pars magna Americæ Auſtralis Braſilia ab oſtio fluminis Amazonici, altero ab æquatore gradu ad ſextum & trigeſimum, ubi flumen argenteum in mare devolvitur, in meridiem excurrit, a Petro *Caprali*, Luſitano, cum in Indiam Orientalem vellet navigare, anno 1501 detecta. Dividitur in 15 Præfecturas, quarum prima eſt circa oſtia fluminis argentei; & vocatur *Præfectura Regia*: altera vicina Paratiningæ: 3 fluminis *Januarii*: 4 S. Spiritus: 5 *Portus Securi* in latitudinis gradu 16. 6 *Inſularum.* 7 *Babyæ* ſeu Sinus omnium ſanctorum, in qua *Soteropolis*, ſive S. Salvatoris, urbs primaria Braſiliæ, Epiſcopi & Proregis ſedes. 8 *Seregippenſis*: 9 *Pernambucenſis*, in gradu nono ab æquatore; 10 *Tamaracæ*; 11 *Paraibæ*; 12 *Fluminis magni.* 13 *Siarenſis.* 14 *Maragnonia.* 15 *Parenſis.*

In partibus magis auſtralibus regio eſt amœna & frugifera. Fert enim omnis generis fructus. Triticum & vites ex Europa ſunt allata, & cum magno proventu plantata. Sachari & balſami ingens copia: paſcua optima, taurorum in eis multitudo, quorum pelles grandi numero vehuntur in Europam. Aliis etiam animalibus & feris beſtiis, præſertim Delphinis, & catis marinis abundat, prout etiam ſylvis & lignis cæduis. Cedrus nuſquam procerior.

Quam amœna & fertilis nunc, accedente cultura, eſt tellus, tam feri, inhumani, & barbari erant incolæ, homines nudi, ſine Lege, ſine Rege, ſine Religione, per ſylvas, montes, antra, tuguria ferarum inſtar ſparſi. Cibus illis nullus ſapidior, ac caro humana. Arma eorum arcus & ſagitta, cujus cuſpis lapis acutus. Lingua omnibus communis; aliter tamen viri, aliter fœminæ verba pronuntiant. Uxores pro arbitrio dimittebant, quamdiu tamen eas retinebant, fidem ſervabant. Vidua autem nunquam ad alias nuptias tranſibat. Nec Deum, nec Deos, nec idola colebant, ſed malum dæmonem, ne noceat. Prætereo ridiculas ceremonias, ritus, & conſuetudines, quas in conviviis, choreis, funeralibus adhibere ſolebant. Animas defunctorum in campos velut Elyſios transportari credebant, ſaltibus au-

tem

tem feſſas ad corpora in ſepulchra redire, ut ibi quieſcant; hinc ſepulchra aperta relinquebant, ut ingredi queant, cibumque & potum apponebant, ut iis vires poſſent reficere. Ut a noxiis beſtiis ſint ſecuri, rete ex duabus vicinis arboribus ſuſpendunt, & in eo de terra elevati noctu cubant.

Primus Luſitanorum in Braſiliam ingreſſus contigit anno 1501, quo Rex Emmanuel, non tam regionis, quam Religionis proferendæ cupidus, in Indiam Orientalem cum 500 militibus Olyſſipone dimiſit Petrum Alvarum *Capralem*; qui tamen ventorum vi in Occidentem abreptus poſt longam in mari jactationem continentem detexit, factaque exſcenſione barbaros ſignis amicitiæ & muneribus placavit. Adduxerat ſecum aliquot alumnos ex Ordine S. Franciſci, qui tamen, cum ſacro operi gnaviter incumberent, a barbaris occiſi ſunt, & devorati. Non melior aliorum Luſitanorum erat ſors, quippe paucos intra annos ita conſumpti ſunt, ut ex prima hac conquiſitione vix ullus ſupereſſet.

## Articulus II.

### *Religionis Introductio.*

Igitur anno 1549 Joannes III, Emmanuelis ſucceſſor, Chriſtianæ fidei propagandæ deſiderio accenſus, alteram expeditionem adornavit in Braſiliam, quam commiſit Thomæ *Soſa*, claſſis Gubernatori, ſimulque aliquot operarios, qui novam hanc vineam excolerent, petiit a S. Ignatio. Miſit is Emmanuelem *Nobregam* cum quinque Sociis Luſitanis, qui bimeſtri navigatione Braſiliam attigerunt.

Soſa facta cum barbaris pace, ne irruptioni eorum eſſet expoſitus, munimentum condidit, quod, poſtquam in urbem celebrem tranſierat, *Soteropolis*, ſeu *Urbs Salvatoris* fuit appellatum. Nobrega vero conſtructa ibidem domo Dei, ſocios in omnem partem ad prædicandum Braſilis Evangelium dimiſit.

Sed plura obſtabant, ne ſemen ſparſum radices ageret, gentis ferocitas, linguæ ignorantia, diaboli & magorum nequitia, prout etiam animalis vita barbarorum, rabioſa fames humanæ carnis, vagabunda vivendi ratio, nautarum & militum Europæorum non optima exempla, ac denique Miſſionariorum paucitas.

Sed illi tot difficultatibus nequaquam abſterriti, percepta aliquantum lingua, per avia & invia circum curſantes, tuguria & antra luſtrabant. Teneram ætatem, munuſculis allectam, inſtruxerunt, parentes vero a liberis fidei rudimenta hauſerunt, ut adeo ad ſexcentos ſalutis aqua tingi expeterent.

Poſtquam autem Luſitani, extenſa ditione ſua, plures urbes, oppida, portus conſtruxerant, novaque ſacrorum Miniſtrorum ſupplementa acceſſiſſent, omnia proniora ad augendam Eccleſiam, & protegendos Miſſionarios inventa ſunt. Nec parum adjumenti attulerunt erecta pro juventute Seminaria, in quibus probi adoleſcentes Chriſtiani, Braſilis permixti, ad virtutem & eruditionem educabantur. Templa, quorum non pauca conſtrui Nobrega curaverat, Divinis laudibus & ſacris ſermonibus, quin & plateæ & compita catecheſibus & adoleſcentum piis cantibus reſonabant.

Quæ res Braſilorum primum admirationem, æſtimationem dein & venerationem traxit, uſque adeo, ut plures barbaræ gentes Miſſionarios expeterent. Hos inter erant Carigii, ad quos miſſus eſt a Nobrega Petrus *Correa*, quem a profana militia ad ſacram in Societate Jeſu transtulerat. Exceptus fuit humaniter, pluresque convertit. Sed Hiſpanus quidam, quem captivum nefariis barbarorum epulis eripuerat, eidem pro ſua gratitudine inſidias ſtruxit, quod pellicem ei abſtraxiſſet. Perſuaſit igitur Carigiis, Corream, ejusque ſocium Joannem Soſam exploratores veniſſe, ut Luſitanis provinciam prodant, & in manus tradant. Creduli Carigii utrumque crudeliter occiderunt anno 1554. Additi anno ſequenti alii duo ex eadem Societate charitatis victimæ.

Mors horum Chriſti pugilum, in Europam nuntiata, accendit deſiderium multorum ex eadem Societate, qui in Braſiliam profecti, vitam ſuam Evangelio conſecrarunt, voce eorum in omnem terram exeunte. Cum autem barbari nulla ſtabili ſede degerent, ſed diſperſi vagantesque per ſylvas camposque errarent, difficile omnino erat, omnes feras perſequi. Quare, Nobregæ conſilio, in id curam induſtriamque contulere Patres, ut pagos conſtruerent, atque in eos barbaros colligerent. Id, quamvis difficulter, anno 1560 datum effectui, pagisque nomina ſanctorum indita, ut vel ipſum ſacrum nomen religionem injiceret. Celebrata in his pagis Divina officia, dictum ad populum congregatum, inſtructa rudis pueritia, & ex ipſis Braſilis, qui magis in doctrina profecerant, conſtituti catechiſtæ, multis pia æmulatione hanc provinciam ambientibus.

Bene ſe habebat religionis negotium, cum inſtigante human generis hoſte illud turbarunt impii *Mameluci*, patre Luſitano, matr Braſila nati. Ab illo aſtutiam & calliditatem, ab hac barbariem & crudelitatem hæreditate acceperunt. Seditioſa hæc cohors, quæ *P. ratiningæ*, ſeu *Urbe S. Pauli* ſedem ſuam prædatoriam fixerat, Braſilos adverſus Miſſionarios concitabat: eos propter ſcelera ex Luſitania proſcriptos, confiſta nova doctrina panem in Braſilia quærere. Ad arcum & ſagittas natos eſſe Braſilos, non ad orandum & jejunandum: non eſſe tolerandum, ut fugitivi aliquot homines totius nationis libertati frænum injiciant, conſuetas dapes prohibeant, moremque vivendi novum & inauditum introducant. His querimoniis & calumniis Mameluci pagum, haud procul Piratininga ſitum, qui manna faſtidiens, ad carnes humanas, haud ſecus ac Iſraeliticus olim populus ad ollas Ægyptiacas, ſuſpiravit, tantopere commovere, ut Patribus ad tempus recedendum fuerit. Dein

Sub annum 1560 Luſitanis acceſſit provincia fluminis Januarii, ſimulque Miſſionariis novus laborum campus. Præter fidei dogmata, & Chriſtianæ vitæ diſciplinam, ut alimenta Braſili honeſtius conſequerentur, docebant eos terram aratro proſcindere, ſerere, & metere, tauros libere per prata vagantes domare, eorumque carnibus, humanarum loco, veſci, vaccis, ovibus, aliisque animalibus ad uſum vitæ frui, otium denique vitare, & civilis vitæ negotiis aſſueſcere.

Plurimum autem Miſſionum fructum perturbabant frequentes ſeditiones & bella, dum Luſitani ditionem ſuam extendere, incolæ vero jugum excutere, aut effugere nitebantur. Non raro autem contigit, ut dum arma undique fremerent, noſtri ſacerdotes a Luſitanis pacis Angeli mitterentur ad Braſilos, quorum multi erant Chriſtiani, & Miſſionariis intime addicti, eisque arma, & hoſtiles animos ſuaviter extorquerent. Quamvis autem a Miſſionariis doctrinam fidei reciperent, perſuaderi tamen non poterant, ut in urbem aliquam aut ſedem Luſitanorum ſe reciperent, veriti, ne aliorum exemplo tanquam mancipia duræ ſervituti ſubjicerentur. Et hoc ipſum eos in pagos colligendi difficultatem augebat, fiduciam vero in Patres minuebat, quod timerent, ſe hoc pacto velut in manus Luſitanorum tradi.

Coercita ſubin Regio mandato officialium quorundam nimia in Braſilos ſeveritate, facilius erat & Religionis & politici regiminis negotium. Certe ſi in utraque India barbari manſuetius & humanius fuiſſent excepti, multo pronius Europæis Poteſtatibus ſe ſubjeciſſent.

Ex

Ex hac fortaſſis officialium quorundam acerbitate anno 1584 ſecuta eſt univerſalis ferme barbarorum ſeditio: concitarunt illam aut Mameluci aut alii homines impii. Cum autem multi ex Braſilis eſſent Chriſtiani, videbant tumultus auctores, eos difficulter in ſocietatem ſceleris pertrahendos. Quare, orco ſuggerente, novam ſectam procuderunt, ex chriſtianiſmo & ethniciſmo mixtam. Eligebant ſibi communibus ſuffragiis ſummum Pontificem, qui Epiſcopos & Sacerdotes geſticulatoriis ceremoniis ordinavit. Hi Miſſas legebant populo, confeſſiones audiebant, conciones habebant, corollam inſtar Roſarii geſtabant, in ſcholis pueros docebant, ex arborum corticibus libros conficiebant, illiſque varia ſigna imprimebant, tanquam myſteria continentia, & futurorum prognoſtica, aliaque ad ſpeciem faciebant, quæ a Miſſionariis fieri viderant.

Sacrilegis his præſtigiis impoſtores iſti impii magnam gentium etiam Chriſtianorum multitudinem dementabant, & ad ſe trahebant. Addebant deliria gentilia de animarum transmigratione, de illarum adverſus Luſitanos ex quibusdam inſulis reditu; ſimulque hortabantur, excuterent jugum ſervitutis intolerabile, ad priſtinas ſuas patrias conſuetudines, humanarum carnium dulces epulas, plenamque libertatem, a Majoribus relictam ſibi reverterentur. Luſitanos omnes in piſces, aliaque animalia convertendos, qui hanc doctrinam ſecuti fuerint, æternum beatos fore, qui vero refragarentur, cælo excluſos a feris beſtiis devorandos.

Ex diverſis igitur provinciis conglomerati colonias Luſitanorum immani rabie aggreſſi, lymphatique diſcurrentes, tædis ardentibus & pharetra armati, vaſtationes, incendia, cædes ſpargebant; qui autem eorum furori ſubſtrahere ſe poterant, in antra & ſpeluncas ſe abdebant In tanta rerum omnium confuſione Miſſionarii Societatis Jeſu Luſitanorum & Braſilorum, illis adhuc adhærentium, iterum erant refugium. Implorati illi, ut, qui jam dudum vitæ pericula contemnere didicerant, fiducia in Deum pleni, furentes ſectarios accedant, a quibus, quod mirum, benevole ſunt excepti. Chriſtiani fraudes & impoſturas novatorum edocti ocius ſe illis conjungunt, auctoremque ſeditionis comprehenſum Gubernatori Luſitano ſiſtunt, qui eum Chriſtianis, quos ſeduxerat, pro arbitrio puniendum tradidit. Exciſa mendax lingua, corpus palo ſuffixum lenta morte contabuit. Reducti, qui ſupererant, in pagos chriſtiani & catechumeni, ſicque Patrum induſtria motus iſte, Religioni & Luſitanis periculoſus conquievit.

# Articulus III.

## *Calviniſtarum Furor.*

Crudeliter iſti, quos dixi, ſectarii ſunt graſſati; ſed barbari erant. Multò inhumanius ſævierunt, qui Chriſtiano nomine cenſeri volebant, Hugonoti, inquam, Galli, qui duce Jacobo *Soria*, truculento Calviniſta, cum quinque navibus prædonibus, Rupella egreſſis, piraticam in atlantico exercebat. Incidit is haud procul Inſula Palma in navem Luſitanam, in qua Ignatius *Azevedius*, Indiæ Orientalis Proregis filius, ſed virtute & doctrina multo illuſtrior, cum 40 aliis, Societatis Jeſu Religioſis, in Braſiliam vehebatur, anno 1570. Soria hac Luſitana nave potitus, Jeſuitas, quos cane & angue pejus oderat, variis cruciatibus affectos, in mare projici juſſit. Unum fratrem coadjutorem, qui coqui munere fungebatur, ſuperſtitem reliquit, ſibi ſerviturum; qui deinde in Franciam vectus, liberatusque, plus quam barbaram Calviniſtarum crudelitatem, & heroicam martyrum fortitudinem diſtincte enarravit. Locum autem ejus quadrageſimum, uti apud 40, quos Eccleſia colit, Martyres, Juvenis, fervens Societatis Candidatus, ſupplevit, qui ſtudioſe in navi Religioſis ſe immiſcuit, ut eandem pro Chriſto glorioſam mortem conſequeretur. Cur autem Calviniſtæ Religioſos iſtos occiderint, facile ex eo liquet, quod laicorum fere omnium, etiam militum, ſe opponentium, vitæ pepercerint; in ſacras autem Imagines & Reliquias barbare ſint graſſati. Gloriam iſtorum veritatis teſtium S. Thereſia Balthaſari Alverez confeſſario ſuo revelavit. Soria autem paucis poſt annis rabioſa morte e vivis raptus eſt, ſine ullo Chriſtiani hominis ſigno.

Alii 14 ex eadem Societate homines, quibus præerat Petrus *Diazius*, conſcendebant Olyſſipone navim Prætoriam Ludovici *Vaſconcellus*, deſtinati Braſiliæ Gubernatoris. Hæc navis Braſiliam prope jam attigerat, cum incurrit in duas naves piraticas, Auglicam & Gallicam Calviniſtarum, quam ducebat *Capevillius* Hugonota, ejusdem cum Soria indolis. Vaſconcelius ab his invaſus, vim vi repoſuit; ſed tandem multitudine hoſtium obrutus occubuit. Navis raptoribus tradita. Primus aſſultus erat in Jeſuitas, quos ludibrio habitos, varieque tortos in mare dejecerunt. Duo enatarunt, reliqui 12 generoſa morte defuncti ſunt. Capevillius poſtea in Bearnia, patria ſua, ſecuri percuſſus interiit. Omitto alia multa, quibus Calviniſtæ obſtiterunt, ne Religio Chriſtiana in America, Braſilia præſertim, propaga-

pagaretur. Certe paucos intra annos ultra 70 e Societate Jeſu, in Braſiliam navigantes, a Calviniſtis piratis crudeliter interempti ſunt.

Interea tamen plura Miſſionariorum ſupplementa penetrabant in Braſiliam, quam omni virtutum genere excolebant, ut ubique ferme Eccleſiarum nitor, rei Divinæ majeſtas, populorum modeſtia & devotio ſingularis ſplenderet, accedente tanta morum cultura, ut hos barbaros fuiſſe omnes negarent. Fructus hi ſunt conſtantis & indefeſſæ cultorum induſtriæ, quæ in omnes partes curam & ſollicitudinem ſuam exporrexit.

Eminuit Apoſtolicus labor Joſephi *Anchietæ*, qui Thavmaturgus ſui temporis, & Braſiliæ Apoſtolus eſt appellatus. Natus eſt Teneriſæ in Canariis anno 1533, Conimbricæ litteris eruditus, & in Societatem ſuſceptus 1550, triennio poſt in Braſiliam cum ſociis delatus, primus in ea litteras latinas docuit, linguam Braſilam, ut facilius diſceretur, ad regulas & artem revocavit. Fidei dialogos ſcripſit, eosque cum piis carminibus in vulgus ſparſit. Ad Apoſtolicos dein labores applicatus, ſacerdotio prius initiatus a Leitano, primo Braſiliæ Epiſcopo, mirum, quanta geſſerit pro ſalute animarum, quot gentes converterit, quoties barbaros a cervicibus Luſitanorum averterit, quot prodigia patrarit, quantum ejus non tantum in feros homines, ſed feras quoque beſtias dominium. Vita ejus, prorſus admiranda, plurium ſcriptorum pennis eſt celebrata. Sancte obiit Reritibæ anno 1597 ætatis 64.

Zeli Apoſtolici, & virtutum hæredem, alterum velut Eliſæum, reliquit Joannem *Almeidam*, qui in Braſilia a profana mercatura ad ſacram negotiationem tranſiens, multa Braſilorum millia convertit, ac ſingulari vitæ ſanctimonia & prodigiis apud eam gentem inclareſcens, ceu pater amori omnibus fuit & admirationi. Abucos, populum maxime barbarum, cum Luſitanorum colonias infeſtis armis invaderet, prælato crucis ſigno in fugam egit, & poſtea convertit. Sacris laboribus immortuus eſt anno 1653 ſumma in veneratione ceu alter poſt Anchietam Braſiliæ Apoſtolus habitus, magnumque Societatis noſtræ Americanæ decus.

Retuli ſupra, quantum illa paſſa ſit a Calviniſtis Europæis in Azevedio, Diazio & Sociis, præſertim ab Hugonotis, qui pro ſuo in rem Chriſtianam ſtudio aliam anno 1558 tragœdiam in ipſa Braſilia adornarunt; nam *Villaganonius*, poſtquam ad Calviniſtas deſcivit, a Gaſpare Colinio Maris Præfecto claſſem obtinuit, qua in Braſiliam vectus, Præfecturam fluminis S. Januarii invaſit, occupavitque, poſtquam cum Tamays, gente ferociſſima & Luſitanis infeſtiſ-

ſima, ſe conjunxerat. Pulſa cum ſacerdotibus Religio Catholica, & impium dogma promulgatum. At quadriennio poſt iterum a Luſitanis feliciter ejecti, in Galliam redierunt. Villaganonius autem, ejurato errore, ad ſacra antiqua rediit.

Alteram inſtruxerunt Calviniſtæ Hollandi; nam poſtquam Rex Hiſpaniæ, cum quo bellum gerebant, Regnum etiam Luſitaniæ obtinuit, in Braſiliam vecti anno 1630 *Pernambucum* expugnarunt, atque Antonium Bellaviam Italum, Societatis Jeſu ſacerdotem, dum morientium ſacras confeſſiones audiret, diffiſſo capite, crudeliter occiderunt. Pernambucum poſtea ſub Joanne IV, expulſis Hollandis, rurſus fuit occupatum.

# CAPUT VI.

## *Regnum Mexicanum.*

## Articulus I.

### *Mexicum occupatum a Corteſio.*

Nulla in orbe regio cenſetur fertilior, quam *Mexicum* ſeu *Nova Hiſpania*; quamvis enim regnum Peruanum auri argentique venis Mexicum ſuperet, vincitur tamen ab iſto rerum omnium abundantia. Solas vineas & oliveta non plantarunt Hiſpani, ne commercium cum eis intercideret. Cæterum fructus omnes Europæi, in Mexico plantati, fructus uberrimos producunt. Mori, bombycis & ſerici ingens proventus. Auri & Argenti, ſicut in Peruvia, Regi pars quinta obtingit, quæ plures milliones conficit, reliqua in operas expenduntur & alios ſumptus, aut in officialium vel negotiantium lucrum cedunt.

Chriſtophorus Columbus Mexicum procul ſalutavit, *Ferdinandus Corteſius*, heros incomparabilis, invenit, & miro ſane modo occupavit anno 1519. Incolæ fuerunt barbari, prope nudi, tonſi capite, facie deformiter picti. Deorum innumeros greges in idolis venerabantur, uti ſolem, lunam, ſtellas, terram, mare, fontes, flumina, montes, colles, ſcopulos: ſimiliter feras beſtias, urſos, leones, tigrides, dracones, ſerpentes &c., ne noceant, ut adeo ultra ducentos Deos adorarent.

Præ-

Præcipuus eorum appellabatur *Vizlibuzli*, cui innumeri homines immolabantur, præſertim infantes, uno anno ad viginti millia. Cor e pectore exciſum idolo offerebatur, cui Mexici magnificum templum erat conſtructum. Sacrificulorum magnus numerus, etiam in Monaſteria utriusque ſexus diſtributus.

Anno 1517 *Ferdinandus Corteſius*, vir callidus & animoſus ex Cuba Inſula cum 400 tantummodo viris in has regiones ſolvit, ad Chriſtum illas & Regem ſuum adducturus. Ut autem ſecurum a tergo receptum haberet, urbem in ora maritima condidit, quæ *Vera Crux* eſt appellata. Delatus ad Tudillum Regulum ſignificavit, miſſum ſe a Carolo V. ſummo Rege & Imperatore legatum ad *Motezumam* Mexicanum Regem, ut amicitiam cum eo contrahat, eique ac toti regno viam ad æternam felicitatem monſtret. Unum eſſe Deum, rerum omnium conditorem, omnipotentem cœli terræque Dominum, ac Gubernatorem ſapientiſſimum. Nullum alium eſſe Deum. Idola vana eſſe ſimulacra, per quæ dæmones, humani generis hoſtes infenſiſſimi, loquantur, miſerosque mortales dementent, ut in ſempiternum eos exitium trahant. Immolare tot homines & infantes innocuos idolis nihil aliud eſſe quam diabolis eos offerre, ad perennem pœnam damnatis ſpiritibus.

Humaniter a Principe, avideque Corteſius auditus fuit, cum hæc nova nuntiaret, acceptisque ab eo donis, vitreis & ferreis, quæ nunquam viderat, duorum millium comitatum ad Regem *Motezumam*, cui vectigalis erat, addidit: ſimul tamen omnia eidem per curſorem nuntiavit.

*Motezuma* præſagio, venturam gentem exteram, quæ eum de ſolio eſſet dejectura, territus, habito ſenatu, legatos ad Corteſium miſit, qui illi ſignificarent, pergratum ſibi accidere, quod Rex Hiſpaniæ ſecum velut amicitiam contrahere, ſuadere tamen ejus legato, ne Mexicum accedat, ſed unde veniſſet, recedat, ne deterius aliquid ipſi contingat. Periculum mortis non evaſurum, ſi ultra procedat. Idem, ſeditione prope mota, poſtulabant Corteſii comites: conſideraret etiam atque etiam, inſanum eſſe, cum tam tenui manipulo adverſus potentiſſimum tot terrarum Regem procedere: omne barbarorum nomen inſurrecturum; num unus contra mille ſit pugnaturus? juſtum ne quidem, validumque exercitum tantæ moli ſuffecturum. Sibi non eſſe volupe, in certam mortem ire, ſed fixum ſtare, dum via adhuc pateret, retrocedere.

Corteſius, cui certum erat, aut mori aut vincere, animi anxius, in audax facinus, ut ſuos retineret, ſe reſolvit. Per occultos nuntios naves, quibus venerant, perfodi ac deſtrui juſſit, ut omnem ſpem redeundi abſcinderet: ſuosque allocutus, videtis, inquit, commilitones, quo rerum noſtrarum articulo deprehenſi ſimus; aut vincendum aut glorioſe moriendum. Eſt in cælo, qui regnat, Deus, cujus in manu ſunt res humanæ: ſicut per multos, ita per paucos poteſt vincere, modo confidamus providentiæ. Cauſam Dei agimus, ut tot miſeri mortales captivitate dæmonis liberentur. Nec temerarium quis conſilium meum dixerit; juvat nos temporum favor. Multi ſunt in regno Mexicano Principes ac populi, qui graviſſimo a Motezuma jugo preſſi, alieno ſunt a tyranno animo. Ubi ſignum extulerimus, nobis accurrent ſocii. Audete ergo eſſe viri fortes, & quid Hiſpana virtus, cælo adſpirante, poſſit, demonſtrate.

Deliniti aliquantum hac ratione, cum ipſa neceſſitate compulſos ſe viderent, fidem ei denuo jurarunt, ſecuturos ſe, quocunque duceret. Summam vero voluptatem cepit, cum aliquot Indorum millia ſecum conjungerentur: cum quibus obviantes ſibi hoſtes, numero licet multo majores, fudit. Motezuma perterritus, vectigalem ſe fore Regi Hiſpaniæ promiſit, ſi retrocederet. At Corteſius contemptis promiſſis donisque civitati Mexicanæ imminebat magis ſemper magisque.

Motezuma, terroribus nihil agi cernens, ad humanitatis ſimulationem compoſitus, feſtivo cum apparatu hoſpiti, ceu legato magni Regis, extra urbem obviam proceſſit: ubi peractis ſalutationis officiis, eundem in urbem cum ſuis Hiſpanis & Indis, magna cum venerationis ſignificatione deduxit, & opiparo pro gentis more convivio excepit: interea autem portas occludi, ſuosque arma capere jubet, datoque ſigno undique peregrinos invadere.

Corteſius de hoc Motezumæ conſilio a ſuis monitus, cum in tam populoſa civitate, totque inter armatos, ſummum in diſcrimen adductum ſe ſuosque cerneret, incredibili audacia facinus inſolens atque ad eam diem inauditum, attentavit. Cum triginta ex ſuis aulam ingreſſus, Regem *Motezumam* captivum in cuſtodiam armis intentatis, & exprobratis inſidiis, ſibi ſtructis, abduxit, minitatus certam Regi necem, ſi quisquam opponere ſe auderet. Rex, ne vitam amitteret, mandato ſuos inhibuit, ne quidquam contra Hiſpanos molirentur, ſe ultro in hoſpitium Corteſii ire conteſtatus.

Ex-

Excuſavit autem Corteſius hoc factum Regi, quod alias vitæ ſuæ non eſſet ſecurus, cum conſtet, ſtructas ſibi ſuisque a Rege ejusque ſubditis inſidias; veniſſe ſe in has terras voluntate ſui Regis, amicitiam initurum. Violatum jus Gentium in legato. Tum vero in familiaritatem verſus, optimam ſuam intentionem prolixe expoſuit, educendi videlicet Regem gentemque cæcam ex errorum tenebris ad lucem veritatis, qua beati æternum fiant; aſſumptaque Miſſionarii perſona, de inanitate idolorum, diaboli ejusque miniſtrorum fraudibus, de unicitate Dei, de animæ immortalitate, de æternitate præmiorum & pœnarum tam eloquenter diſſeruit, ut Regem ipſum commovere ſit viſus.

Conglobati interea barbari Regem ſuum e manibus Hiſpanorum extorquere conabantur, ſed hi adeo arcte eum cuſtodierant, ut certa ei immineret mors, ſi quæ vis a Mexicanis ingrueret. Motezuma ipſe exhibitus populo mandavit, rogavitque, ne violente quidquam attentaretur, certa ſe id nece luiturum. Quin Vaſallum ſe Regis Hiſpaniæ profeſſus, conceptis verbis homagium eidem præſtitit, ad Oraculi neceſſitatem ſe referens, venturam in Mexicum gentem, quæ regnum ſit ſubactura.

Interea autem Corteſio majus ferme diſcrimen imminebat ab ipſis Hiſpanis quam Mexicanis; nam *Diego Velasquez*, Cubæ Præfectus, nuntiatis Corteſii in Mexico geſtis, invidia æſtuans, Narvæzum cum mille viris, navibus impoſitis, in Mexicum miſit, ut Corteſium, ceu hominem privatum, qui nullum a Rege mandatum haberet, captum reducant. Fruſtra erant Corteſii preces, ne opus, Hiſpanis tam glorioſum atque proficuum, eo usque jam profectum, perditum eant. Igitur Corteſius, relicta copiarum parte ad cuſtodiam Regis, cum ducentis Narvæzo obviam proceſſit, & nihil tale opinantem ſubito oppreſſit, & capturum ſe in vincula conjecit: milites vero illius, ſibi facile adjunctos in urbem Mexicum duxit, verſo in auxilium uſumque opportunum, quod in exitium venerat, & Mexicani Regis gaudio & ſpe in mæſtitiam & deſperationem.

Cum jam multo plures Hiſpani Indique Corteſio fidi eſſent in urbe, cibaria ipſis parce a civibus præbebantur. Orta proin rixa, Rex Motezuma, e turri proſpectans, voce nutuque ſuos coercebat. At illi, præſentium rerum pertæſi, emiſſis adverſus Regem ſuum telis, graviter eundem vulnerarunt, ut paucos intra dies fuerit extinctus.

Summo mærore hæc mors affecit Corteſium, quippe qui ereptum ſibi videbat, quo potiſſimum hactenus barbaros continuerat.

Et ſane magna mox facta eſt rerum mutatio. Mexicani Regem ſibi elegerunt *Quamozinum*, Moteczumæ agnatum, diverſæ multo indolis hominem: qui altera mox die Corteſio cum minis denuntiavit, ut ocius cum ſuis toto regno faceſſat; alioquin nec unum relinquendum vivum. Conſeritur in urbe pugna. Cadunt 450 Hiſpani, & ex adhærentibus eis Indis 4000. Corteſius cum reliquis urbe expellitur. Ingentem dein novi Regis exercitum cum paucis profligat, atque multa Indorum millia, Mexicanorum jugum pertæſa, ſibi adjungit.

His cum copiis recta ad urbem Mexicum tendit, eamque tandem expugnat (*anno* 1521). Inter captivos erat novus Rex, quem poſtea, novas turbas molitum, capitali ſupplicio addixit. Præda tantæ urbis erat ingens, cujus magnam partem ad Carolum Regem Hiſpaniæ miſit, cum precibus, ut Epiſcopi, & Religioſi viri mitterentur, qui barbaros erudirent, & Eccleſiæ Chriſti insererent. Liberaliter concedebantur a Rege, qui Corteſium Marchionem primumque Mexicani regni Proregem renuntiavit.

Poſt urbis principis expugnationem Principes paſſim ad Corteſium ſe conferebant, Regi Hiſpaniæ homagium præſtituri, paucis exceptis, quos deinceps debellavit, atque hoc pacto regnum, quod magnitudine & fertilitate Hiſpaniam multum ſuperat, Hiſpaniæ ſubjecit: &, quod plus eſt, partus cælo immenſus terrarum tractus. Dejecta idola, conſtructa templa, erectum triumphale ſacræ crucis vexillum, ſuus Deo dicatus honor: infinitis mortalibus miſerrima inſaniendi facultas erepta. Urbs ipſa Mexico in tantum ſplendorem & magnitudinem ſurrexit, ut cum celeberrimis orbis civitatibus certare queat, Proregis, Archiepiſcopi & Academiæ ſedes.

## Articulus II.

### *Religio Chriſtiana in Mexicum introducta.*

Poſtquam Corteſius tam ſtupenda felicitate Mexicum occupavit, Carolus V. Imperator omnem eo curam intendit, ut tam nobile amplumque Regnum non tam ſibi quam Chriſto ſubjectum eſſet. Quare operarios, virtute, doctrina, zeloque animarum conſpicuos, in hoc novale miſit. Invenit eos Brugis in ſua Flandria, & quidem in Seraphico Ordine S. Franciſci, qui Joannem de *Tecto*, Joannem de *Aora*, & Petrum de *Gandavo* ſuppeditavit: quos deinceps plures alii ſunt ſecuti. Et reſpondit culturæ meſſis. Intra primum ſexennium

nium 200000 baptizata ſunt: prout anno 1529 in Europam nuntiatum eſt. Poſtea vero ſacerrimus hic ordo, in 18 provincias, & plus quam 500 Monaſteria in regno Mexicano diviſus, ultra 20 milliones convertiſſe dicitur. Primus Epiſcopus Mexici fuit Joannes de Zammaraga, ex eadem zeloſiſſima Familia, renuntiatus poſtea Archiepiſcopus. Celebratur inſuper zelus & vitæ ſanctimonia Petri de Gandavo, Martini de Valentia, aliorumque. Glorioſo vero ſanguine fidem, quam prædicaverant, obſignarunt, Bernardus Cuſſinus, Joannes Serarius, Auguſtinus Rodriquez, Alphonſus de Villalobos, Joannes de S. Maria.

Secuti mox ſunt eodem zelo ardentes viri Religioſi ex Illuſtriſſimo Patrum Prædicatorum Ordine, tanto incremento, ut haud multo poſt ad 70 numerarent cœnobia, ceu totidem Religionis propugnacula, ex quibus 18 cum Epiſcopi, tum Archiepiſcopi, viri clariſſimi ſunt aſſumpti: qui omnes uberrimo proventu largos animarum manipulos horreo Domini intulerunt. Notiſſima eſt induſtria P. Jordani, qui fraudem quorundam Mexicanorum feliciter detexit; nam idolis, quæ ipſis graviter erant vetita, perdite addicti, ſub crucis ſigno illas abſcondebant, ut crucem adorare viderentur. At P. Jordanus, detecta nequitia, idola cum unionibus, quibus ornata fuerant, eruit, & in rogum comburenda projecit. In odium fidei a barbaris, quibus viam ſalutis monſtrabant, occiſi ſunt Franciſcus de Corduba, Joannes Garcez, Dominicus de Vico, Andreas Lopez, Thomas Caſillas vero, cum in Mexicum navigaret, ab Hugonotis Calviniſtis, contra pactum deditæ navis, quod Sacerdos Religioſus eſſet, perfide & crudeliter cæſus eſt.

Anno 1532 idem deſiderium convertendi animas egit in Mexicum ſeptem Patres Ordinis S. Auguſtini, qui ſanguinem & vitam ſuam gloriæ Dei devoverant, pluresque poſtea. Memorabilis eſt ratio Antonii de Roa cicurandi & convertendi barbaros. Eorum mores, quos ſine peccato poterat, ad amuſſim imitabatur. Nudis cum ipſis incedebat pedibus, nuda cum ipſis cubabat humo, herbarum cum eisdem veſcebatur radicibus, veſtitum eorum, quantum honeſtas permiſit, aſſumebat. Qua re id eſt aſſecutus, ut familiares eos ſibi redderet, & duceret, quo volebat, præſertim cum verbis manſuetis ſummam vitæ integritatem adderet. Cum vero prodigia etiam ederet, cœleſtem velut hominem mirati, ad baptiſmum confluebant.

Quamvis autem viri iſti Apoſtolici res magnas geſſiſſent, atque Mexicani regni media ad fidem perduxiſſent, ſupererant tamen non paucæ in extremis partibus, ad Californiam, Novum Mexicum &

Floridam vergentibus, provinciæ, quæ barbarie obſitæ nullam adhuc culturam admiſerant. Præterea non erant ubique ii veterum Chriſtianorum mores, qui novis ædificationi & exemplo eſſe poſſent. Novæ igitur anno 1572 venerunt ſuppetiæ, Patres videlicet Societatis Jeſu, poſcentibus Aula Hiſpana & Mexici Epiſcopis.

Primus agrum illum ingreſſus eſt Antonius *Sedennius* cum 15 Sociis, quos Henriquez Prorex & Contreras Archiepiſcopus ſingulari cum benevolentia exceperunt. Conſtituta Mexici ſedes, unde labores ſuos explicarent. Prima autem cura juventuti ſe impendit, ut bonis illa moribus, litteris & artibus liberalibus imbueretur. Erecta propterea Scholæ atque Seminaria, in quibus Chriſtiane educaretur juventus in uſum utriusque Reipublicæ.

Aucti ſubin novis ex Europa ſupplementis, in varias, incultas adhuc, provincias ſunt diſpertiti, alii in Novam Galliciam, in Novam Biſcajam, Novam Cantabriam, Quadianam, Mechoacam, Zacatam, Guaxacam, Cinaloam alii: rurſus alii ad Tepozotios, Theutlacenſes, Topianos, Varochios, Hiaquos, Cinipas, Guatimalanos, Petatlanos, Chichimecas, Acaganos, Xiximinos, Tepeguanos, Tequecos, aliosque barbaros populos.

Prolixum nimium pro inſtituto meo foret, omnia, quæ in his regionibus pro gloria Dei & ſalute animarum ſummas inter difficultates, vitæque pericula geſta ſunt, vel obiter recenſere. Aſpirante Dei favore, omnes illæ provinciæ ad humanitatem & Chriſtianam fidem potiſſimam partem ſunt perductæ, non tamen ſine largo ſacrorum operariorum profuſo ſanguine, quo & hunc agrum irrigari & fæcundari oportuit.

Eos inter, qui ex S. J. a barbaris in odium fidei occiſi ſunt, erant Gundiſalvus de Tapia, Ferdinandus de Tovar, Bernardus de Ciſneros, Didacus de Oroſco, Joannes de Valle, Ludovicus de Alabes, Joannes de Ponte, Hieronymus de Moranta, Ferdinandus Santarenus, Julius Paſqualis, Emmanuel Martinez, omnes Hiſpani, Cornelius Beudinus Flander, Antonius Baſileres Italus.

Omnes hi fortes pro fide Chriſti Athletæ ferventes erant Miſſionarii, in diverſis provinciis, cæſi ab iis, quos ſumma cum charitate & patientia erudierant. Cum enim barbari ſecundum leges Chriſtianas a carnis voluptatibus illicitis eſſent avocati, ſeveritatis Chriſtianæ pertæſi, in Miſſionariorum necem conſpirarunt, eosque vel in itinere vel in mapalibus eorum aggreſſi, telis, fuſtibus, mucronibus crudeliter enecarunt.

CA-

# CAPUT VII.

## *Florida.*

Ab incolis *Jaquaſa* appellatur, Floridæ vero nomen a florente ſolo derivari dicitur, quod floribus, fructibus, cedro, quercu, abiete, moro, animalibus omnis generis abundat, præſertim Crocodillo, quem, ex undis bianti ore emergentem, grandi trabe, quam plures viri portant, in fauces magna vi intruſa conficiunt. Indoles colonorum barbara, callida, perfida, ferox. Facies pallida, ac lurida. Corpus prope nudum, pigmentis fucatum. Arma fuſtis, arcus & ſagitta, in oſſeum acumen deſinens: ſecures ſaxeæ, aratrum ligneum. Formant varias velut Reſpublicas ſub Prætore, quem *Cacique* vocant. Severe is adulteria & alia quædam crimina caſtigat. Solem, lunam, planetas adorant. Credunt tamen animæ immortalitatem.

Quis Europæorum primus Floridam detexerit, non eſt concors omnium opinio. Alii Italis, alii Anglis inventionis gloriam tribuunt: ſed ex communiore ſententia veroſimilius debetur *Joanni Poncio de Leone*, nobili Hiſpano, qui anno 1512 duabus navibus, propriis ſumptibus comparatis, in Indiam profecturus, ventorum vi in Floridam protruſus eſt: ſed propter paucitatem ſuorum terram ſalutavit tantummodo, quin poſſeſſionem ullam poſſet capere. Regreſſus igitur in Hiſpaniam, majores a Rege vires petiit, ut firmus in nova hac regione pes figi poſſet. Annuit Rex. Dedit naves & copias. Cum his Poncius appulſus in Floridam, munimentum, quod eſſet præſidio, excitare cœpit, verum barbari magno numero concurrentes cœptam munitionem ſunt demoliti, Hiſpanos vero tanta telorum grandine ſunt adorti, ut plerique occumberent, Poncius vero graviter vulneratus in Inſulam Cubam evaderet, ibique ſpes ſuas conatusque morte extingueret.

Anno 1534 Ferdinandus *Sotus*, acceptis a Rege Carolo 500 armatis, Floridam denuo tentavit. Sed poſtquam in quintum annum ſtationem occupaverat, amicitiæ ſimulatione illectus a barbaro Principe, & in locum inſidiarum pertractus, ſubito invaditur, & cum ſuis cæditur. Nullus nempe hic erat Corteſius, neque Bizarrus.

Anno 1549 duo inſignes Navarchi, Julius *Samanus* & Petrus *Ahumada*, Philippo II. Regi ad novam in Floridam expeditionem ſe obtulerunt; conſenſit is ea lege, ne Floridanos vi invaderent, ſed lenitate & familiaritate ad amicitiam veramque Religionem pellicerent,

Addidit in hunc finem Miſſionarios ex ſacra Prædicatorum Familia, Ludovicum Cancellum cum quatuor aliis. Sed non felicior fuit hæc expeditio; nam Miſſionarii cum pluribus aliis, exſcenſione in terram facta, a barbaris crudeliter ſunt mactati.

Sed necdum ſpem Florida potiundi Hiſpani abjecere; nam anno 1566 nova inſtructa eſt claſſis, quæ a Rege Petro *Menendes* fuit commiſſa. Is ea conditione recepit, ut Miſſionarii Societatis Jeſu, quorum operam in India Orientali noſſe cœperat, comitarentur. Tres addixit Franciſcus Borgia, Præpoſitus tunc Generalis, Petrum Martinez, Joannem Rogerium, & Franciſcum Villaregium. Primus ex his mox a barbaris fuit interemptus. Menendes autem in ora maritima Floridæ plures arces & propugnacula, ad arcendas incurſiones hoſtiles erexit. Rogerius & Villaregius ſemen Verbi Divini large ſpargebant, ſed incidit in duram petram; donec agnatus Reguli exemplo ſuo corda emollivit, & ſex alii ex eodem Ordine Miſſionarii ex Europa accederent; qui pro more ſuo in varias provincias diviſi ſacro operi incumbebant.

Tarde id procedebat, donec noſtrorum conſilio Menendes, Infideles convertendi cupidiſſimus, Havanæ in proxima Inſula Cuba, cujus pariter Gubernator erat renuntiatus, Seminarium pro Juvenibus Floridanis fundavit, illudque inſtitutioni Patrum S. J. ſubjecit: verum ex iis plures mortui ſunt, non ſine ſuſpicione Floridanorum.

Illud etiam eorundem animos irritavit, quod Hiſpani, qui arces ſuas in locis maritimis, arenoſis & ſterilibus, exſtruxerant, fame premente coacti fuerint, in interiora irrumpere & alimenta conquirere. Acceſſit perfidia Principis Ludovici, qui ſuſcepto baptiſmo magnum pietatis ac religionis fervorem præſetulerat. Nam is pro inconſtantia gentis Miſſionarios in interiora, fidei propagandæ ſpe animatos, induxit, ac barbaris mactandos tradidit.

Hos inter crudeliter caſos erant Patres, Ludovicus Guiros, Gabriel de Solis, Joan. Bapt. Mendez, Joannes Segura, Gabriel Gomez, Petrus de Linares, Sanctius Savellius, Chriſtophorus Rotundus, omnes e Societate Jeſu: vindicarunt quidem Hiſpani has cædes; ſed gens ferox, & perfida non eſt facta propterea melior. Certe nulla fuit in tota America natio, quæ tantam oppoſuerit Evangelio pertinaciam, atque recepto inconſtantiam atque perfidiam.

Poſterioribus temporibus Florida inter Hiſpanos, qui duas in ea habent Colonias, Gallos, qui partem, quam occupaverant, *Carolinam* dixere, Anglos, & Barbaros fuit diviſa. Anglorum autem potior in ea eſt dominatus.

CA-

# CAPUT VIII.

## *Canada ſeu Nova Francia.*

Grandem terrarum tractum in ſeptentrionem late exporrectum Galli inventores *Novam Franciam* appellarunt. Ante eorum adventum neſciebatur agricultura; ſed venatu & piſcatu vivebant. Arbores vix aliud niſi ſylveſtres fructus proferunt. Sobrie vivunt, & ideo ſano & vegeto ſunt corpore, ſenſibus acutis, ad famem & frigora forti & æquo animo toleranda durati; ſeveri criminum vindices: quamvis nullos habeant libros, memoria tamen pollent admirabili. Hyeme ferarum pellibus arcent frigus, & campana, cui incluſi ſunt igniti lapides, ſe calefaciunt.

In ſeptem potiſſimum dividuntur populos, quorum celeberrimi ſunt *Hurones* & *Iroquæi*, & hi quidem magis feroces, illisque perpetuo infeſti. Deum agnoſcunt ſub nomine *Atabocan*, ſed fidem innumeris fabulis ridiculis de origine mundi rerumque productione inficiunt. Animam corpoream credunt, longis itineribus poſt mortem faciendis occupatam. Tonitru nihil aliud eſſe putant, quam ſternutationem cujusdam ſpiritus, qui ingentem ſerpentem deglutivit, eumque digerere non poteſt.

Difficultatem convertendi hanc gentem injecit tum linguæ obſcuræ confuſio, tum quod ab Hugonotis, penes quos ſolos ferme erat mercatura cum Canadenſibus, ſpargeretur, Miſſionarios eſſe magos, qui omnem calamitatem regioni importent. Unde Præfecti gentiles vetabant, ne quis eos audiret: ſacerdotes vero lapidibus excipiebantur. Has ideas barbaris imprimebant & nutriebant, Batavi, Angli, &, quos dixi, Hugonoti Galli, qui Miſſionarios, præſertim Jeſuitas, atro carbone denigrabant. Id genus obices per plures annos animarum negotium ita ſufflaminabant, ut tarde omnino procederet. Cum igitur Miſſionarii adultos præfracte obſtinatos cernerent, ad teneram ætatem, quorum corda necdum obduruerant, converſi, anno 1636 juvenes aliquot perſonas in Galliam, cum parentum conſenſu, dimiſerant, ut ibidem fide & probitate imbutæ, in patriam inde reducerentur. Comitatæ ſunt eas quatuor vitæ probatæ matronæ, quæ *Quebeci* receptæ puellas inſtruebant, ſacerdotes vero adoleſcentes in erectis ſcholis. Conſtructum quoque pro ægris noſocomium, aliaque domus pro Canadenſibus, opportunum Religionis ſeminarium.

His

His denique mediis, a Gubernatore Gallico liberaliter ſubminiſtratis, effectum, ut Deus ex lapidibus ſuſcitaret filios Abrahæ, eo Eccleſiæ Canadenſis proventu, ut anno 1640 mille baptizatos numeraret, quibus anno 1641 acceſſerunt alii 1200, & annis proxime ſequentibus tot, ut operarii ſacri non amplius ſufficerent, ſed novos ex Europa in amplam hanc meſſem evocare oportuerit. Ita videlicet Deus coronavit conſtantiam, qua Miſſionarii per 30 prope annos hunc agrum irrito propemodum ſudore emollire conati fuerant.

Primus, qui barbaram hanc gentem (annitente Petro Cotono) adiit, fuit P. *Enemontius Maſſeus*, S. J. Lugdunenſis, qui 50 annis Canadenſes excoluit, ſummas inter difficultates, rerum omnium defectum & vitæ pericula, quæ ipſi imminebant, non tantum a barbaris, ſed etiam piratis Anglis, in quorum manus immites fuerat delapſus. Socius eidem fuit additus Petrus *Biardus*, Gratianopolitanus, Theologiæ Profeſſor: quos anno 1613 ſecuti ſunt P. Quintinus & Frater Thetus, poſtea ab Anglis occiſus; nam illi e Virginia ad oram Canadenſem navigantes navem Gallicam, qua vecti fuerant, interceperunt, & inter alios Thetus in conflictu fuit occiſus. Angli Canadam vaſtarunt, Biardus vero & Quintinus, cum in Angliam eſſent abducendi, ventis navi in Azores, Luſitanorum Inſulas, delata, liberati ſunt. Anno 1625 in Canadam ſecuti ſunt ex eadem Societate Miſſionarii, Joannes de *Brebeuf*, primus Huronum Apoſtolus, Antonius *Daniel*, Gabriel *Lalemont*, Carolus *Garnier*, aliique plures, poſt multos labores & ærumnas exantlatas pro fide Chriſti denique Martyres.

Vix angulus eſt in Canada, quem non excuſſerint Canes iſti, ut ita dicam, venatici, nulla ſylva, nullum mapale, in quod non penetraverint, ut feros homines inde ad ſacrum lavacrum educerent: per montes nivoſos, paludes impervias, in ſiti & fame, rerumque omnium defectu, vitam ſuam quotidiano diſcrimini objiciebant. Et ſane reſpondit fructus: homines barbari, poſita ferocitate, ad Chriſtianam manſuetudinem, temperantiam, continentiam, probitatem, inſignemque vitæ integritatem traducti magno numero, ut etiam probis Europæis poſſent eſſe exemplo. Tenera etiam ætas, uti in Japonia, admiranda prorſus fortitudinis & conſtantiæ præbuit argumenta.

Verum uti aurum, ita virtus in igne probari debuit: innata quippe gentis ferox crudelitas amplam patiendi materiam ingeſſit. *Iroquæi* in hac parte omnibus palmam præripiunt, populus ſanguinarius, ac prorſus barbarus, ſine fide, ſine lege, cujus feritas nunquam domari potuit. Uſum ſcloporum ab Hollandis acceperunt. Perpetuis

irru-

irruptionibus Hurones Chriſtianos premunt, perdunt & mactant. Horret mens humana, dum eorum immanitatem legit.

Nec tantum Miſſionarii, ſed Canadenſes quoque, qui Chriſtianos ſe profitebantur, mutilati, uſtulati, laniati, fuſtibus immaniter cæſi, ac diſſecto bipenni capite trucidati ſunt. Matres lactantes cum infantibus, ignibus toſtæ, in epulas ceſſerunt. In Gallos maxime, & qui eorum partes ſequebantur, ſævitum; nam continua ferme erant bella inter eos & Iroquæos, fortuna varia. Cum barbari viciſſent, in captivos atrociſſime furebant, omni tormentorum genere in eos graſſantes, ut horrendos inter dolores lente enecarentur. Omni tamen furentium rabie major erat fortiorque plurimorum omnis ætatis & ſexus Chriſtianorum conſtantia, ſuperna virtute ſufficiente robur, quo dolores, humanæ naturæ intolerabiles, incredibili fortitudine tolerarent.

In neminem tamen immitius quam in Miſſionarios ſæviebant. P. Joſephus *Breſſanus* S. J. anno 1644 in Canadam delatus, atque ab Iroquæis captus, quidquid crudelitas invenire potuit, animo invicto ſuſtinuit, ſpe animatus martyrii laureolam conſequendi. Aliud viſum ſuperis; nam ab Hollandis, lytro perſoluto, liberatus, beneque habitus, Rupellam primum, indeque in Italiam patriam ſuam translatus eſt, ubi concionatoris munere perfunctus, facie cicatricibus obſita, digitis truncatis, & uſtulatis, magnos animorum motus concitabat.

Atrociora adhuc perpeſſi ſunt Joſephus *Poncetus*, & Annas *de Noue* Societatis Jeſu Sacerdotes; nullus tamen plura quam *Iſaacus Jogues* ex eodem Ordine; cujus fata & tormenta inaudita typis edita, vel legere cohorret animus. Is in Canadam, quo dudum ante deſiderio præcurrerat, delatus, per ſex annos ſaluti Huronum deſudaverat, cum a feris Iroquæis anno 1643 captus, patientiæ palæſtram ingreſſus eſt. Nam pro prima ſalutatione fuſtibus excepto abſciſſi ſunt digiti; ferro perforata manus, facies totumque corpus cultris fœde laceratum; ignibus, cataſta, fame extrema immaniter tortus; nihilominus tamen ſummos inter dolores non deſinebat tortoribus ſalutis principia ingerere. Ab Hollandis denique a tormentis liberatus, anno 1644 in Galliam abductus eſt. Sed cum inde in Canadam ad Iroquæos rediiſſet, ab iis crudeliter trucidatus eſt, anno 1646 Non paucos habuit fatorum ſuorum comites, partim Gallos, partim Hurones, cum eo in manus Iroquæorum delapſos, quos Iſaacus Chriſtianos aut invenit aut fecit; omneſque ad tormenta & ærumnas fortiter pro Chriſti fide tolerandas verbo & exemplo animavit.

Per crudelem cædem Iſaaci & ſociorum Iroquæi rurſus fregerunt, quam cum Gallis inierant, pacem, atque in Huronum Chriſtianorum pagos irruentes, ferro & flamma omnia devaſtarunt, incolas vero pro more ſuo barbare tortos occiderunt, eorumque carnibus opipare epulati ſunt. Hos inter crudeliter cæſos erant tres e Societate noſtra Miſſionarii, quibus præ cæteris orexis inhiabat, Antonius *Daniel*, Joannes de *Brebeuf*, & Gabriel *Lallemant*. Primus Deppæ, urbe maritima, Galliæ natus, anno 1633 cum aliis ſociis in Canadam delatus, 15 ibidem annis inter diras perſecutiones, non tam vitam, quam lentam mortem traxit. Cum anno 1648 Iroquæi in Huroniam irruerent, oppidani in Eccleſiam confugerunt. Hanc cum barbari adorti eſſent, P. Daniel illis obviam progreſſus tamdiu eorum vim virtute ſuperna ſolus ſuſtinuit, donec Hurones in tutum ſe reciperent. Confoſſus propterea ab Iroquæis, victima charitatis paſtor bonus vitam ſuam dedit pro ovibus ſuis.

P. Brebeuf & P. Lallemant, cum Iroquæi novam in Hurones irruptionem tentarant, omniaque expilarent, & expilata in cineres redigerent, cum multis Chriſtianis capti, & in duriſſimam ſervitutem abſtracti ſunt. Hic enim vero barbaries ſe totam ita exhauſit, ut ipſa rabies & crudelitas exhorreſceret. Nullum erat corporis membrum, quod non immani furore torqueretur: digiti dentibus demorſi, lingua candenti ferro perforata, os cum dentibus lapidibus contuſum, collum armilla, acutis ſpiculis horreſcente, arcte conſtrictum, pedes totumque corpus lanceolis perfoſſum, aqua fervens ac ſtridens a capite ad calcem in baptiſmi ludibrium ſuperfuſa. Oculi evulſi, & in vacuas cavernas ardentes prunæ intruſæ. Alia referre pudor vetat. Atque ut nihil deeſſet ad contumeliam, horrido hoc & pene emortuo corporis habitu cantare & ſaltare jubebantur. Difficillimum autem Chriſti confeſſoribus accidit, quod hæc non tantum ab Iroquæis, ſed ab Huronibus, ſuis olim filiis etiam, nunc autem impiis a fide apoſtatis, inter ſannas & blaſphemias ſint perpeſſi.

Tandem cum vulnera vulneribus addidiſſent, nec novis ſupereſſet locus, immanes hæ tygrides, pectore diſſecto, cor evulſerunt, & ſcaturientibus venis ſanguinem profluentem ſibi mutuo propinarunt; animæ vero per glorioſum martyrium coronatæ in cœlum avolarunt. Eandem mortis ſemitam paulo poſt in alia Iroquæorum provincia inierunt P. Garnier & P. Natalis, zeloſi in Huronia Miſſionarii, viri integerrimi, ac dudum ad martyrium præparati. Sors eadem preſſit non paucos ex Huronibus & ipſis etiam Gallis.

Quamvis Hurones ſi quem bello Iroquæum nacti ſunt captivum, non multo mitius cum eo egerint.

Denique Deus anno 1663 cœleſtibus oſtentis, horrendis motibus terram adeo concuſſit, ut Iroquæi poſita ad tempus feritate miteſcerent, & proniores Evangelicis Præconibus aures præberent, præſertim ubi viderunt, ſe cœlo & terra ferme ſolos premi, Chriſtianis innoxiis, vindictam exercitæ crudelitatis interpretati.

Et profecto irrigatus ager Canadenſis tot Martyrum ſanguine tantos denique fructus protulit, ut ſocietas noſtra hoc ſæculo ineunte præter Collegium Quebecenſe poſſideret ultra 30 florentiſſimas cultiſſimaſque Miſſiones, & quidem ſeptem apud ipſos Iroquæos. Ex iis ſex profligatæ ſunt, bello Gallos inter & Iroquæos circa annum 1682 exorto. At revocata anno 1702 cum religione pax omnia in priorem ſtatum reſtituit. In iis Iroquæorum Miſſionibus ea præcipue floret, quæ a S. Xaverio nomen habet.

Ex reliquis prima Miſſio, quæ Lauretana dicitur, eſt in conſpectu Quebeci; altera ad ripam fluvii Laurentiani; tres aliæ ſupra Quebecum longe procurrunt in ſeptentrionem, aliæ in auſtrum, aliæ in occaſum, ut toti Canadæ provideri poſſit.

A ducentis jam & ultra annis mercatores quidam & nautæ conati ſunt Americam Borealem circumnavigare, eoque itinere in Indiam Orientalem, & Sinas penetrare, ſicut Luſitani olim, circum navigata Africa iter in eas terras aperuerunt. Nemo altius profectus eſt, quam Hudſon Anglus, qui anno 1611 & triennio poſt eam viam tentavit, labore improbo, ſed irrito. Quippe trajecto freto, quod ejus nomine *Hudſonicum* appellatur, ad 82 gradum latitudinis pervenit. At glaciales montes, mari innatantes, & immania frigora iter remetiri coegerunt.

Angli nihilominus ad illud fretum propugnaculum & ſedem commercialem excitarunt, inſtitutis quot annis ſolennibus nundinis, quibus ingentem pellium vim leviſſimo pretio, grandique lucro a barbaris emerunt. Galli, in partem quæſtus ut venirent, eandem pellium mercaturam exercere cœperunt; utque eam ſecuriorem redderent, & ipſi contra Anglos munimentum erexerunt; P. Dalmas vero, qui præſidiario militi a ſacris erat, perfide fuit interemptus; munitio Gallorum ab Anglis occupata, ſed rurſus, iterumque ab iſtis recepta. Captus P. Mareſt Miſſionarius S. J. atque Pleymuthum primum in Angliam abductus, poſtea vero libertate donatus, in Galliam patriam ſuam; indeque ſecundo in Canadam profectus eſt.

Frequens deinceps Gallos inter Angloſque recruduit diſcordia, quæ *Abnacenſes* quoque, inter Acadiam & Novam Angliam populum, involvit. Libera eſt hæc gens, Galliæ tamen Regibus juncta fœdere. Indigne hanc ſocietatem tulerunt Angli, omnique conatu collaborarunt, ut Abnacenſes a Gallis abſtractos ad ſe pertraherent. Obtulerunt illis commercia, aliaque commoda, majora magisque propter vicinitatem opportuna, quam ſint illa, quæ ex communione cum Gallis perciperent. *Quebecum* namque 15 dierum diſtat itinere, *Boſton* vero urbs Anglorum duorum duntaxat.

Verum Abnacenſes, qui omnes ſunt Catholici, ſolus amor Religionis ab Anglis abſterruit, & in fœdere cum Gallis retinuit. Quapropter Angli in fundo Abnacenſium domos conſtruere cœperunt, multisque aliis moleſtiis & injuriis eosdem affecerunt, conjectis etiam in carcerem eorum legatis. Unde irritati Indi Anglorum domos, in ſolo ſuo conſtructas everterunt, atque ad bellum retundendum, imploratis etiam vicinorum Indorum armis impigre ſe præpararunt. Eximia prorſus erat eorum fortitudo, ſed multitudini tandem Anglorum, & Indorum, qui ſocietate ipſis erant conjuncti, cedendum fuit. Expilatæ & incenſæ ædes, diruta ſacrata Deo templa, ſacra omnia ſpiritu hæretico contaminata.

Curam paſtoralem in hos populos 37 annis exercuit P. Sebaſtianus Rasles Gallus, vir plenus zelo & ſpiritu, qui Miſſionem hanc inter barbaros ita inſtruxerat, ut Chriſtianis Europæis exemplo eſſe poſſet, ſive Eccleſiarum ornatum, ſive Divinorum Officiorum ſplendorem, ſive populi modeſtiam, frequentiam, devotionem, ordinemque concinnum ſpecies. Negares profecto fuiſſe barbaros.

Longanimi P. Sebaſtiani culturæ hæc debentur. Angli, quod crederent, per ipſum ſtare, quo minus ſuis partibus Abnacenſes accederent, immani eundem odio perſequebantur, ſtatuto in ejus caput non levi pretio. At ille omnes eorum inſidias caute declinabat, donec ultimo, quod dixi bello, quo dormientes opprimebantur Indi, ceu paſtor bonus occurrit Anglis, a quibus æneis glandibus petitus, multisque vulneribus confoſſus, laniatusque anno 1723 occubuit, ingenti Indorum dolore, qui omnes amantiſſimum ſui patrem amiſiſſe rati, lacrimis & ſingultibus eidem parentabant.

Anno 1730 barbarus ad Miſſiſipi fluminis dexteram populus, quos *Natſos* appellant, improviſo in Gallos irrumpens, prope omnes cum duobus Miſſionariis S. J. trucidavit. Regionem incolunt peramænam, & quia fluviis irriguam, ubertate plenam. Varia idola colunt, maxime vero ſolem, Deorum ſuorum primum. Animæ immortalitatem

credunt,

credunt, & æternas pœnas aut præmia. Principi ſubſunt, a quo Monarchico reguntur imperio, & tanquam frater ſolis adoratur. Morienti juvenes multi immolantur, ut in alteram eum vitam comitentur, eique inſerviant. Hæreditarius quidem eſt principatus, tametſi non ſuccedat Principi filius, ſed ex ſorore nepos.

Cum hac gente permixti vivebant multi Galli: quos aſtu deceptos, armisque ſpoliatos, unius diei laniena prope delevit, paucis fuga elapſis. Cum Præfectus novæ Aureliæ, tantam Natſorum perfidiam, ſuorumque cladem intellexiſſet, expeditam adverſus eosdem, a Sactanis, fœderato Gallis populo, jam victos, miſit, atque ad pacem petendam adegit. Quam infeſti autem ſunt iſti Gallis, tam amici & fidi ſunt illis *Illineſii*, ad fidem Catholicam omnes traducti, & eximii ejusdem cultores. Cæterum barbaros inter non minus, quam cum Gallis & Anglis, continua prope fervent bella.

# CAPUT IX.

## *Introductio Chriſtianæ Religionis in Californiam.*

California in extremo Occidente Borealis Americæ ſita, atque per mare Vermejum a Nova Mexico ſeparata, vel Inſulam oblongam refert, ab Auſtro in Boream late extenſam, vel, ut alii credunt, Peninſulam, quæ mari & fluviis irrigua, atque fœcunda, omnia ad vitam ſuſtentandam neceſſaria profert, colonorum ſi accedat induſtria. Inventa etiam auri argentique mineræ. Gemmarum tamen piſcatus eſt omnium ditiſſimus. Quapropter jam Ferdinandus Corteſius, & alii poſt ipſum Mexici Proreges plures in eandem expeditionem tentarunt, ſed irrito ſemper conatu, nihil aliud, quam odium ſui reportantes.

Arduum omnino & impoſſibile videbatur, ad gentem iſtam barbaram Evangelium deferre. Aggreſſus tamen opus primum Euſebius Chini ex Germaniæ ſuperioris provincia, tum vero *P. Salvaterra* S. J. Mediolanenſis cum P. Picciolio ejusdem Ordinis. Sed viam undique obſeptam habuit. Obſtabant Decreta Regia & Prætoria. Ridebant multi vanum & temerarium, ut putabant, ejus conatum, jam toties fruſtra tentatum. At ille, Deo confiſus, repoſuit, quod arma non potuiſſent, crucem effecturam. Id tandem impetravit, ut propriis ſumptibus navigationem ſuſciperet. Quid faceret, nihil habuit. Corrogavit a mercatoribus Mexicanis eleemoſynam. Comparavit na-

vim, & cum 25 Hiſpanis, ſuo ſumptu conductis, in Californiam ſolvit. In littore erexit munitiunculam, atque in ea ſacellum Virgini Lauretanæ.

Adiit imperterritus barbaros, inſtrumentis muſicis ludens, & pium carmen modulatus. Circumſiſtunt illum, ferocia tanquam novum portentum mirati. Expoſuit illis (nam linguam Californicam jam ante didicerat) adventus ſui cauſam, ut videlicet illis rectam ad æternam felicitatem viam monſtraret. Non eſſe ſe Hiſpanum, nec ullatenus cogitare, eos ſervituti ſubjicere, ſed in libertatem filiorum Dei aſſerere. Et en vim Divini luminis! audiunt attente. Petunt inſtrui. Certatim baptiſmum flagitant. Differt, donec plene credendi vivendique principiis imbuerentur, ea etiam uſus induſtria, ut fidei articulos in ſacros rhytmos colligeret, quos juventus præſertim diſceret, & pie concineret.

Ab anno 1697, quo Pater Salvaterra in Californiam navigaverat, uſque ad annum 1703 Patres S. J. jam terram ad 150 milliaria detexerunt, quatuorque in iis Miſſiones ſtabiles erexerunt: quibus anno 1706 aliæ duæ acceſſerunt, aucta credentium multitudine. Anno 1710 lues multos abſumpſerat; quod barbari mutatæ Religioni imputantes, Miſſionariis inſidias ſtruxerunt, ſed a Chriſtianis accurrentibus egregie defenſi ſunt.

Anno 1717 pie mortuus P. Salvaterra ſucceſſorem reliquit P. Picciolium, pariter Italum, cum aliis ſociis, eidem ſubjectis, qui per 900 milliaria Italica per Californiam ſe extenderant, ut adeo anno 1734 jam 14 Miſſiones ſtabiles haberent conſtitutas, incolasque plurimos, ſicut in Paraquaria, Chriſtiano ritu initiatos, permoverent, ut Regi Catholico ſe ſubjicerent.

Verum anno ſequenti vehemens turbo ſementem florentiſſimam ſuccuſſit. Duæ nationes barbaræ, irruptione in Chriſtianas Colonias facta, dirutis templis, everſis aris, horrendam ſtragem intulerunt, fugatis uſque ad extremos Californiæ fines Miſſionariis. Petita a Mexici Gubernatore auxilia, ſed non impetrata. Munitio S. Mariæ de Laureto, primitus ædificata, præſidio fuit.

Dubitabatur ante hac, an California ſit Inſula; ſed Miſſionariorum induſtria detectum eſt, eſſe Peninſulam, ex parte ſeptentrionali continenti annexam.

# CAPUT X.

## *Itinerarium P. Florentini Burgenſis Cappuccini Galli per Americam in Indias Orientales.*

Juſſus a ſuis ſuperioribus anno 1711 P. Florentinus fuerat, ut Ponticherium proficiſcatur. Cum autem eo tempore, quo bellum ſucceſſionis Hiſpanicæ adhuc fervebat, ordinariam in Indiam Orientalem per Africæ littora viam Angli, Hollandi, & Luſitani, claſſibus ſuis obſeſſam tenerent, Galli, ſicut Hiſpani, per Americam in Indiam Orientalem trajiciebant.

Quare Florentinus in Portu Ludovici conſcenſa navi per Atlanticum ejusque Inſulas in Americam devectus, in portu urbis Boni Aeris (*Buenos Ayres*) appulit, quo mox centum & ultra Miſſionarii e Societate Jeſu per naves Hiſpanas cum novo Gubernatore ſunt ſubſecuti.

Terreſtri inde itinere per Paraquariam & Tucumanniam uſus, ad urbem ſanctæ Fidei (*ſanta Fe*) pervenit. Per biduum ibidem commoratus, ad *Novam Cordubam* contendit; ſed a ſociis Indis, a paupere Capucino nihil ſperantibus deſertus, in longam denſamque ſylvam delapſus, emergensque tandem, trans flumen, quod tranavit, turrim conſpexit, Chriſtianum templum eſſe ominatus. Erat *Reductio S. Franciſci Xaverii*, ubi a Patribus noſtræ Societatis amicos inter amplexus fuit hoſpitio exceptus. Prædicare non ſatis poteſt charitatis obſequia, quæ ipſi fuerunt exhibita. Deſcribit dilaudatque prolixe Patrum fervorem, cultus Divini celebritatem, populi frequentiam, modeſtiam, devotionem, totiusque coloniæ, quæ triginta hominum millia complectatur, ſtatum optimum, tum in ſacris tum politico regimine, fateturque, ſe multa de Paraquarienſibus Miſſionibus audiviſſe laudabilia, ſed omnia vidiſſe majora, quam audiſſet.

Cum longiori tempore ibidem fuiſſet commoratus, ægre a Patribus dimiſſus, S. Nicolai & Conceptionis colonias, a Jeſuitis erectas adiit, eandemque charitatem expertus, *Cordubam* tandem attigit, urbem in Tucumannia ſpatioſam, Eccleſia Cathedrali, pluribusque monaſteriis celebrem. Divertit, invitatus a Rectore, in Collegio S. J. prout etiam *Mendozæ*, urbe celebri. Dum eo ſolus iter faceret, noctu arborem conſcendit, viditque Tigrim efferam accurrere, ſibique inhiare, plures aſſultus, ut ſe apprehenderet, tentando.

Tandem per difficillima itinera & altos montes ad urbem S. Jacobi (*ſant Jago*) Chilenſis regni primariam penetravit, loco peramæno & fertili admodum ſitam, Epiſcopatu & aliquot monaſteriis nobilem. Divertit in Collegio Societatis, & ad Novitiatum ejusdem inviſit. Ad urbem Conceptionis inde profectus *Callaum* in Peruviam, portum celeberrimum, atque *Limam*, totius Americæ principem, ditiſſimamque pervenit, Archiepiſcopi & Proregis ſedem, ubi Societas quatuor habet domicilia, Collegium, Novitiatum, Domum tertiæ probationis, & domum profeſſam, in qua P. Florentinus amiciſſimo hoſpitio eſt exceptus. In Novitiatu vero octiduanis S. Ignatii exercitiis fuit excultus.

Navi dein Gallica exceptus, trium menſium navigatione ad *Inſulas Marianas* fuit appulſus, atque *Agadnæ* in Inſula *Guaban* Patres Societatis ſibi obviam prodeuntes habuit, atque inter pias juventutis cantiones in templum & pauperem eorum domum fuit deductus, ubi, ſicut in aliis domiciliis Societatis, omni humanitatis genere fuit recreatus; nec mirari ſatis poterat, quomodo viri *iſti* in terra tam barbara, tot inter ærumnas, quotidiana pericula, & concatenatos labores, mente eſſe poſſint tam hilari & erecta: ſupernis id conſolationibus, quibus abundarent, tribuens. Et ſane magno erat ſolatio, iis in Inſulis omnes videre Catholicos, quos effera barbaries, & ethnicæ ſuperſtitionis furor totos poſſederat. Non parum momenti ad probitatem populi attulit Seminarium Juvenum, a Rege Catholico fundatum: in quo præter prima litteraturæ rudimenta optimis moribus imbuitur ætas tenera, exempli virtute in adultos quoque tranſeunte.

Ex Inſulis Marianis P. Florentinus in Philippinas navigavit, adverſo vento in Inſulam *Luſſon* ejectus; indeque *Manilam* venit, ubi ope S. Xaverii a gravi morbo fuit liberatus. Manila relicta, navi Armena ad Coromandelis oram recta tendebat, ſed ventorum turbine *Malacam* fuit propulſus, Hollandicæ ditionis urbem; ubi receptus in navem Danicam *Tranquebarium*, in ora Coromandelis famoſam urbem Danorum perrexit, ac denique Ponticherium, præcipuam Gallorum in India Orientali ſedem, quo a ſuperioribus ſuis fuerat deſtinatus. Hæc ex relatione ipſius P. Florentini Cappuccini, qui abſque pecunia dimidium prope orbis terrarum fuerat emenſus, ab anno 1711 ad 1714.

*FINIS PARTIS XII.*